Pier





A PATRE LVMINVM

IVRIS PRVDENTIA SACRA

MEDIATOR

DE MANV

Io. Bapt. Gaullus. del.

Arnold: Van Westerhout. fe.



IVRISPRVDENTIA
SACRA
IN TRES PARTES DIVISA

TRACTANTE

ANTONIO PAVLVTIO
I.C. VENETO

CANONICO PATAVINO, ET IN CELEBERRIMO
Patauino Archigymnaſio Cæſarei primùm, mox
Pontificij Iuris Anteceſſore Primario,

Et nunc demùm Sac. Pal. Apoſt. Cauſarum Auditore.

TOMVS PRIMVS.

Seriem, & Intentionem Operis dabit pagina ante Indicem Capitum.

Bibliothecae S. Pantaleonis Scholarum Piarum



ROMAE,
Apud IOANNEM BAPTISTAM BVSSOTTVM,

M.DC.LXXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

CHRISTO
CRVCIFIXO
REDEMPTORI.



V O, hoc Opus aggrediens inter Euganeos lares, me obſtrinxi voto, hoc ipſo in Catholici Orbis, ac veræ Eccleſiæ Regia me exoluo (REDEMPTOR) dum primam eius partem publicé exhibens ado-

rabundus illud totum confecro, ac nuncupo Tibi. Riuulum reddo fonti, & iuftè redit opus, vnde profectum; præbet enim pars hæc prima eius Ecclefiæ politiam, quæ de vulnerato latere in Cruce dormientis educta, ceù Heua altera ex Adam fecundo, erumpentis etiam cruoris, ac promanantis laticis opibus fuit indè dotata, & ditata. Tutiùs alibi reponi non poterat, alibiue decentiùs fifti, quàm in eius vulneris receffu, à quo gratiæ, & falutis plenitudo in Ecclefiam ipfam profluxit. Tu excipe, qui infpirafti, Tu foue, qui dictafti, Tu protege, qui perfecifti. Si quid in eo rectum, fi quid placens Tuum eft.

Quid-

Quidquid deficiens, quod ſanè multum, & vereor ne totum, meum, qui peccator, qui nihil. Tu parçe, idemque tuere, qui omnium, & huius auctor. Tu demum, qui auſpex, Tu ſis aſſertor, Tu vindex, & ſi quid ſum humili, ſed recta intentione promeritus, Tu ſis aliquando merces; flagrat enim hoc vno animus, vt Tibi ſit gloriæ hoc Opus, & vni placeat Tibi.

SANCTISSIMO PATRI

INNOCENTIO XI.

CHRISTI REDEMPTORIS

IN TERRIS VICARIO

SVMMO HIERARCHÆ.

BEATISSIME PATER.



I prodiret hoc qualecumque opus, vbi conceptum, ac natum, ſat eſſet ſolo verbo, nullaque facta oblatione Crucifixo ſacraſſe; pium enim animi affectum exciperet, qui omnia, etſi abdita, etſi longinqua intuetur, ac ſola mente, vel peccatoris, directum pro miſericordi ſua bonitate haud reſpueret. At quia ibi lucem aſſequitur, vbi Diuino ſuo nutu me voluit, vt Sanctitati Tuæ Sacrę Reipublicę viſibili Capiti, Sanctæque Sedi, tenui licèt opera, inſeruirem, aberrare me crederem, piaculumque vererer, ni primigenium hunc fœtum ad pedes tuos prouolutus offerrem, quandò ſciam ex Hieronymo ad Damaſum prædeceſſorem

Tuum

Tuum, *quod qui tecum non colligit, spargit*. Tibi igitur, qui recta, & regia ad Crucifixum es via; Tibi, qui ad Crucifixi te formans exemplar humana omni affectione nudatus solo ferues in creditam tibi eius sponsam Ecclesiam amore, in eo totus, *ut sancta sit, & immaculata, & gloriosam, non habentem maculam, aut rugam*, ijdem ipsi exhibeas: Tibi (inquam) illum sisto; fidens, eò futurum munus, cui sacratum, acceptius, quò à te, & per te porrectum, teque haud impari clementia recepturum hoc intemeratæ fidei in Crucifixum Redemptorem, & humillimi in Sanctitatem tuam, ac Sanctam Sedem obsequij purissimum monumentum, cui, & Auctori benedicere supplex demississimè oro.

AEQVO,

AEQVO, ET PIO
LECTORI.



AVCIS es mihi alloquendus (Lector quicumque sis, sed qualem te velim) in huius operis limine, quo sacra Iurisprudentia serie non antea visa, ni fallor, tractatur. Intentionem, & operis, & meam in vestibulo iàm proximè habeas, partitionemque simul. Si quid luminis ampliùs optes, addam.

Post diutinam Iuris Ciuilis interpretationem in celebri Patauino Athenęo ad Ius Pontificium è prima Sede explicandum translatus, in quod munus per plures annos pro viribus incubui, aduerti, quod sicut Romana, & Ciuilis Iurisprudentia quidquid habet hoc ęuo splendoris, ac luminis à vetustæ eruditionis face est adepta, admouente eam omnium primo Andrea Alciato, quem subindè imitati Interpretes grauissimi scientiam rudi barbarie obsitam nitori suo reddiderunt; Ità pręstari idem posse suasum habui, immò & præstandum, in sacri, seu Pontificij Iuris tractatione, plurimumque decoris, ac luminis ei accessurum, si ex Ecclesiastica historia (qua, saltem adeò perspicua ante Baronium, caruere Interpretes eiusdem sacri Iuris) alta rerum explicandarum origo, germanaque primordia petantur.

Hanc igitur ingressus viam opus mente concepi, quo Ius Pontificium traderem, sed methodo non anteà hactenùs (quod viderim) tentata, quamque politicam appello, cum tota à Regentium iure, ac potestate ducatur. Respexi ad compilatores Ciuilis, seù Cæsarei Iuris, & obseruaui, quod in tanti operis limine originem, progressum, statum Romanæ Reipublicæ, eiusque Magistratuum præmiserunt, ex Pomponi, I.C. scriptis ad ll. XII. tabul. in l. 2. ff. De origin. Iuris, *ideò & prælibanda mihi visa origo eius Reipublicæ, cuius Iurisprudentiam tracto, consideranda Politia, seù forma regiminis, magistratus enumerandi, comitia expendenda, potestas firmanda, sed cum eo discrimine; Quod sicut Romana Respublica bellica vi coaluit mutuo nisu conspirantibus ad tanti Imperij molem virtute, & fortuna, vt innuit Lucius Florus, ita totus post originem, & ab origine incessus potuit vnius etiam legis ambitu iustè concludi.*

At

At verò Sacra Respublica tota à Regis pacifici manu, non aliјs propagata viribus, quàm quibus in eius Ciues, ac filios ab infectantibus dirè sæuitum, non alia virtute, quàm Fide, Spe, & Charitate, non alio sanguine, quàm Conditoris sui in redemptionem effuso, & eorum, qui ad ipsius exemplar in confessione veræ fidei eundem constantèr supra ætatem, supra sexum effuderunt, sed multò sæuiùs ijs impetita armis, quæ desciscentes, ac rebelles hæretici lingua, & stylo in matrem suam perfidè exeruerunt, ac proindè non potuit eius status vndequaque ab ijsdem vexatus breuiori, quàm vnius voluminis serie propugnando, tuendo, ac explicando perfectè describi.

Exhibito statu, firmataque Politia, à qua pleraque perardua omninò dependent, Ius ipsum, & Sacram Iurisprudentiam aggredior ab Origine iuris, ac Decretalium compilatoris Raymundi premens vestigia Ecclesiasticam Hierarchiam, dignitates Ecclesiasticas inferiores, & earum offitia expono, iurisdictionemque voluntariam assumens opportunè, quæcumque per eam expediuntur examino volumine Secundo. Inde ad contentiosam transiens iudicia Ecclesiastica tum priuata, tum publica, iudiciorum ipsorum ordinem, ius appellationum, præsertim ad Romanam Sedem curiositate minima adeò agitatum, & quidquid pro materia ad iudicia ipsa, siuè per contractus spectans, siuè per vltimas voluntates prosequor, non semper titulorum ordini insistens, quo vsus est Raymundus, sed quodammodò perturbato, qui non semper damnandus, sed probandus quandòque pro intentione tractantis.

Hoc est opus, quod tibi (Lector) exhibeo, & vtinam menti responderint vires. Habes Institutiones Iuris Canonici, easque plures ab Auctoribus ingentis nominis; Habes paratitla Pontificij Iuris Anastasij Germonij, Andreæ Vallensis, & nouissima Innocentij Cironij, & si quæ alia; Post tot vetustiorum habes, & Commentaria perpetua Emanuellis Gonzalez eruditissima.. At verò mea longè diuersa est intentio, planè alius processus. Sacri Iuris exhibeo theoriam ab altioribus principijs petitam ex historiæ, & eruditionis Ecclesiasticæ penu, sed alia à prædictis methodo, & alio vsu.. Periculum faciam, & experiar Tomo hoc primo, num tibi arrideat hic ausus, eumque si excipias benignè, dabo & secundum, qui iam paratus; sin minùs, sistam gradum, & in re perardua non pigebit tentasse. Tertium Tomum polliceor aliјs curiosiorem, si ętas, si vires concedant, si tanti Tribunalis, in quo versor, & à quo, & in quo semper disco, largietur impensissima cura.


In Politia Sacræ Reipublicæ statuenda opinionem sum secutus, quam verissimam credo: si cui fortè minùs probetur, non latret, non mordeat. Salua fide abundet quisque in suo sensu, & non moror; Nemo mihi molestus sit. Veritatem, quam ex animo profiteor, & scripsi, sanguine pro Dei gloria, si opus sit, non atramento sum semper contestaturus. Si quid offendas aut re, aut stylo minùs placens pro humanitate tua indulgeas; Memor, quod

Quan-

Quandoque bonus dormitat Homerus;
Verùm opere in longo fas est obrepere somnum

Si quid aliundè mutuatum occurrat, & suppresso Auctoris nomine; non continuò in inuidiam vertas, neue plagij me insimules. Nomen enim dissimulo, ne displiceret doctrina, cui fortè Doctoris non placuisset nomen, sicut in obsequium plura fuere demenda. Plagij crimen non vereor, qui sciam, quod nemo ferè in Iure scriptor non Plagiarius. Nefas non est dicta recanere (vt scripsit ad rem mihi Vir olim doctrina, ac dignitate Eminentissimus) dum alio modo, quam aliàs dicta, dicantur, & in hoc (spero) nullum imputabis plagium.

Vtere quibuscumque hisce laborum primitijs, & si gratas videam, secundum Tomum expecta; sin minùs, præfocatus delitescet, ac latebit in æuum, sicut & hic latuisset, nisi Ecclesiasticus Princeps omnigena eruditione, sed præsertìm Ecclesiastica fulgens excitasset, consilio, & opera promouisset.



EGO

GO *infrascriptus Ord. Fratrum Min. Prouinciæ Hiberniæ, in Collegio Sancti Isidori de Vrbe, Sacræ Theologiæ Lector Primarius, ex commissione Reuerendissimi Patri Raymundi Capisucchi Sac. Pal. Apost. Mag. Legi Tomum Primum Iurisprudentia Sacra, compositum ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Antonio Paulutio Sac. Pal. Apost. Causarum Auditore, & inueni esse Opus, materiæ dignitate, claritate styli, varietate eruditionis insigne, exhibet enim notitias Historicas, Canonicas, Theologicas egregio labore, & studio contextas, proinde publica luce dignum censeo; Ex præfato Collegio die* 4. *Iulij* 1681.

Fr. Franciscus Porterus.

De

De Illustri opere inscripto Sacra Iurisprudentia: Auctore Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Antonio Paulutio Canonico Patauino Exprofessore eiusdem Vniuersitatis Primariæ Cathedræ Iuris Canonici, Sacræ Romanæ Rotæ Auditore.

P. Fr. Francisci à Sancto Augustino Macedo Minor. Obseru. Lectoris sui Ordinis Iubilati, & Publici Patauini, Veneti Ciuis Iudicium.



T legi attentè, & accuratè recognoui hoc opus, cui grauis erat, vt ait Tullius, inimica constituta, magna scilicet expectatio, tum propter Hominis famam ex diuturna Iuris Canonici professione percelebris, tum propter arduum, ac sublime operis argumentum. Id cum ego inaudissem, exarsi studio videndi, & an personæ, & materiæ responderet penitus cognoscendi. Nactus opus ad illius me lectionem accinxi, & aliarum omnium curarum vacuus totum euolui, vt iustum de eo iudicium formarem. A capite Romanç Ecclesiæ, ideſt Christo, & Christi Vicario Petro exorsus Diuinæ apicem auctoritatis attingit. Omnes inde manantes Sacros Principatus describere aggressus dignitates, gradus, & munia eorum distinguit. Cardinales, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos accuratè recenset. Addit Concilia, & Synodos, Sancta diuini Spiritus Oracula, quorum indagat originem, inuestigat formam, necessitatem astruit, stabilit auctoritatem. Ingentis factus sum compos voti, quippe quod vidi non modò sustinere Auctorem excitatam expectationem, sed etiam longè superasse: Admiratus sum vastitatem illius mentis, quæ tot, ac tanta tam grandia, tamque varia potuit comprehendere, diuidere, distinguere, connectere, aptèque disponere textura mirabili, serie perpetua, nexu idoneo. Laudaui grauitatem styli, dictionis elegantiam, splendorem sententiarum, soliditatem doctrinæ, copiam eruditionis, multiplicemque Sacræ Ecclesiasticæ, ac prophanæ litteraturæ varietatem. Aperit locos omnes Sacræ Scripturæ, qui in rem faciunt, Conciliorum, Canonum, Patrum accersitis luminibus Iuris Canonici, & Ciuilis. Omnes cunctarum doctrinarum opes exponit, vnde petat quisque quod velit, & in vsum suum conuertat. Nihil Lector, quamuis auidus, expectat, quod non suppeditet, imò plurima etiam non cogitanti suggerit, quibus eruditior euadat. Excogitat ingeniose, inuenit acutè, distinguit subtiliter, profert candidè, exponit perspicuè, decidit aptè, iudicat maturè, probat firmiter, colligit appositè, concludit rotundè. Procul est à vitijs scribendi, qui tot abundat virtutibus, nec laus est ei tribuenda



parca

parca sumpta ex fuga vitiorum, sed liberalis orta ex collatione virtutum, nec periculum est in exornando, sed in deterendo, quod nisi exaggerando æquari non potest. Omnia sunt in hoc opere lucida, splendida, illustria, integra, sancta, religiosa. Quidquid apud se eruditus lector formauerit perfectissimum id omninò inueniat in hoc opere occupatum. Habetur igitur hic tota hierarchia expressa, confirmata, defensa, tamque in altum euecta, vt altiùs non possit ascendere. Tormentum Heterodoxis erit insigne opus, Catholicorum gaudium, Fidei præsidium; Religionis propugnaculum, Ecclesiæ ornamentum. Si Romana Ecclesia comi posset, haberet hic speculum, ad quod se componeret, sed quoniam illa caret næuo, & tota pulchra, & formosa est, accipiat speculum, in quo se, vt sibi de innata pulchritudine placeat, intueatur.

ELV-



LVCVBRATIONVM de Sacra Iurisprudentia, quas Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus meus Antonius Paulutius Canonicus Patauinus, olim in celebri illa Vniuersitate Iuris Pontificij per plurimos annos Cathedraticus primæ Sedis, nunc verò Sac. Rom. Rotæ Auditor me etiam hortante & impellente adorsus est, Tomus primus; ad vmbilicum perductus, mihique ad recognoscendum benignè traditus, respondet opinioni, quam de eximia illius Sapientia, & Pietate conceperam, cum ipse etiam in eadem vniuersitate per multos annos Metaphysicam profitens sæpiùs docentem audissem. Dum enim Principatum Ecclesiasticum contra Nouatorum ineptias stabilit & illustrat, accito etiam lumine ex vmbra figurarum veterum naturam, & rationem illius examinat, excellentiam & prærogatiuas dilucidat, Supremi Senatus S. R. E. Cardinalium originem & dignitatem exornat, Hierarchichos ordines vsque ad Episcopos prosequitur, eorumque munera, & potestatem declarat, & insignia exponit; Synodorum vsum, vetustatem, & varietatem examinat, dissipatis vbique Hæreticorum nebulis, calumnijs iugulatis: vbique & passim insignem Sacrarum Scripturarum intelligentiam, Conciliorum, ac veterum Patrum notitiam, Ecclesiasticæ antiquitatis eruditionem, Iuris vtriusque peritiam, nec leue Scholasticæ, & Polemicæ Theologiæ studium, & diligentiam præsefert, & in styli breuitate elegantiam, Tantumque abest, vt quicquam offenderim, quod, fidem, aut bonos mores, vel leuiter pungens, huius operis editionem remorari aptum sit, vt potius cuncta quæ in eo docentur, fidei fundamenta confirment, & Pietatem promoueant. Ita ex animo sentiebam. Romæ apud Sanctum Paulum de Arenula Idibus Septembris anni Iubilei 1675.

Frater Antonius Cotonius Tertij Ordinis S. Francisci, in Collegio S. Pauli studiorum Regens.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici.

Iacobus de Angelis Archiepiſcopus Vrbinatenſis Viceſgerens.



Imprimatur,

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

INTENTIO ET PARTITIO OPERIS.

Diuiditur Opus Vniuerſum in Tres Partes.

PArs prima continebit ſtatum eius Reipublicæ, cui Sacra Iuriſprudentia ius conſtituit; ipſius politiam indicando; & agendo de Magiſtratibus cum in genere tum in ſpecie, qui ipſam regunt, & adminiſtrant; De Summo Pontifice, nec non de cæteris Hierarchicis poſt eum gradibus; De Eccleſiæ Comitijs, ſeu Concilijs exactè.

PArs ſecunda complectetur quidquid ad ſimplicem, & voluntariam Iuriſdictionem ſpectat.

PArs tertia ea explicabit, quæ ſunt iuriſdictionis contentioſæ, & iudicia cum publica, tum priuata exequetur.

Omnia

Omnia politica methodo, à ſuis altiùs repetita principijs ex hiſtoria Eccleſiaſtica, à quibus appoſitè declaratis, & perceptis lectori probè inſtructo facilis erit, & iucunda ad praxim illatio.

Diuidetur Opus in Libros, Libri in Tractatus, hi verò in Capita, & ſi materia fortè latiùs diffundatur, Capita in §. §. At vbi ſingulare quidpiam explicandum, aut tractandum ſe obtulerit, per Excurſum abſoluetur.



INDEX

INDEX
CAPITVM,
Quæ in hoc Primo Tomo continentur.

LIBER I.

TRACTATVS I.

De Ecclesia.

LIBER II.

TRACTATVS II.

De Summo Pontifice, cæterisque Ecclesiæ Dynastis.

De

LIBER III.

TRACTATVS III.

De Comitijs Ecclesiasticis, Concilijs, & Synodis.

IVRISPRVDENTIA SACRA

IN TRES PARTES Diuiſa.

PARS PRIMA.


LIBER PRIMVS.

Intentio Operis, & Fundamentum.



SACRAM Iuriſprudentiam tractaturi à Republica exordiemur, cuius ipſa ius eſt, eamque primò præbebimus ſpectandam, ne fortè imaginaria credatur, & imaginariæ eius leges, quales præſcribit Plato Reipublicæ ſuæ, vel inclytus ille Thomas Morus ſuæ Vtopiæ. Rempublicam igitur exhibebimus, vel eo præcipuè nomine ſuſpiciendam, quo eam carpere quiſpiam eſt auſus, quam ſcilicet, nec *Ariſtoteles*, nec eorum aliquis, qui de humana politia ſcripſere, mente concepit, aut excogitauit vnquàm; Nec mirum; cum ipſa, origine, fine, & medijs ſuprà omnem humanum captum ſit, ac à ſupernaturali Auctore per ſupernaturalia media proceſſerit; Eoſdem hæc habet limites, quibus definitur Orbis, ac vbique gentium inſerta, omneſque peruadens populos Ciues ſuos ad immutabilem fælicitatem dirigit, ac velut cælitùs demiſſum Palladium naturalia bona ità tuetur, ac fouet, vt ea ſtante, maneant, ac vigeant, abeunte, ſi non intereant, at certè turbentur, ac miſerè langueant. Rempublicam haud immeritò appellamus, cum in ea ſit ordo, & poteſtas, & de ipſa hæc inquirenda proponimus. Quæ origo, & qui finis; Quę proprietates, & qui eius Ciues; Quæ poteſtas, & quæ demùm Politia, vel eius gerendæ, & regendæ ratio, vel forma, vt indè abſolutiſſimam liceat intueri. Præſideat menti, & regat ſtylum, qui Creator omnium, ſed præcipuè Sacræ Reipublicæ eſt α & ω, cuius enixè implorato flamine fidenter auſpicamur.

Marſil. de Pad. In defenſ. pacis dict. 1. cap. 1. & cap. 19. p. 1.



TRACTATVS I.

CAP. I.

De Nomine, & Origine.

1 *Ecclesiæ Nomen vndè.*
2 *Ecclesiæ, & Synagogæ distinctio.*
3 *Ecclesiæ Origo.*
4 *An ab Adamo cœperit, An ab Abel.*
5 *Ecclesiæ incessus, & ætates.*
6 *Ecclesiæ scopus, & finis.*

1 RESPVBLICA, quam exhibere, & considerare aggredimur proprio, & singulari nomine indigitatur, & *Ecclesia* dicitur à Greco verbo, ἐκκαλέω quod Latinè redditur *euoco*; Nomen, quod antè Christi Domini aduentum nusquam fuisse latinitate donatum obseruat *Franciscus Victoria*, aut ab aliquo latinorum vsurpatum ante ea tempora; at à Christo Domino inditum ipsius Reipublicæ conditore, subinde à disertissimis SS. Patrum Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, Lactantio, & alijs in eorum scriptis vindicatum ad christianam Rempublicam propriè significandam. Nec sine re fuit hoc adhibitum nomen, quandò verbum illud Græcum ἐκκαλέω propriè, vt supra iàm dictum, significat *euoco*, siuè *conuoco*, quod verissimè in hac Republica impletur; siue quod ipsa omnes ad se vocet, siue, vt appositè aduertit *Melchior Cano*, quod qui in eam conueniunt, aut recipiuntur, non meritis, aut iustitia sua, sed Dei gratia, & vocatione conueniunt, vndè D. Paulus in Epistolis suis vtitur passim hoc conuocationis termino, siue Romanis, siue Corinthijs scribat.

Relect. 1. de potest. Eccl. num. 1.

De loc. Theol. lib. 4 cap. 2.

2 Et quamuis ante salutarem Christi Aduentum ad idem significandum promiscuè vox *Synagoga*, & *Ecclesia* legatur adhibita, idemq; populus Iudaicus, quoùsque in veri Dei cultu permansit, nunc Synagoga, & nunc Ecclesia sit appellatus; attamen impleto salutari aduentu, & facta populi separatione Synagogæ, & Ecclesiæ inducta est discretio etiam quòad vocis vsum, qui enim Iudaicus populus obcæcatus noluit lumen veritatis agnoscere dictus est Synagoga, nec vnquam ampliùs nomine Ecclesiæ denotatus; at quæ portio eiusdem Iudaici populi in Christum credidit, quique alij quicumque eandem in Christum susceperunt fidem, nomine Ecclesiæ sunt designati, nec vnquam ipsis tributum Synagogæ nomen; & meritò; nàm ipsa vtriusque vocis significatio, vel allusio exposcere discretionem est visa. Synagoga enim significat congregationem, & Ecclesia conuocationem; Congregari pecorum, & brutorum est, quorum propriè sunt greges; Conuocari rationalium, & hominum tantùm, vt obseruat *D. Augustinus*, & cum eo *Isidor.*; Vt ergo Iudæorum notaretur infidelitas, ipsorum populus dictus est Congregatio, vel Synagoga, nomine pecudibus communi, & vt credentium indicaretur fidelitas, ac nobiliori exprimeretur vocabulo, *Ecclesia* est nuncupata, nec vnquam Synagogæ nomen pro Ecclesia adhibuerunt Apostoli; & hæc vocis allusio ad rem assignandam perappositè

Num. 16. & 20.

In psalm. 81. Lib. 8. orig. cap. 1.

tè promouet; Ecclesiam enim aliud nil esse indè apparet, nisi *Fidelium vocatorum collectionem. cap. Ecclesia de consecrat. dist.* 1. Nomini succedat origo.

3 Reipublicæ huius, quam amodò Ecclesiam appellabimus, præstantiam, vel ab ipsa origine fas est admirari. Omnium enim antiquissimam asseruit *Eminentissimus Cardinalis Baronius*, vt nulla certare secum hoc nomine audeat. Mittemus originem illam sinè origine, qua ab æterno per prædestinationem apud Dei sapientiam Ecclesia extitit, & secundùm quam cùm *Origene* inquit *D. Bernardus*, *Nunquam Ecclesia electorum penès Deum non fuit*; hæc enim non est adeò Ecclesiæ propria, quin enti cuilibet existenti competat, eamque admirari potiùs contemplando deceat, quam effari; nam retundit mentis aciem, stylumque comprimit, ac hebetat tàm excelsa consideratio. Sublimis quidem, sed & ad humanum captum descendens, vtpote sensibile aliquod exhibens, est ratio, qua Ecclesiæ antiquitatem detegit vbi supra *Baron.*, dùm primum eius fundamentum, cui cætera omnia cohæreant, & innitantur, assignat Christum Dei filium non in tempore creatum, sed à Patre antè omnia tempora genitum, eiusdem cum Patre substantiæ, sine quo nihil factum est, & per quem facta sunt omnia. Fundamentum, quod habet Ecclesia adeò certum, vt, si in quacunque temporis differentia consideretur, aliud nunquam aut agnouerit, aut agnoscat; lapis enim est angularis, qui cęlestia paritèr, ac terrena, pręterita, pręsentia, & futura connectit ipse semper idem *Iesus Christus heri, & hodie ipse, & in sæcula*, ait *D. Paulus*. Et ideò quicunque à Mundi exordio salutem est adeptus, non nisi per Christum, & à Christo est adeptus; fuit enim semper vna fides vnius Christi, siue quis crediderit venturum, siue iàm venisse quis credat, idemque credit, qui credit aliquid futurum, & qui credit iàm factum, vt non semel docet *D. Augustin.* fundamentum hoc igitur vniuersæ Ecclesiæ, & quatenùs Angelorum est, egregiè resoluit *D. Thomas*; Origo verè sublimis; sed quæ nondum in totum ab æternitatis inuolucro Ecclesiam ipsam auellat, licèt Christum proponens menti limitem saltem aliquem statuat, vnde ad superædificatæ molis cognitionem faciliùs consurgat.

In apparatu ad Annales Eccl. in princ.

Serm. 78. in Cant.

Ad Hebr. c. 13.

Lib. 20. conf. cap. 43.

Ad Deo grat. epist. 49. ep. 89. ad optat.

De Orig. animæ. ep. 157

3. p. q. 8. ar. 4. in corp.

4 A primo igitur homine, qui è manu figulantis, & flatu suo animantis Numinis prodijt, cæpisse Ecclesiam, quis dixerit; tùm quia primus iunctam virtutibus, & gratuitis donis, cum quibus fuit creatus, fidem habuit; tùm etiam quia eandem fidem sacrificio aliquo, vel signo sensibili fuit protestatus, vt post *Diu. Thom.* notat *Benedict. Perer.*, quod ad Ecclesiæ constitutionem cum primis est necessarium. Debuit ergò ab eo incipere Ecclesia, à quo, & fides, & religio habuit exordium. Non improbabilitèr quidem; verùm ab Abel Ecclesiæ primordia deducunt Sancti Patres; Abel enim, qui primus fidem suam in Deum per sacrificium fuit contestatus, primus etiam Ecclesiæ posuit fundamenta. Decuit siquidem, vt ab eo inciperet, in quo facta est prima discretio Ecclesiæ Dei ab Ecclesia malignantium: hancque factam in Abel notat *D. Augustinus*; vt (nec sine mysterio) ab eo exordium su-

2. 2. qu. 85. art. 1. ad 2.

In capit. 4. Gen. ver. 2. in fin.

Lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 1.

meret, qui primus ipsam innocenti sanguine consecrauit; Ab Adam, qui primus peccauit, cœpit quidem medicina contriti cordis, dilectionis, & deuotionis, at nullum medicinæ signum, quale sacrificium, aut Sacramentum: quod vtrumque, & præsertim sacrificium, tribuit Abel, & non Adæ *D. Paulus*. *Fide plurimam hostiam Abel, quam Chain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus*; & ante Abel nullum prætereà commemorat; sicut nec diuina scriptura considerat, quare autem; rationem reddit *Diu. Thom.* Ab Abel igitur, & non ab Adamo cœpit Ecclesia, quæ in ipso, velut in cortice conclusa, ac in semine delituit: mox per sanguinem segregata à malignantium Ecclesia, quasi deiscens rubuit Diuino demùm aliquando purpuranda cruore, qualem descripsit rosam *Plinius*; à primis hisce visceribus successiuè progressa est, & per varias ætates varia adepta est incrementa vsquequò tandem summam perfectionem attigerit.

Ad Hebr. cap. 11.

Vbi supra.

Lib. 22. c. 4. nat. hist.

5 Sex Ecclesiæ ætates distinxit *D. Augustinus*; Quinque *Magnus Gregorius* eas per horas diei successiuè partitus: conditorem enim nostrum patrisfamilias comparans, ait, *Qui habet vineam, vniuersalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine Mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit quasi tot palmites misit. Hic itaque paterfamilias ad excolendam vineam suam mane, hora tertia, sexta, nona, & vndecima operarios conducit, quia à mundi huius initio vsque in finem ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare non desistit; Mane enim Mundi fuit ab Adam vsque ad Noe; Hora verò tertia à Noe vsque ad Abraham; Sexta quoque ab Abraham vsque ad Moysem; Nona à Moyse vsque ad Aduentum Domini; Vndecima verò ab Aduentu Domini vsque ad finem Mundi.* Lubet successiuos hosce Ecclesiæ incessus excurrere, & in singulis leuitèr immorari, sub quolibet enim latet mysterium ipsius Ecclesiæ constitutionem mirè afficiens. Ab Adam, vel veriùs, ab Abel incessum suum auspicata est Ecclesia progrediens ad Noe; latuit hucusque quasi virtus in semine, moxque per figuram erumpit, & sub figuræ inuolucro spectandam se exhibet; Arcam enim à Noe Dei iussu conditam typum fuisse Ecclesiæ consentiunt Patres. *Cyprian. Ambros. Hieronym. August. Bernard.*, & in eo præsertim, quod si extrà arcam inundante diluuio nemo saluari potuit, & extra Ecclesiam salutis nulla spes reliqua. Nec minùs obseruabile, quod Arcæ præfectus fuit Noe vir iustus, & familiæ Princeps *l. familiæ 196. ff. de verb. signif.*, vt quale vnius regimen spectaretur in figura, illud ipsum expectaretur in figurato. Altius mysterium in Arca Noe agnouit, & *Ambros.* tanquam in Ecclesiæ typo; *Dùm per lignum* (inquit) *& aquam redemptio Crucis Christi, & ablutio generationis aperitur.* Post Ecclesiæ materialem figuram formalis typus iam consurgit in Abraham, in quo cum omnium virtutum choro fides singularitèr emicuit, & charitas; *Credidit enim Deo, & reputatum est ei ad Iustitiam*, propter Deum omnia contempsit, & chariora posthabuit. *Ambrosius*; *Secundùm personam Abrahæ euidens*

Lib. 4. de Trinit. & lib. 83. q.

Hom. 19. in Euangel. princ.

Lib. 1. de Vocat. Gen. cap. 4.

Paulo ad Rom. c. 4.

Lib. 1. de Abrah. c. 2.

my-

mysterium Ecclesiæ, quæ totum Orbem fidei hæreditate possedit, sicque in Abraham, qui per fidem pater est omnium credentium, Ecclesia exhibetur; Ecclesia igitùr fide per charitatem informata subsistens hactenùs in figura, mox vlteriùs progrediens ducit ad Moisem, quo gradu explicita magis cæpit apparere, sed adhuc sub vmbra; Erumpit redempta à dura Aegypti captiuitate sub vno ductore, & capite hominum verum Deum adorantium collectio, iuncta Sacramentorum contesserantibus signis, legibus ab ipso Deo datis recta, & directa; sed quæ potiùs ad vlteriora, & perfectiora disponeret, veramque Ecclesiam præsignaret. In hoc gradu explicitè quid actum licet obseruare, quod agendum prænunciaret; segregatam scilicet potestatem Sacerdotalem à Regia, quæ vtraque subiecto indiuisa in vno Melchisedech sacerdote eodem, & Rege, residebat; quatenùs in Moyse stabilita fuit Regia, Sacerdotalis, & Pontificia in Aron. Periodum Ecclesiæ in Dauid Rege Iudeæ non signauit *D. Gregorius*; at in ea intueri fas est augustiorem Ecclesiæ typum, in templo scilicet, quod Salomon eius filius erexit; Mirandum illud vnum, prætèr tantæ molis structuram, quod hæc futuræ Ecclesiæ imago sub Regibus Iudeæ prodijt, & in Regnum conuersa Iudeorum Republica, vt futurum veræ Ecclesiæ regnum prænunciaret expresiùs.

Tot ergo præmonstrata figuris iàm prodit Ecclesia spectabilis sub visibili capite vno, dotata Sacramentorum efficaci virtute suum sumit fælicitèr exordium ab incompræhensibili Incarnati Verbi Mysterio, eiq; pronuba charitate nexu perenni coniungitur. Apertiùs, & securiùs dici potest (ait idem Gregor.) *quia in hoc Pater Regi filio nuptias fecit, quo ei per Incarnationis Mysterium Sanctam Ecclesiam sociauit*. Fæcundata demùm hæc sponsi passione; *De latere enim Christi exiuit sanguis, & aqua, quibus significabantur Sacramenta, per quæ fæcundatur Ecclesia*, scribit *Augustinus*. Ea igitur Ecclesiæ origo per varios spectata processus, & gradus. *Hom. 38.* *In tit. Psal. 44.*

6 Origini subnectamus finem; si immediatum, nec vltimum quæras sanctificatio est ipsius Ecclesiæ; *D. Paulo* teste; *Et se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*; At si vltimum, aç principalem; Beatitudo æterna, ad quam demùm adspirat, *vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam* subdit idem Apostolus; & ideò peregrinam agere eam in terris dixit *Tertullianus*; Alta igitur adeò Ecclesiæ origo, & tanta eius vetustas, sicut interminabilis eius finis! Cum ea si conferas regnum quodcumque, aut imperium, hoc semper fatearis posterius, siue enim ab Abel, siue ducas ab Adam nullum regimen inter homines eam præcedere potuit. Retecta Ecclesię origine ad proprietates eius accedamus. *Ad Ephes. c. 5.* *Ibid.*

CAP. II.

Quæ Proprietates.

1 *Proprietates Ecclesiæ ex symbolo Fidei.*
2 *Vna multiplici ex causa.*
3 *Sancta multiplicitèr.*

4 Ca-

4 *Catholica quare.*
5 *Cur Apostolica.*
6 *Cur non, & prophetica dicatur.*
7 *Eadem visibilis.*
8 *Notæ visibilis Ecclesiæ.*

1 PROPRIETATES iam erectæ, & constitutæ Ecclesiæ, per quas & dignoscitur, & distinguitur non ex Auctorum placitis mutuabimur, cum ex symbolo Christianæ fidei in Nicæna magna Synodo firmato eas nobis proponi Deus prouidè voluerit, dùm recitantes profitemur: *Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*, quæ quidem quatuor iure dici possunt proprietates Ecclesiæ, cum soli, & semper competant. *Vnam* esse Ecclesiam Diuinus Spiritus contestatur; *Vna est Columba mea, vna est perfecta mea*, hæcque vnitatis prærogatiua in Ecclesia tantò est excellentior, quantò multiplici nomine eidem competit. Vnitatem Ecclesiæ sub apposita corporis analogia expressit *Apostolus*; Vna enim est, qua ratione corpus dicitur vnum.

Cant. c.4.
Ad Ephes. Colos. c.2.

2 Primum vna est, quia vnum eius caput, & Princeps vnus; Christus scilicet Dominus, & Deus, *quem Pater dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius*. Secundò vna est, fidei vnitate; fideles omnes idem corde credunt, ac confitentur ore; *Id ipsum dicatis omnes* (ait D. Paulus) *& non sint in vobis schismata*; egregiè *D. Hieronym.* relatus in *Can. legimus. 93. dist.* Tertiò, est vna vnitate baptismi, qui ianua, & sanctificationis origo, idemque apud omnes tùm materia, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*: tùm forma, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; tùm demùm effectu; *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*; *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma*, ait D. Paulus, & cùm eo *Tertullianus*. Vna est vnitate finis, in quem spes omnium tendit, beatitudinis æternæ, *sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ*; scripsit *Apostolus*; Quàm maximè vna est Ecclesia vnitate charitatis, qua veluti coagulo nectitur; vnire siquidem amoris est, & amor ad vnum; quæ autem Ecclesiæ membra inuicem nectit charitas, hæc ipsa Sanctus Spiritus animat, & in hoc summè vna est Ecclesia, quam vnitatem confirmat Apostolus analogiam expendens Corporis Naturalis, & mystici in *Spiritus vnitate*, & alibi; *Vnum Corpus, & vnus Spiritus*; à quò motus, à quo vita, à quo operatio; vna tandem Ecclesia vnitate visibilis capitis ipsam regentis, per quod verè impletum, quod Christus ipse prædixit; *Fiet vnum Ouile, & vnus Pastor. Can. loquitur, 24. quæst. 1.* Vbi appositissima *D. Cypriani* verba. Vna igitùr, & meritò, Ecclesia, cui vnitas tot nominibus propria.

Ad Eph. c.1
1. ad Corin.
Ioann. 3.
Matt. c. vlt.
Marc. c. vlt.
Ad Eph. c.4
De Virg. veland. c.2.
Ad Eph. c.4
1. ad Corin. c.12.
Ad Eph. c.4
Ioann. c.10

3 Sancta & hæc ipsa, cui non impari iure tributa sanctitatis dos à Patribus in Nycena Synodo; Vt quid enim non sancta, quam Spiritus Sanctus animat? ex quocunq; autem titulo sanctitatem examines, iustissimè dici Ecclesiam sanctam fateberis. Si enim sanctum idem, ac mundum, ac sanctitas mundities apud *Dionis. Areopag.*, & sanctam inde dixeris Ecclesiam, qualem sibi elegisse, immò fecisse decet Sanctum Sanctorum, qui sponsam suam à

De Diuin. Nom. c.12.

san-

sanctitate, & munditie miratur. (Cant.c.4.) *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Si sanctum idem est, ac inuiolabile; & sancta indè censenda est Ecclesia, aduersùs (Matt.c.16.) quam, *Portæ inferi non præualebunt, peccata, minæ, blandimenta, hæreses*; exponit, ibi: Glofs. *Non præualebunt, idest non separabunt eam à Charitate mea*; Et (Ad Rom.8.) *Apostolus*; *Certus sum, quod nec mors separabit nos à charitate Christi.* Sed supra omnem Sanctitatis acceptionem illa est, qua Ecclesia meretur dici Sancta, *Sanctum enim* (Lib. 15. Orig.c.4.) (inquit *Isidor.*) *à Saguine hostiæ nuncupatum*, & sub hoc nomine vno super omnia sancta dici debet Ecclesia, quæ Christi sanguine purpurata, ac per eum ab omni labe mundata veræ sanctitatis decorem induit; (Ad Ep.c.5.) Vnde *Apostolus*; *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret*; Sit satis, vel vna hæc ratio, ob quam verè sancta dicitur Ecclesia, & ad quam collata vilescit quælibet alia sanctitas, quamcunque enim aliam, efferamus, & extollamus, semper quid minus erit sanctitate illa, quam mutuatur à Christi sanguine. Hanc igitur demisso veneremur cultu, & proprietatem illam intueamur, qua Catholica dicitur.

4 Est quidem, cur de hoc epitheto sibi placeat Ecclesia, quod indidere Apostoli tanquam indubiam veræ fidei tesseram. Vagiebat vix nata, & credentes dicebantur Discipuli, (Tom.1. An. 43.) vt ex *D. Athanasio* notauit *Baronius*; at cum insurgerent nouorum dogmatum auctores, & ipsi sectatores suos hoc discipulorum nomine donabant; nomenclaturam immutarunt Apostoli, & quos discipulos appellabant, christianos dicere cœperunt, idque factum Antiochię primùm; at hæretici; & hoc nomen sibi vsurparunt ęmulantes, quantum eis liceret, veræ fidei cultores; Catholicæ demùm titulum excogitauere Apostoli, adeòque feliciter, inquit *D. Augustinus*, vt imitationem (Cont. Ep. fund.c.1.) affectantes, hunc tamen sibi arrogare hęretici nunquam sint ausi, & quærenti Catholicam Ecclesiam suã ostendere; indeque in Symbolo, Apostolorum auctoritate Ecclesia Catholica nuncupata. Pulchrè *Pacian. Barchin.* Episcopus. *Christianus mihi nomen est*; (Epis.ad Sympr: Nouat. in Bibliot. PP. tom: 3.) *Catholicus verò cognomen*; *illud me nuncupat, istud ostendit, hoc probor, inde significor.* Catholicum à græco idem est, ac vniuersale, hicque titulus perappositè Ecclesiæ congruit, quaquà versus ipsam consideres; Primò enim catholica, & vniuersalis Ecclesia, quia, & catholica eius fides, *Hoc est, nec vnquam, aut toto tempore mutata, aut locis variata*, ait *D. Augustinus* Catholica, & se- (Tract. de Cath. verit.) cundò, fides, quia non vni genti, aut nationi proponitur obseruanda, sed omnibus, vt exponit *Boetius*; & per (Lib. de Trinit.) hoc differt à Mosaica lege, quæ vni populo tradita, & ab hæresum sectis, quæ ad certa restrictæ. Catholica, & tertiò, quia vniuersalitèr vera, & nihil ei erroris, aut falsitatis admixtum, quod nunquam datum gentilium, hæreticorum, aut philosophorum sectis, in quibus cum veritate aliqua semper falsitatis permixtio, indeque inter ipsos dissidium; christianus verò ideò catholicus, quia omnia, quæ Christiana fides docet, profitetur, ac credit. Catholica demùm, ac vniuersalis denominatur Ecclesia, & fides à lo-

eo,

eo, vtpote, quæ non certæ regioni addicta, sed toto Orbe diffusa. Iàm non sunt hic aggerandæ scripturarum, & SS. Patrum auctoritates; Vna omnium instar illa, quam de Christi regno omnes exponunt; *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Vnusque pro cunctis *Tertullianus* qui enumeratis, ac recensitis regionibus, & prouincijs, quas ex quacunque orbis parte Euangelij prædicatio peruasit, subdit. *In quibus omnibus locis Christi Nomen, qui iàm venit, regnat*; Moxq; inferiùs. *Christi autèm regnum, & Nomen vbique porrigitur vbique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, vbique regnat, vbique adoratur, omnibus vbique tribuitur æqualitèr, omnibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus, & Dominus est*. Sint quidem tanti hæc, aliaque plura Sanctorum Patrum Ambros., August., Hieronym., Optati, Cyrilli Hierosol., Chrystom. testimonia; attamen difficilis est adhuc humano captui hęc Ecclesię amplitudo, ex qua Catholica dicitur, pręsertim si locum, siue ambitum, gentesque ipsas inspicias, & percurras. Vt quid enim Ecclesiam toto Orbe diffusam, adeòque Catholicam asserimus, si Christianus Orbis modica, & perexigua pars totius Mundi apparet? Considerentur Hęretici, Schismatici, Mahometani, Iudęi, Gentiles, & Idolatrę, & quoto portia supererit Ecclesię, & Catholicę fidei? Nonne fuit aliquando tempus, quo vera fides intèr paucos angustata credentes exiguum fermè angulum occupauit? vna memoretur Ariana hęresis, quę totum Christianum Orbem peruagata fidem puram fermè abegit, idque dolens exaggerat Hieron. *Tunc Vsiæ nomen abolitum est; tunc Nycenæ fidei damnatio conclamata est; ingemuit totus Orbis, & se Arianum esse miratus est*; quàm angusti igitùr tunc Ecclesię fines! & quî Catholica tunc dici potuit? Ità quidem; at non per hoc dimittendus à vera Ecclesia Catholicę titulus, qui (vt supra aduertimus) non ideò ei datus, vt à Iudaismo, aut à Gentilismo distingueretur, ad id enim sat erat ipsum Christianę nomen, sed, vt ab Hęreticis discerneretur, qui cum Christum non negent, Christiani adhùc dici possunt, at quia vsurpato Christianorum, & discipulorum nomine sępiùs fallebant, ideò acceptum *Catholicæ* cognomentum, vt tolleretur studiosa eorundem confusio. Non ergo necesse, quod Ecclesia omnes alias Gentilium, aut hęreticorum sectas amplitudine excellat, vt verè, & propriè dici valeat Catholica, sed sat est, vt ab hęreticis distinguatur, & suo modo sit per totum Orbem diffusa, quod sibi afferere nulla potest hęreticorum secta.

Psalm. 2. — Libr. Adu. Iudę. cap. 45. — Adu. Luciferia. n. 36.

Immò dùm Catholicam, siue vniuersalem Ecclesiam dicimus segregare omninò debemus habitudinem, siue aptitudinem ab ipso actu; aptitudinem, siuè habitudinem si spectemus, Ecclesia à sui primordio vniuersalis extitit, & existit, ideòque & Catholica; Idque rationi vniuersalis maximè congruit; cùm vniuersale, vtpotè contrahibile, potentiam inuoluat, & aptitudinem dicat: hęc aptitudinalis vniuersalitas in Ecclesia est, tùm quia est pro toto terrarum Orbe instituta, & non pro

certa

certa aliqua gente, & natione, vt Synagoga; tùm quia in sui erectione ius ipsi largitum prędicandi Christi fidem per Vniuersum; *Prædicate Euangelium omni Creaturæ*, &, *eritis mihi testes in Iudæa, & samaria vsque ad extremum terræ*; tùm demùm quia data Ecclesię amplissima potestas in ordine ad supernaturalia, ac spiritualia, *Pasce oues meas*, Ecclesię dictum in persona Petri, tanquam in capite, & hęc habitudinis, siue potentialis (vt ità dicam) vniuersalitas tanta est, vt ab ea liceat Ecclesiam iustè, ac verè denominare Catholicam. Denominarunt Apostoli, cùm adhuc in exiguo Palestinę angulo erumperet, ac nondùm esset per Orbem diffusa; verùm id prospicientes per fidem, quod ex infallibili Christi promissione erat futurum, quam ex fide sciebant diffundendam, per anticipationem denominarunt tanquam diffusam, & Catholicam appellarunt; Idque totum ponderauit, & expressit *D. Augustinus*, à cuius verbis regerendis, vtpote valde diffusis, lubentes abstinemus. An autem hæc prophetia, siue hæc promissio de Ecclesiæ, & fidei amplitudine per totum Orbem sit impleta, an verò aliquid supersit adhuc implendum vsq; ad sæculi consummationem, variant SS. Patres, & Sacri expositores. Negant *Beda*, & *Hieronymus*, qui immò indicium proximi aduentus supremæ diei credidit consummatam Euangelij prædicationem; nec dissensit *Augustinus*, qui alibi incertum omninò asserit, quantum à completa Euangelij prædicatione distare debeat mundi consummatio; vnde, & incertum, ac ignotum fatetur, quo tempore prædicatio Euangelij per totum Orbem sit implenda, quam æuo suo nondùm impletam pro certo asserit; cum nec tempore Apostolorum Euangelium omnes attigerit Orbis partes; & quamuis non defuerint ex Patribus, qui voluerint tunc ad quaslibet Orbis partes eam peruenisse, attamen hoc ità accipimus, sicut accipiendum monuit *D. Thomas*, vt, scilicet, ad omnes Orbis partes peruenerit aliqua fama prædicationis Euangelij per Apostolos factæ, aut per discipulos ab eis missos, non autem, vt ecclesiæ apud omnes gentes ædificarentur, & in omnibus gentibus actu esset Ecclesia. Ab vniuersalitate itaque, quam si non actu, aptitudine saltem, & potentia habuit semper Ecclesia, meritò Catholica denominatur, sicut de Euangelij prædicatione per totum Orbem, & exposuit *Bellarminus*; nec quidquam ei derogant hæresum, & hostium oppugnationes, per quas ad angulos, & angustias sit aliquando redacta, sicut de Ariana hæresi fuit memoratum; hoc enim tantum abest, quod pugnet, cum prædictionibus, quod immò hoc ipsum fuit a Christo Domino prænunciatum; hæc siquidem arcta illa via, quæ ducit ad vitam; hæc nauis fluctuans in medio mari, quæ demùm euadit incolumis, semper conspicua, amplissima semper, semper Catholica. Qua consideratione soluit *D. Augustinus* exemplum sumptum à tempore hæresis Arianæ; describit deplorabilem tunc Ecclesiæ statum, quo plerique aut decepti, aut timentes cessere, alij verò, licèt pauci, fortes restitere, ac in fide constantes, sed tamen aut exulabant aliqui ex ipsis, aut latitabant; *Ac sic* (inquit *Augustinus*) *quæ per omnes gentes crescit*

Marc. cap. vlt.
Ioan. c. 21.
Lib. 2. Cont. Petilian. c. 38.
In Matth. cap. 24.
De Vnit. Eccl. c. 17.
Epist. 78. ad Hesich.
Epist. 80. in fin.
In Epist. ad Rom. c. 10. lect. 3.
Lib. 3. De Rom. Pont. cap. 6.
Ep. 48. col. 12.

ſcit inſtrumentis Dominicis, conſeruata eſt, & vſque in finem, donec omninò gentes omnes etiam barbaras teneat, conſeruabitur. Quam anguſta tunc Eccleſiæ facies! & tamen nihil de vniuerſalitate ſua amiſit; & vt non adeſſent redditæ hucvſque eiuſdem vniuerſalitatis rationes, ea certè nec defuit, nec vnquam deficiet, quod fundata Eccleſia ſuper immutabili petra, ac vniuerſalem poteſtatem habente, catholica, vel hac vna ratione, & inconcuſſa permanſit, quòd nulli hæreſi vnquam datum, aut dandum, cui non adeſt vniuerſalitatis modus veræ fidei, & veræ Eccleſiæ promiſſus. Aliæ etiam rationes, & cauſæ conſiderantur, ob quas Eccleſia dici poteſt Catholica, at hæ potiores ſint ſatis, quibus elucidata hactenùs proprietas Eccleſiæ præcipua, per quam omnia loca, omnia tempora, omnes gentes complectitur.

5 Quæ vna, Sancta, & Catholica eſt, quarta adhuc, eaque maximè ſua, gaudet proprietate, & prærogatiua, vt Apoſtolica, & nuncupetur, & ſit. Ex qua præcipuè Eccleſiæ antiquitas, & auctoritas emicat; neq; ſcrupulum injiciat, quod Chriſtus ſit primum, & principale Eccleſiæ fundamentum; *Apoſtolo Paulo* atteſtante; *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod eſt poſitum, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Vnde ipſa potiùs Chriſtiana à principali, & vnico fundamento, quàm Apoſtolica videatur appellanda; quia Chriſtiana quidem & eſt, & dici poteſt à Chriſto, ſicut, & Paulus nuncupatur chriſtianus; verùm dùm Apoſtolica dicitur, non per hoc Chriſtiana excluditur, cùm hæc in illa contineatur; ſed in ſymbolo viſa eſt potiùs dicenda Apoſtolica, quàm Chriſtiana, vt pura, & vera Eccleſia infallibiliter demonſtraretur, cum Chriſtianæ titulum, & hæretici, & malignantium Eccleſia in Chriſtum credens, hoc idem epitheton poſſit ſibi vſurpare, & fallere. Apoſtolica igitùr, meritò dicitur, quia ab Apoſtolis reuelatæ gratiæ eſt adepta primordium; apoſtolica, quia poſt Domini aſcenſum eam Apoſtoli per prædicationem doctrinæ, per miracula in fide roborarunt; ipſaque eorundem Apoſtolorum fidem, documenta, & auctoritatem retinet, ac obſeruat; retinet autem auctoritatem in clauibus, ſententiam in verbo, vitam in exemplo; *Ex fide Apoſtolorum cognoſcimus, quis ſit in Eccleſia*; inquit *Hieronymus*. Apoſtolica; quia, quidquid Chriſtianæ religionis rituum, & ſacrarum inſtitutionum obſeruantiæ in ea eſt, à traditione Apoſtolorum eſt deriuatum; *Can. Eccleſiaſticarum.* 11. *diſt. Itaque tot, ac tantæ Eccleſiæ vna eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes*, ait *Tertullianus*; Hincque Petri ſedes, quæ nunquam ab ecclíptica Apoſtolicæ doctrinæ, & traditionis receſſit, *Can. à recta.* 24. *quæſt.* 1. ſpecialiter, ac per excellentiam Apoſtolica dicitur *Can. Sacroſancta* 22. *diſt.* Apoſtolica demùm græcè, quaſi deſuper miſſa; quia de Cælo exemplata Apocalyp. 21. cap. Sed ſi proptèr fundamentum Apoſtolorum dicitur Apoſtolica, cur proptèr prophetarum fundamentum non dicitur prophetica? cùm dicat *Apoſtolus ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.*

6 Non inficiamur Prophetas fundamentum Eccleſiæ, at iuſtiorem cenſemus ab Apoſtolis, quàm à Prophe-

phe-

1. ad Corint. cap. 3.

In Pſalm. 133.

De præſcri. hæret. c. 20.

Ad Epheſ. cap. 3.

phetis denominationem; primo enim Catholicam fidem, quæ est forma Ecclesiæ, explicitam magis, ac magis dilucidam ab Apostolis habemus, quàm à Prophetis; qui fidei mysteria per figurarum vmbras, ac obscuram doctrinam nobis proposuere; Apostoli non sic; at Christianæ fidei summa mysteria, veri scilicet Dei cognitionem, & Verbi Incarnationem, ac humani generis redemptionem explicitè annunciauerè; indeque fidem perfectam cum omnibus ad salutem necessarijs Ecclesia est adepta, & meritò à præstantiori Apostolica potiùs, quàm Prophetica denominatur; cùm præsertim Apostolorum doctrina fuerit vniuersalior, & profundior, quàm Prophetarum. *cap. ita Dominus 19. dist.* & exuberantior in ipsis diuinę gratiæ perfectio, atque profusio, quam in Prophetis. *Secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis*, ait *D. Paulus*. Cum itaque Apostolorum tempore, & opera veritas apparuerit, quæ latebat sub vmbris, & euidentior, & nobilior, hinc iustè Apostolica potiùs, quàm Prophetica indigitatur Ecclesia. Ex termino autèm, quo Nycenum symbolum vtitur in proponendis hucvsque explicitis Ecclesiæ proprietatibus, promouemur ad proprietatem Ecclesiæ exponendam, quam sectarij acerrimè impugnant; ait enim symbolum; *Credo vnam, sanctam, catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*.

Ad Eph. c. 1

7 Si enim Ecclesiam *credimus* certè intellectu apprehendimus rem non apparentem, credere siquidem fidei est, *quæ argumentum dicitur non apparentium*; indeque Ecclesia inuisibilis adstruitur, quod illud ipsum est, quod Nouatores maximè contendunt euincere. Immò forma Ecclesiæ alia non est nisi fides charitate informata, & hæc ipsa inuisibilis est, & in se, & in signo; in se; quià est habitus animæ internus, nec oculis subiectus; in signo; quià huiusmodi habituum nullum datur sensibile signum, quod eos repræsentet, quæ quidem eam inuisibilem videntur & probare, & reddere. Sed absit; vt inuisibilem concedamus Ecclesiam; esset enim imaginariam fermè adstruere Rempublicam, quam tamen in huius operis vestibulo meritò exclusimus; quamque, vtpotè, visibilem, veris legibus, ac sensibilibus sacramentis instruxit conditor eius. Visibilis est Ecclesia, visibilemque testantur Diuina sacræ scripturæ oracula, quæ Ecclesiæ nomen visibili hominum congregationi significandæ adaptant, vt indicarent non esse illud inuentum ad inuisibile quidpiam stemonstrandum. Confirmant Prophetarum vaticinia, & præsertim Isaię, qui Ecclesiam sub domus imagine considerat, & demùm Euangelicum testimonium, quod Ecclesiam, vt ciuitatem exhibet, sicque semper visibilem; & apertiùs imperat Dominus corrigenti fratrem incorrigibilem, vt dicat Ecclesiæ; *Dic Ecclesiæ*. Vt quid enim hoc præceptum, si Ecclesia nos non posset audire, nec nos eam cernere, & intueri? dixit quidem magna Nycena synodus *Credo vnam Ecclesiam*, & credere est non apparentium; at non per hoc rectè inferas sensibile, aut visibile credi non possa; sat enim ad fidem, si à visibili, aut sensibili, quod percipimus, attollamur ad quid insensibile, ac longè sublimius. Sacramenta per sensibilia

Ad Hebr. 11 1.

Num. c. 20. Lib. de Reg. cap. 8.

cap. 2.

Matth. c. 5.

Matt. c. 18.

lia signa ministrantur, & tamen in sensibilibus credimus diuinum aliquid, ac insensibile inesse, ac per ea nobis conferri, quod sola supernaturali fide capere possumus. Credimus Ecclesiam, at non abstractam, confusam, a singularibus separatam, aut idealem, sed concretam, in singularibus constantem, hancque intuentes eam ipsam vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam credimus fide supernaturali, & infusa, eo modo planè, quo credentes, qui videbant Christum in carne hominem quidem videbant, at eundem Messiam promissum, Dei filium, ac verum Deum credebant; non igitur repugnat omninò visibilitas fidei, nec ex eo, quod credamus Ecclesiam, *Vnam, Sanctam &c.* impedimur, quò minùs cum veritate eam asseramus visibilem, qualis dupliciter dici potest; Primò, quia Ecclesia illa, quam fide credimus esse veram, est obiectum reale, quod oculis cerni, audiri auribus, ac fermè dicamus, manibus potest tractari; sat enim hoc est, vt obiectum aliquod verè dicatur sensibile in se, etiam si de illo aliquid supra sensum, & longè sublimiùs appræhendamus, & credamus. Secundò, non solùm quòad visibilem hominum cętum, sed etiam quòad internam eius formam, quamuis non in se, sed in alio; quia scilicet habet Ecclesia effectus, signa, & notas, quę ad formam eius assequendam nos eleuant, sicut in homine ab effectibus, & operationibus sensibilibus videmus eius animam visibilem alio modo. quàm sit visibile corpus; anima mediatè, sed immediatè corpus.

8 In ipso autèm fundatæ Ecclesiæ limine signa præscripsit Dominus, ex quibus intueri veram Ecclesiam possent fideles; fundationem enim eius Apostolis iniunxit; *Euntes in Mundum vniuersū prędicate Euangelium omni creaturæ*: moxque subdidit; *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur*, & enumerat quinque signa, quæ dici possunt notæ ipsius Ecclesiæ, & per quæ facta est statim, ac in sui primordio visibilis; perseuerarunt hæc signa, quamuis non adeò frequentia, nè aut vilescerent assiduitate, aut animus solicitè nimis semper sensibilia quæreret; sunt adhuc hæc ipsa signa in Ecclesia, & fieri possunt, ac fiunt iuxtà supremam Diuinæ sapientiæ dispositionem, vt obseruat *D. Augustinus*, at prætèr hæc signa, quæ dicere possumus transitoria, & quæ in pullulante Ecclesia necessaria omninò fuerunt, sunt signa adhuc alia, quæ dici possunt permanentia, & quæ à scribentibus notæ veræ Ecclesiæ appellantur. Has notas enumerare, ac exhibere nobis sat fuerit, prostat enim cuique optanti amplissima cuiusque earum tractatio apud *Bellarminium*. Prima omnium erit hucusque à nobis tractata à Catholicæ, & Apostolicæ nomine desumpta; Secunda antiquitas, quæ iam fuit examinata, cum Ecclesiæ originem detegeremus; Tertia est duratio, ac perseuerantia; Quarta amplitudo, & latitudo; sed hæ omnes, tùm quæ respiciunt tempus, tùm quæ referuntur ad locum sub catholicæ nota compræhenduntur. Vndè vix est, vt tanquam notas per se distinctas enumeremus; Quinta est conspiratio, & vniformitas doctrinæ cum antiqua Ecclesia; hæc constantia planè mira in Ecclesia; Sexta, vnio membrorum Ecclesiæ

Mar. c. vl.

Lib. 22. de Ciu. Dei. c. 8.

Tom primo controuers. De Eccles. milit. lib. 4.

inter se, & cum capite suo visibili. Septima sanctitas doctrinæ, & verè non potest esse nisi sancta doctrina eius, quæ per se sancta est; Sanctitatem doctrinæ, (& est nota octaua) consequitur eiusdem doctrinæ efficacia, *viuus enim, & efficax sermo Dei, ac penetrabilior omni gladio ancipiti*; qualem vim nunquam habuere philosophorum verba. Nota nona est Ecclesiæ maximè propria, miraculorum gloria, quam nulla vnquam secta sibi valuit vsurpare, quantumuis affectauerit; *Vnde signum quodam firmitèr inhærens Ecclesiæ Christi* appellauit eam *Baronius*. Decimam notam constituit Propheticum lumen, quod Ecclesiæ adeò proprium, vt si quando sectæ extrà Ecclesiam adrogare tentauerint, earum prophetæ elusi ipsi illuserint alijs; quandò præuidere, ac prędicere certò futura summi Dei est; quicunque alius tentauerit decepit ipse deceptus. His cumulari possunt tres aliæ, quæ sunt planè extrinseca signa, confessio scilicet aduersariorum; infelix eorum exitus, qui infensi Ecclesiæ ipsam oppugnarunt, sicut, & eorum fælicitas, qui Ecclesiam promouerunt, quas notas historiarum monumenta apertissimè confirmant. His omnibus coronidem dat postrema, sed & omnium summa, eaque est successio Episcoporum in Romana Ecclesia continua, nec vnquam intercepta, ac perpetua serie à Petro deducta; quam luculentissimè exaggerat *Tertullianus*, & disertissimè exhibet in hæc verba *S. Leo Magn.* *Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum Mundi corpus effunderet; sicque per sacram B. Petri fidem caput orbis effecta latiùs præsideret religione Diuina, quam dominatione terrena.* Est ergo Roma tantæ Reipublicæ, siue Ecclesiæ Metropolis; at non Roma (vt sic loquamur) in ratione materiali sua, sed quatenùs facta Sedes Petri, indè est adepta primatum, per quem latiùs dominetur, quam vnquam humano principatu imperauerit; meritò igitùr continuata Pontificum Romanorum series à Petro intèr præcipuas veræ Ecclesiæ notas connumeratur, & cum hac proprietates simul, ac notas tantæ Reipublicæ claudimus.

D. Paulus ad Heb. c. 4.

Annal. tom. 1. anno 58.

De præscr. Heret. c. 32

Serm. 1. in Nat. Ap. ß.

CAP. III.

Qui Ciues.

1 *Dupliciter sumitur Ciuis.*
2 *Opiniones variæ.*
3 *Vera opinio, & Ecclesiæ assignatio, Ciuiumque eius.*
4 *At non omnes eodem modo.*
5 *Quid de Schismaticis; Quid de excommunicatis.*
Quid de infidelibus, & hæreticis occultis.

1 DVM inquirimus Ecclesiæ tanquam Reipublicæ, quinam sint Ciues, ciuem non sumimus iuxta præcisam illam, ac propriam acceptionem, qua ciuem designauit *Aristoteles*; *Ciuis simpliciter nulla alia re definitur magis, quàm quod sit iudicatus, & magistratus particeps*;

Lib. 3. Polit. cap. 1.

ticeps; sed secundùm latiorem, eumque intelligimus, qui ad constituendum, & integrandum huiusmodi Reipublicæ corpus concurrit, quamuis iudicatus, & magistratus non sit particeps, in quem sensum, & Aristoteles ipse pueros, & senes ciues appellauit, quamuis iudicatus, & magistratus non sint participes, quatenus pueri nondum admissi, senes verò dimissi à muneribus ciuilibus sunt, ideòque actu ea non participant. In assignandis ergo huius Reipublicæ ciuibus variatum, immò erratum multiplicitèr fuit; *Bellarminus* quinque aberrantes, ac damnandas sententias distinxit. Nos cum *Melchiore Cano* commodiùs ad tres redigemus; latior enim diuisio subdiuisio potiùs est ex Neotericorum errantium placitis; omnes per excessum ad extrema à veritate recedunt; sed eo omnes intuitu, vt Ecclesiam adstruant inuisibilem, indè ad maiora, & peiora prospicientes.

Lib. 3. de Eccl. c. 3.

De locis theol. lib. 4. c. 3.

2 Nonnulli ergo Ecclesiam adeò perfectam sibi proposuere, vt non nisi ex purissimis, & ab omni peccati labe immunibus velint constitui; ità visum antiquis Catharis, quibus accessere Donatistę in Aphrica, nec non Pelagiani, vt testatur *D. Augustinus*; nouissimè, & Anabaptistæ, nullam infirmitatem in Ecclesia admittentes. Alij solos prædestinatos ad Ecclesiam tanquam ciues pertinere voluerunt, eamque ex solis prædestinatis coalescere, quam & definiunt prædestinatorum congregationem; ità Ioannes Vuicelphus, & Ioannes Hus damnatus vterque in Concilio Constantiensi. Alij Ecclesiam ex iustis quidem constitui senserunt, at non omnibus, & quibuscunque, sed ijs tantùm, qui nunquam lapsi sint à fide, & constantèr in eius confessione perstiterint; nec tamen eadem est hæc opinio cum prima; illa enim omnes omninò peccatores ab Ecclesia arcet, hæc verò insignes tantùm peccatores eliminat. Ad has opiniones reuocat Bellarminus sententiam hæreticorum huius temporis, tanquam de singulis illius quidpiam participantem, quam collationem dimittemus, cum prostet apud eundem. In extrèmas, ac rigidas hasce opiniones ex eo deuenere, quòd perfectionem summam in Ecclesia concipientes, nihil imperfectum admittere secum posse crediderint, inducti obuijs sacrarum scripturarum auctoritatibus, quibus Ecclesia *Hortus conclusus*, *fons signatus*, & *puteus aquarum viuentium* dicitur, quæ epitheta ponderans *D. Augustinus* ait. *Non audeo intelligere nisi in sanctis*, & *iustis*. Ibidem sponsam Ecclesiam sic alloquitur sponsus; *Tota pulchra es amica mea*, & *macula non est in te*; quod sanè elogium Ecclesiæ non aptaretur, si turpes, ac deformes moribus contineret. Vnde *D. Paulus* Christum se ipsum tradidisse scribit, *vt Ecclesiam sanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo vitæ*, *vt exhiberet ipse sibi gloriosam non habentem maculam*, *aut rugam*, *sed vt sit sancta*, & *immaculata*. At quomodo sancta, quomodo immaculata si simul cum bonis malos etiã inuolueret? Verùm hæc asserere est Ecclesiam ex ingenio sibi confingere, & sub colore altè, & perfectè de ipsa sentiendi eam destruere, & ad maius excidium viam sibi sternere. Immò alij Ecclesiam diuidunt, duasque faciunt, vt faciliùs ordi-

Lib. de Hæres. c. 88.

Cant. 4.

Lib. 5. contr. Donatist.

Ad Ephes. c. 5.

nem

nem, ac verum Ecclesiæ regimen subuertant.

3 At vnam iam statuimus Ecclesiam, ipsamque catholicam, siue vniuersalem, & assignauimus esse congregationem omnium fidelium, qui in veram, & rectam fidem consentiant, sacro regenerati baptismate, vincti, simuluè nexi sacramentorum communione, sub legitimorum Pastorum regimine, & præsertim vnius supremi Romani Pontificis; quicunque ergo siue iusti, siue peccatores, siue boni, siue mali per baptismi ianuam hunc ingrediuntur cętum, recta fide viuunt, de sacramentis participant, & cum legitimis superioribus supremum omnium agnoscunt, & colunt, hi legitimi huius Reipublicæ ciues, ac Dei Patris, Ecclesiæque Matris censentur, & veri sunt filij sine vllo bonorum, aut malorum discrimine quoàd hunc effectum. Eam nobis exhibuit, delineauitque Ecclesiam Christus Dominus per varias sensibilium figuras, variasq; similitudines; modò enim ipsam similauit areæ, in qua cum tritico sunt & paleæ; modò messi, cui cum tritico misceatur & zizania; modò sagenæ in mare demissę, in qua & boni pisces concluduntur, & mali; Regnum cælorum constare dixit ex virginibus decem totidem prudentibus, totidemque fatuis; *Diuus Paulus* intèr Galatas Ecclesiam agnouit; & tamen erroribus deprauatam rigidè arguit. Corinthiorum Ecclesiam per literas visitat idem Apostolus, & peccata nedum, sed flagitia, & crimina ipsi exprobrat, ac punitionem comminatur; & tamen sanctam societatem appellat; habet Ecclesia carnales suos, quos instruendòs à spiritualibus in spiritu lenitatis monet idem Apostolus; habet suos ægrotantes, & infirmos, quibus parauit Christus medicinas, ac remedia sua, sacramenta scilicet, & præcipuè pęnitentiam, quæ inutilis, ac superuacanea esset in Ecclesia, nisi supponerentur in ea peccatores, qui per pęnitentiam essent curandi; *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*; inquit *Ioannes Apostolus*. Velle igitur Ecclesiam ex solis perfectis, & ab ea excludere peccatores, est eam sibi fingere, aut constituere, quam nunquam inuenias, & quam nunquam valeas ostendere, qualem planè volunt, qui inuisibilem faciunt, altiora molientes, vel demoliri studentes. Cæterùm fatendum est, quòd quamuis omnes, qui per baptismum tanquam veram, & vnicam sanctam Ecclesiam ingrediuntur, efficiantur, & conscribantur huius Reipublicæ ciues, & in ea existant, non tamen omnes eodem modo ad ipsam pertinent, aut ipsi eodem modo iunguntur.

Matth. Luca 3. — Matth. 13. — Matth. 13. — Matth. 25. — Ad Galat. 1. — 1. ad Corin. 5. 1. — Epist. 1. c. 1.

4 Nectuntùr enim Ecclesię ciues virtutum nexu, & præsertim fidei, spei, & charitatis, quæ dicuntur vinculum perfectionis; qui ergo triplici hac virtute coniungitur perfectè in Ecclesia est, nobiliori modo ad Ecclesiam ipsam pertinet; qui verò sola fide, & spe, omissa charitate, sed sanctorum communione, cæteris nectitur fidelibus, hic quidem in Ecclesia est, & ad Ecclesiam pertinet, at imperfectiori modo. Corpùs quodam viuum contemplatur *D. Augustinus* in Ecclesia, in quo & anima sit, & corpus; anima sint interna dona, & virtutes, fides, spes, & charitas; corpus sit fidei professio,

Breuic. Col. lat.

sio, & sacramentorum communio, quæ duo sensibilia, ac tangibilia sunt, non secus, ac corpus. Qui igitùr, & corpori, & animæ Ecclesiæ, adeòque eius capiti iunguntur interiùs, & exteriùs, hi perfectè sunt de Ecclesia, & in Ecclesia. Qui verò secundùm animam tantùm, vel secundùm corpus tantùm, iuncti quidem sunt isti Ecclesiæ, sed non adeò perfectè; primi sunt per fidem, charitate informatam, secundi verò per fidem charitate destitutam, quæ secum peccatorum maculas, ac sordes compatitur. Dùm ergo appellatur Ecclesia *Hortus conclusus, fons signatus, & puteus aquarum viuentium*, spectatur ipsa quatenus ex perfectis constat per fidem ex charitate operantem, & ex ijs, qui non solùm numero, sed etiam merito ad Ecclesiam ipsam pertinent, quales iusti, & sancti; hoc tamen non excludit, aut impedit, quò minùs, & illi, qui fidei integritatem habent, quamuis informem, & charitate destitutam ad Ecclesiam ipsam, licèt imperfectè, pertineant. Quem etiam sensum recipit illud eiusdem Ecclesiæ elogium. *Tota pulchra es amica mea*; tribuitur enim illorum intuitu, qui sine vlla lethalis peccati labe viuunt, hi siquidem inducunt, vt tota pulchra cùm veritate possit denominari, quamuis illorum respectu, qui lapsi sunt in peccatum, eadem nigra & fusca dicatur; at nihilominùs & formosa. Vnde, & Ecclesia ipsa, quasi occupans, ait, *Nolite considerare, quod fusca sim.* (*Cant. 1.*) Quod autem Ecclesiam asserat Apostolus sine macula, & sine ruga, non tam accipiendum de Ecclesia secundùm statum præsentem, quàm secundùm statum, ad quem peregrinam modò agens finalitèr tendit, sic enim exponit *D. Augustinus*, ac firmauit, & alibi; (*Lib. 1. de perf. Iust. lib. 2. retract.*) sunt igitur peccatores Ecclesiæ ciues, neque enim imperfectio, & defectus tollit, quominùs quis sit verè ciuis, quamuis non adeò absolutè, perfectè, vt & de ciue in Republica obseruat vbi supra Aristoteles; licèt enim quis peccator omni destituatur virtute interiori, attamen si spe, aut metu aliquò temporali fidem profiteatur, ac seruet, communicet in sacramentis, sub Pastorum regimine, adhùc in Ecclesia erit, sicut humores mali sunt in corpore naturali. Ex quo principio inferre rationabilitèr licet; non baptizatum nullatenùs ad Ecclesiam pertinere tanquam Ciuem, cum nondum fuerit adscriptus; est baptismus ianua omnium sacramentorum; non erit igitùr in Ecclesia, qui nondum legitimè est ingressus, sed foris adhuc existit, & nec actu, nec potentia Ecclesiam ipsam tangit. Catechumeni actu quidem nondum sunt in Ecclesia, cum nondum per baptismi ianuam sint ingressi, at proximè, in potentia, ac velut in limine sunt mox ingressuri, eosque in vestibulo pietatis esse, ait *Diuus Gregorius Nazianzenus*; (*Orat. in S. Lauacr.*) de Catechumenorum salute scimus, nec immeritò, dubitatum, at ingredi disputationes huiusmodi nostræ non sunt partes; proficere ipsis baptismum in voto, quem, & baptismum flaminis dicere possumus, hocque satis, ne ipsi perdantur, nec tamen omninò sine baptismo saluantur.

Infertur secundò; Hæreticos, & Apostatas non esse in Ecclesia; sed tanquam extorres, dici non posse ampliùs huius Reipublicæ Ciues, immò tanquam maiestatis reos amit-

tere

tere ciuitatem, nec ampliùs inter ciues computari. Sic de hæretico iudicauit *D. Paulus*; *Hereticum hominem post vnam, & alteram correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus*; meritò; est enim Ecclesia fidelium congregatio, quo nomine venire non potest hæreticus homo, & apostata. Sunt quidem in agro triticum, & zizania, in area grana, & paleæ, in magna domo vasa in honorem, & in contumeliam; at hæreticos hisce exemplis comprehendi non sinit omnimoda eorum exclusio ab Ecclesia, nam per zizania, & paleas hæreticos non intellexit *D. Cyprianus*, & alitèr parabolam de agro, & zizanijs exposuit Christus Dominus, & dictum *D. Pauli* de magna domo, & vasorum discrimine variè exposuere Patres tùm græci, tùm latini, & præsertim *Ambrosius* nunquam vasa lignea de hæreticis accipientes, quos non esse in Ecclesia expresè nimis sensit *Cyprianus* de Nouatiano scribens; *scias, nos primo in loco, nec curiosos esse debere quid doceat, cum foris doceat; quisquis ille est christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est*.

Ep. ad Tit. cap. 3.

Lib. 3. ep. 3. lib. 4. ep. 2.

Matt. c. 13.

Tom. 3. in cap. 2. 2. ad Thimot.

Lib. 4. ep. 2. post. med.

5 Consequenter autem inferre possumus, nec schismaticos, quamdiù schisma durat, ciues esse censendos; nàm intèr Ecclesię proprietates ex symbolo fidei omnium numerauimus primam *Vnam*, & vnitatem, cui nil magis contrarium, quam schisma, quod scissuram significat; schismaticos extrà Ecclesiam exhibet rete scissum apud *D. Lucam*; & egredientes pisces. Vndè pulchrè *D. Cyprianus* agnoscens in tunica Christi inconsutili Ecclesiæ vniratem *possidere non potest indumentum Christi, qui scindit, & diuidit Ecclesiam Christi*: ideòque scismaticos extra Ecclesiam statuit Pelagius *Sum. Pontif. in Can. Pudenda. in Can. schisma 24. quæst. 1.* Inferimus tandem vltimò; excommunicatos non esse in Ecclesia, nec ciues censeri, idque vel ex ipso Christi Domini verbo, qui de contumaci, & incorrigibili peccatore loquens ait. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*. Ethnici certè non sunt in Ecclesia; vnde & eliminandi termino, ad omnimodam exclusionem indicandam, vsa est Synodus Arausieana relata in *Can.* 107. *Canonica* 11. *quæst.* 3. *Ecclesiarum Dei violatores* (ait ibi Text.) *auctoritate Dei, & iudicio Sancti Spiritus à gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, & à consortio totius christianitatis eliminamus*. Hancque ipsam Ecclesiæ intentionem expellendi scilicèt, quos censura notat, expressit *Tertullianus*. *Summum futuri Iudicij præiudicium est, si quis ità deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur*; Verùm quid vltrà relegationem operatur excommunicatio; nàm imò deportationi similima est, quandò deportatus ciuitatem amittebat, & ad peregrinitatem dicebatur redigi. *l. quidam* 17. *ff. de pæn.* hæcque ipsa in locum interdictionis aquæ, & ignis fuit subrogata. *l.* 3. *ff. ad l. Iul. peculat.* cui persimilis excommunicatio, quæ successit in locum mortis in antiqua lege infligi solitæ; *Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunt interfectio*, ait,

Cap. 5.

De simp. Prælat. seu de Eccl. Vnit. in princ.

Matt. c. 18.

In Apolog. cap. 39.

Quæst. 39. in Deuteronom. ait *Diuus Augustinus*; Et demùm apud Iurec. capitis diminutio, maxima, quæ mors ciuilis erat, libertatem, ciuitatem, familiam adimebat *l. fin. ff. de Capit. diminut.* excommunicatio autem capitis minutio est *arg. tex. in cap. qualitèr 24. de accus.* qua quis ab Ecclesiæ communione repellitur, & morti traditur. *Can. omnis 11. quæst. 3. Inobediens mucrone spirituali truncatur, & eiectus rabido dæmonum ore discerpitur*, ait *Diuus Hieronym. in cap. absit 11. quæst. 3.*; siue morti igitur, siue deportationi, siue maximæ capitis diminutioni æquipollere faciamus excommunicationem, certè ciuitatem amittens excommunicatus extrà Ecclesiam erit; *eiusmodi enim homo nullo ampliùs vinculo, aut nodo cum Deo, & cum Ecclesia cohæret*. scribit *Morinus*. *Libr. 2. exercitat; exercit. 16.* Poterit quidem ipse retinere baptismum, fidei professionem, subiectionem supremo capiti, cæterisque Prelatis, & esse adhuc amicus Dei, si iniustè censura ei fuerit inflicta, & si fortasse iustè, hæc ipsa omnia habere, & insuper pœnitentiam agere; at non per hoc erit in Ecclesia externa communicatione, quæ propriè operatur, vt homo sit de Ecclesia, & in Ecclesia, ac congregatione visibili; erit quidem in Ecclesia animo, voto, & affectu, idque ei proficiet ad salutem, *Hos enim coronat in occulto Pater, qui in occulto videt*, ait *Diuus Augustinus*. *De vera relig. c. 6.* Est quidem excommunicatio medicina; at hoc non tollit, quò minùs curandos ab Ecclesia expellat, expellit enim, at non ità, vt spem reditus, ac postliminium tollat, si expulsum pœniteat, ac satisfacere statuat; interim igitùr, & iustè, extrà visibilem cætum, & extra Ecclesiam erit, nec Reipublicæ dici poterit ciuis. An autèm infideles, vel hæretici occulti, at extrinsecùs catholicam fidem ob timorem, commodum, aut humanum quidpiam profitentes ciues adhùc sint censendi; negant Nouatores, negat Turrecremata, sed non eodem sensu; Nouatores absolutè negant. At Turrecrementa intelligit de interna vnione, adeòque asserit hæreticos tanquam perduelles non esse vnitos Ecclesiæ corpori interna vnione, quod negari nullo modo potest; at veriùs, illos, qui externa, & apparenti tantùm professione hærent Ecclesiæ, cæterisque fidelibus coniuncti, membra adhùc esse Ecclesiæ, sed arida sine vita, planèque mortua, qui vt in Ecclesia esse dicantur, sat est vnum baptisma, sacramentorum contesseratio, & communio; ideòq; Rectores, & Ministri Ecclesiæ quantumuis occulta hæresi laborent, potestate, & iurisdictione sua non priuantur, & tamen non esse eos adhuc Reipublicæ partes nullus dixerit. Sic enim anima in naturali corpore non eandem vim omnibus membris tribuit; sed pro varia eorundem capacitate, ac dispositione varios etiam effectus ipsis impertitur; arescente enim membro aliquo, ac intercepto animæ influxu cernimus quidem ipsum reliquis partibus adhùc continuum motum tantùm externum participare à spiritu, nulla vitali intrinsecùs refouente vi. Hoc ipsum in mystico corpore, vel composito operatur Dei spiritus, quasdam enim partes ità animat, vt viuificet, ipsæque vitales operationes exerant, in quasdam verò ità agit, & influit, vt non vitam, sed interiorem quandam

dam

dam spirationem vitali similem largiatur, in alias verò nihil infundat, sed sola continuatione, & situ cum reliquis membris relicto, quasi aridas, ac mortuas destituat adeò, vt solùm à spiritu cum reliquo corpore moueantur, quæ quidem partium continuatio, & series licèt pertenuis, & permodica, attamen adeò valet in Ecclesia, vt partes ipsæ ob locum, quem adhùc tenent, & partes, & membra sint; vnde nec brachium desinit esse brachium, non caput desinit esse caput, vtcunque intrinseco animę non gaudeant influxu. Hocq; ipsum intendimus, dum occultos hæreticos esse adhùc in Ecclesia, & Ecclesiæ partes asserimus, & ciues.

Meditetur intrinsecùs quis in humana republica perduellionis, & maiestatis crimen, hocque mente reuoluat, concipiat, firmet, at praui huius animi nullum, vel minimum exerat indicium; certè hunc non esse adhuc ciuem dixerit nemo, aut suum amittere gradum, quando merè internus actus humanæ politiæ non subiaceat, nec cogitationis pęnam patiatur quispiam *C. sicut de simon. C. cogitationis de pęnit. dist.* 1.
Ep. 1. c. 2. Idque omne firmat, *Ioann. Apostoli* dictum in epistola sua; *Nunc Antichristi multi facti sunt, ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis mansissent vtique nobiscum*. De hæreticis loquitur in hisce verbis Ioannes, eosq; ait, *non fuisse ex nobis*, quia peruersè sentientes catholici non erant, nec animo, & fide in Ecclesia erant; *sed exierunt ex nobis*, quia corpore in Ecclesia existentes, cum primùm se hæreticos prodiderunt, & ab Ecclesia defecerunt, & animo, & corpore extrà Ecclesiam esse cęperunt. Quandiù igitùr vixere occulti interno vinculo non erant quidem in Ecclesia, & ideò non erant ex nobis; sed vtique solo externo nexu, quem se ipsos prodendo rumpentes exierunt ex nobis, sicque facti omninò extrà Ecclesiam, quam visibilem iàm ostendimus. Hucusque de huius Reipublicæ ciuibus; iàm nunc ad potestatem transeamus.

CAP. IV.

Quæ Potestas.

1 *Duplicis potestatis occasio, & origo.*
2 *Ratio, & fundamentum eius.*
3 *Cui data; opinio prima Ioannis Gerson.*
4 *Opinio vera cum fundamentis.*
5 *Soluuntur, quæ in oppositum.*
6 *Diuisio Ecclesiæ potestatis in potestatem ordinis, & iurisdictionis; & subdiuisio, & origo.*
7 *Differentia Ecclesiasticæ, & sęcularis potestatis, quoad originem, & quatenus vtraque à Deo.*

1 SAT esset supponere, quod iam supra firmauimus tanquam principium, Ecclesiam scilicet, prout est hominum congregatio æquè ecclesiasticos & laicos comprehendens, esse Rempublicam, vt indè per se constet, & consequentèr inferre liceat, in ipsa esse potestatem, qua regatur ad finem suum, qui est longè sublimior, quàm natura ipsa præscribat, imò, &

& capiat. Humana enim Res publica, prout Ecclesia est, duplicem respicit finem, vitamque duplicem intendit, & vtramque beatam, temporalem, & æternam, naturale, & supernaturale bonum, ad quod vtrumque, tanquam medium, duplex est assignata potestas; altera, quæ ciues ad naturalem fælicitatem per naturalia media, ac morales virtutes promoueat, altera, quæ ad supernaturalem per theologicas virtutes dirigat, sicque duo cardines constituti, quibus totus innititur orbis, ac humana Respublica fulcitur, & regitur, Sacerdotium, & Imperium, cui vtrique sua respondet vis, suaque potestas, spiritualis, & temporalis, ità dispositæ, vt vna alteram non impediat, sed se inuicem iuuent, ac ciues ad indefectibile bonum perducant. Duos hosce cardines distinxit *Gelasius Summ. Pontif. in Epistol. ad Anastasium Augustum*, vnde traxit *Gratian. text. in Can. duo sunt 96. dist. Duo sunt* (inquit Gelasius) *Imperator Auguste, quibus principalitèr mundus hic regitur; Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas*. Resumpsit, & Gregorius relatus in *Can. Nos si incompetenter 2. q. 7.*; firmauit & Nicolaus Papa in Ep. 1. sua ad Michaelem Imperatorem; eodem sensu, ac iisdem fermè verbis *Innocentius III.* scribens Constantinopolitano Imperatori, & est in *capit. solitæ de maior. & obedien.* per sublime paradigma solis, & lunę approbauit. Ponderat disertissimè *Bernardus* scribens ad Corradum Romanorum Regem & demùm prosequitur haùd minùs eleganter *Greg. Nazianz.* duo distinguens Imperia, Magistratuum, & Episcoporum.

Tom. 1. ep. decr. Sum. Pont. pag. 391.

Ep. decret. lo. 3. p. 57.

Epist. 243.

Orat. 17.

2 Et meritò; vulnerata enim per primi parentis lapsum humana natura habet opus, vt incitetur ad bona, & deterreatur à malis, ad quod vtrumque instituta temporalis, siue sæcularis potestas. At præter naturæ bonum, ad quod tendit, ac naturalia mala, ad quæ prolabitur, est adhuc supernaturale bonum, sunt mala, sunt pęnæ vlterioris vitæ, & ad hoc vtrumque sua data potestas, eaque spiritualis, quando temporalis ad hæc longè sublimiora captu, & nisu suo non consurgit. Excurre, & considera hominem in quocunque statu à sui primordio, & prężesse ipsi spiritualem potestatem spectabis. Respice à Deo recentem, & in statu innocentiæ, in quo conditus, & conijcies (si in eo perdurasset) spiritualem aliquam potestatem extituram. Ex anima, namq; & corpore constabat; vnde, & necessaria potestas, quæ vtrumque in Dei cultum dirigeret, nec alia hæc quidem, quam spiritualis, quæ coactiua non fuisset, quandò cum rectitudine rationis, & originali iustitia nulla viguisset contumacia per superiorem potestatem coercenda. Cecidit à beato statu homo, nec tamen ordinem ad Deum, vt supernaturalem finem amisit, & ad hunc dirigi debuit potestate conformi, quæ spiritualis, sicut ad naturalem per sæcularem. Neque enim in hoc naturæ, licèt corruptæ, statu hominem Deus deseruit, at sacramenta, sacrificia, aliosque ritus ad sui cultum inspirauit, & ad spiritualem rationalis naturæ statum excitauit. Successit lex scripta, nec defuit spiritualis potestas, sacerdotio, spiritualique ministerio instructa, quod cum sacerdotio nouæ le-

gis

Epist. ad Hebr. c. 7 gis conferre *Diuus Paulus* non dubitauit. Qualiscunque ea fuerit, fuit futurorum vmbra, eamque perficiens expunxit vera spiritualis potestas, quam clauium nomine, ac ligandi, & soluendi munere Apostolis suis demandauit Christus Dominus, & Deus. Poterat ipse Deus idem, & homo peccata dimittere potestate illa, quam excellentiæ appellant Theologi, citra sensibilium, aut materialiũ concursum, vel vsum; hanc ipsam, sed sensibilibus alligatam, per sacramenta, sensibiliaque signa exercendam reliquit in Ecclesia sua, potestatemque instituit, qua Respublica tanta, & administraretur, & regeretur ad supernaturale bonum, in finem æternæ vitæ. Consentiunt in hanc potestatem omnes, qui in Ecclesia; at dubitant aliqui circa duo; cui scilicet data potestas tanta; & qualis ipsa; spiritualem enim merè volunt, inermem, omni iurisdictione, & coactiua vi destitutam; de vtroque dubio paucis. Quoad primum.

3 Spiritualem potestatem à Christo datam volunt Ecclesiæ, ac penès eam residere, & quasi in Ecclesia sit tota Reipublicæ maiestas, ab ipsa quicunque habent, recipere, & tanquam inferiores dependenter ab ipsa Ecclesia, à qua receperint, exercere. Assertionem firmant; *Matth. c. 18.* præscribit Christus Dominus modum fraternæ correctionis; si coram duobus, aut tribus testibus corrigentem frater non audiat, *Dic Ecclesiæ*. Ad quid dicere Ecclesiæ, si penès Ecclesiam non esset tota potestas? Data quidem plenioribus verbis legitur hæc ipsa potestas Pontifici; sed primò volunt datam Ecclesiæ, quæ cum non possit adeò de facili congregari, & conuenire Summum Pontificem substituat, qui administret, & regat tanquam habens ab Ecclesiâ, eo modo planè, quo, & sæcularis potestas penès populum, ac Rempublicam est, quæ subinde transfert, aut in Regem, aut in optimates, aut retinet sibi. Demùm Deus, & natura immediatiùs, & essentialiùs intendunt priùs ad totum, quàm ad partem. Ecclesia est totum, Pontifex verò pars; primùm igitùr Ecclesiæ data summa potestas, & subindè Pontifici. Tribuitur hæc sententia *Ioanni Gerson*. *De pot. eccles. de auferibili Papæ, & de Statibus Ecclesiæ.*

4 Vt cumque sublimis hæc inquisitio Ecclesiæ politiam supponat, de qua nobis exactè inferiùs agendum, attamen, ea dilata, potestatem expendemus per se, vt abstrahentem a potestate ordinis, & iurisdictionis, ac vtramque eminentèr, ac virtualiter inuoluentem; est potestas in Ecclesia, tamquam in continente, at neutiquam in Ecclesia, vt in subiecto; idque euincit concludens planè ratio. Si enim esset potestas in tota Republica, & Ecclesia, aut esset iure naturali, aut humano, aut diuino. Non naturali, aut humano, quia hæc potestas tota supernaturalis est, ac ius ipsum naturale, & humanum longiùs excellit, quemcumque eiusdem potestatis effectum consideres siue gratiæ, siue sacramentorum, quos effectus nedum attingere, sed capere vix potest natura, à qua procedere nusquam potuit; non iure diuino; quia alium non agnoscimus auctorem huius potestatis, nisi Christum Dominum, eumdemq; Deum, & Ecclesiæ sponsum, caput omnis Principatus, & omnis potestatis;

Ipse



Ad Eph. c. 4. *Ipse dedit Apostolos* (ait D. Paulus) *Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores ad consumationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem Corporis Christi*; Christus autem ipse non ab Ecclesia, sed à Deo potestatem, & sacerdotium accepit; Ioann. c. 15 *Non vos me elegistis*, inquit; & c. 5. ad Heb. D. Paulus; *Sicut, & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum. Filius meus es tu, &c.* Potestatem igitur in Ecclesia nemo habet, nisi, cui Christus ipse tradidit, nec aliud eius subiectum, nisi quod Christus ipse constituit; non tradidit autem toti Ecclesiæ, sed certis personis in ea; primum enim in Petro fundamentum totius Ecclesiæ positurus personam eius præcisè desi- Matt. c. 16. gnauit; *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædicabo Ecclesiam meam, &c.* Summamq; potestatem paucissimis verbis ei daturus, amorem bis, & ter Ioann. 21. stipulatus, ipsi etiam dixit. *Pasce oues meas*, quæ verba quamuis tangant Petrum vt caput Ecclesiæ, & Ecclesiam ipsam respiciant, non tamen per ea dici potest, data ipsi ecclesiæ potestas, sed ob ecclesiam, in ecclesiam, & pro ecclesia exer- Ioan. c. 20. cenda, sic dictum Apostolis. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, ipsisque data potestas ad peccata delenda; data etiam ad Eucharistiam Luca 22. consecrandam. *Hoc facite in meam commemorationem*. Data demùm ad regendam ecclesiam Ioan. c. 20. ijsdem amplissima. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Non igitur data vniuersitati potestas, quę data præcipuis de vniuersitate; & ideò, si ecclesiastica potestas esset primò in ecclesia, iàm necessariò fieret, vt quicunque huiusmodi potestatem sunt adepti, ipsam haberent à Republica, vel communitate, & tamèn Apostoli, & Apostolorum successores potestatem, quam habuerunt, ab hominibus non sunt consecuti, sed à Christo, & alij successiuè ab Apostolis, qui quidem singuli iactare illud poterant, de quo gloriatur D. Paulus. *Non ab hominibus, nec per hominem, sed per* Ad Galat. cap. 1. *Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis*.

Res meri facti est; percurramus omnes scripturas, & nunquam legemus sacerdotes, aut alios ecclesiasticos gradus ordinatos ex populi auctoritate, sed à solis Pontificibus, & Prælatis, sic enim D. Paulus ordinauit Thimotheum, & Titum, sic alij alios; residens igitur hæc potestas in Apostolis, ac penès Apostolos ab alijs haberi non poterat, hęcq; ipsa cum contineat facultatem conficiendi Eucharistiam, quæ per consecrationem confertur, & ex consecratione competit, consecratio nec cadit in vniuersitatem, nec in ea potest seruari, cum supponat, & imprimat caracterem, cuius non est capax vniuersitas, sed homo singularis. Quandò alicui communitati est credita, & commissa potestas, omnes, qui sunt eius communitatis æqualitèr participant, aliàs non esset data toti communitati; & tamen non omnes de ecclesia æqualitèr se habent ad ecclesiasticam potestatem, & ad ecclesiæ claues, hocque indicium traditas non esse ecclesiæ, aut Reipublicæ vniuersę. Potestas spiritualis, quæ erat in veteri lege, & quæ fuit imago, & vmbra futurorum, non erat commissa toti Iudai-

co populo, aut toti Iudæorum Reipublicæ, sed restricta ad solam Leuiticam tribum; & multò minùs potestas spiritualis nouæ legis longè sublimior, longèque excellentior debet esse commissa toti populo, aut toti ecclesiasticę Reipublicæ. Sit hæc omnium rationum summa, quod tradita fuit potestas ecclesiastica Apostolis, & Petro; at ecclesiæ vniuersæ neutiquàm; & is eam habet, cui tradita, cui non tradita, non item.

5 Leuissima autem præ cęteris est ratio à verbo Christi Domini desumpta, *Dic Ecclesiæ*, quasi penès ecclesiam sit tota potestas, ac penès totum fidelem populum; excludit enim hanc illationem interpretatio, quam vobis *Dic Ecclesiæ* dedit *Chrysostomus*. *Dic Ecclesiæ* (exponit ipse) *Præsulibus scilicet, ac Præsidentibus*; rectissimè; nam verè dictum ecclesiæ, quod dictum præsulibus eius, cum, vel docente *Aristotele*, ciuitas dicatur, quod in ea est principale; vnde & factum à ciuitate id censetur quod factum à principalibus eius. Dicere ecclesiæ est ad publicum ecclesiæ tribunal deferre; seriem etenim peragendæ fraternæ correctionis Dominus ità disponit, vt famæ, & existimationi ipsius peccantis consulatur, quod si non proficiat correctio ad publicum ecclesiæ iudicium deferendum monet; publicum autem iudicium dicemus locum, & personam, quæ iuri dicendo in ecclesia præest. *l. penul. ff. de iust. & iur.* Populus autem in ecclesia ius non dicit, sed primores ecclesiæ, & ideò dictum ecclesiæ censetur, quod dictum præsulibus eius, & dicendum præsulibus, quod dicendum iubetur ecclesiæ. Nec magis vrget illatio à Republica sæculari, & humana, in qua primò penès populum tota regendi potestas, & à populo, aut in Regem, aut in optimates transfertur. Potestas enim ciuilis, siuè sæcularis naturalitèr est in tota Republica; eo siquidem ipso, quo homines vitam communem instituunt, statim naturaliter consurgit, atque resultat, tanquam necessaria ad finem, ad quem ciuilis hominum vita dirigitur, & ad bonum naturale, eaque cum sit naturalis, & à natura datur, tanquam quid commune, & consurgit primò in communitate, siuè Republica, ac subindè à populo in alios confertur. At spiritualis potestas tota supernaturalis, & à Deo, à quo, & non à republica habuit & Christus, inuerso modo procedit; nàm sæcularis à Republica in caput migrat, ac spiritualis à capite in Rempublicam tanquàm in membra descendit; neq; enim est necessarium, vt analogia inter corpus verum, & mysticum exquisitè in omnibus respondeat, sed sat est, vt in aliquibus conueniant, quamuis, & in pluribus differant; missoque discrimine multiplici inter mysticum corpus, & naturale in naturalibus, certè longè maximum est, quoàd spiritualia; Homo siquidem singularis, & in indiuiduo capax est gratiæ, & alterius cuiuscunque formæ spiritualis, quæ tamen hominum collectioni, vt collectio est, competere non potest, & ideò fides, spes, charitas, & quæcunque alia supernaturalis forma, sunt quidem in ecclesia, & rectè, ac verè dicimus esse in ecclesia, at non ità, vt sint in ipsa tanquam in immediato subiecto, sed in singularibus ipsius ecclesiæ; quorum sunt actiones, tanquam suppositorum; At

Homil. 61. In Matth.

Lib. Ethic. 9. c. 8.

At nonne dicimus habere ecclesiam claues? peccata dimittere? hæc non videntur posse dici cum veritate, nisi supponamus potestatem in ecclesia, a nquam immediato subiecto; rectè quidem hæc dicuntur de ecclesia, quamuis ipsa non sit potestatis immediatum subiectum, idque tripliciter, & verè, vt obseruauit *Card. à Turrecrem.*; primò, quia hoc facere dicitur ecclesia, quod faciunt primores eius, ex *Aristotele*; & ideò dicitur ecclesia peccata dimittere, quia sacerdotes, & Episcopi, qui sunt primores in ecclesia, ea dimittunt; secundò, quia nemo habet vsum clauium extra ecclesiæ vnitatem. *Can. Nouatianus* 7. *quæst.* 1. Vnde acutè *D. August.* (ait) *Claues Ecclesiæ non esse datas vni; sed vnitati. Can. multæ. Can. remissionem* 1. *quæst.* 1. Tertiò, quià sicut in sacramentis fides Christi, & ecclesiæ charitas operatur, ità & in ecclesiæ clauibus. *Can. Ecclesiæ charitas. de consecr. dist.* 4. Pro triplici ergò hoc sensu verissimè dicitur, ecclesiam peccata dimittere, excommunicare, absoluere, quamuis potestas ad hæc tradita penès ipsam immediatè non resideat.

Lib. 1. de eccl. c. 95.

Dist. lib. 9. Ethic. c. 8.

Per quam doctrinam corruit, & ratio, quod Deus, & natura prius, immediatiùs, & essentialiùs ad totum, quam ad partem intendat; Ecclesia autem est totum, & Pontifex pars. Hunc non syllogismum, sed paralogismum appellauit *Andreas Duual. doctor Sorbonicus*, eiusque fallaciam per plures allatas instantias euincit; sed dimisso logicali examine; esto quidem, quod Deus, & natura immediatiùs, & principalius intendat totum, quàm partem, adeòque priùs ecclesiam; at non per hoc rectè infertur, Rex propter regnum, Pastor propter gregem, Pontifex propter ecclesiam, ergo potestas, & claues immediatè sunt datæ ecclesiæ, & non Pontifici; fallax planè consequentia. In danda potestate bonum ecclesiæ, reipublicæ, & gregis spectantur; at non per hoc necesse, vt ecclesiæ sit data potestas, & sit ipsa immediatum subiectum, quod meritò, & iustè negatum. In hunc sensum loquitur etiam *Ioann. Gerson*, cuius auctoritas iactabatur; verba eius apertissima sunt. *Potestas Ecclesiastica in sui plenitudine est formalitèr, & subiectiuè in solo Romano Pontifice.* mox paulò inferiùs; *Plenitudo potestatis ecclesiasticæ est potestas ordinis, & iurisdictionis, quæ à Christo collata est supernaturalitèr Petro sicut Vicario suo, & Monarchæ primò pro se, & suis successoribus legitimis, vsque in finem sæculi ad ædificationem ecclesiæ militantis pro consecutione fælicitatis æternæ.* Repetit apertiùs consideratione sequenti; & en apertam Gersonis mentem. A subiecto potestatis, ad potestatem ipsam.

Contrà Anonim. pro Sum. Pont. Rom. potest.

De potest. eccl. consid. 10.

5 Potestatem ecclesiasticam diuidimus in potestatem ordinis, & iurisdictionis; quæ iurisdictionis est, diuiditur iterum pro duplici foro, quem respicit, & in quo exercetur, vt alia sit fori interioris, alia exterioris. Hæcque tota potestas apposita, & eleganti allusione ex ore Christi Domini, clauium nomine exprimitur, supremum enim apicem totius huius potestatis Petro tanquam ecclesiæ capiti promittens hac ipsa clauium metaphora est vsus; *tibi dabo claues Regni Cœlorum.* Inducitur hæc potestatis partitio ex dupli-

Matt. c. 16.

duplici subiecto, circa quod versatur; aliud enim est Corpus Christi verum, & aliud mysticum iuxtà *D. Hieronymi* distinctionem in *Can. dupliciter. de consec. dist.* 2. Indeq; meritò potestas duplex, quæ enim circa Corpus Christi verum sacramentaliter conficiendum impenditur, potestas ordinis est; quæ verò circa Corpus mysticum, quod est ecclesia, exercetur, potestas iurisdictionis, per quam fidelis populus ad supernaturalem finem, ac æternam beatitudinem secundùm diuinam legem dirigitur, & ordinatur; vtraque spiritualis est, supernaturalis vtraque, seu veriùs vna illa virtualiter multiplex, quam Deus ipse est largitus, cùm etenim omnem naturæ vim, & captum supergrediatur, aliunde quàm à Deo naturalium, & supernaturalium auctore prouenire non potuit; conficere namque Corpus Christi, & rationalem creaturam ad finem supernaturalem dirigere supra naturæ vires omninò est, & ideò ore proprio à Christo Domino, & Deo data Petro tanquam ecclesiæ capiti, tum & reliquis Apostolis, quod nil aliud est, nisi à Deo immediatè fuisse collatam.

7 Verùm à Deo processisse non sic proprium ecclesiasticæ potestatis, quin & competat sæculari, quæ à Deo immediatè asseritur à plerisque post *Marsil. de Padua* innixis *D. Pauli* auctoritate. *Non est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt; itaque qui resistit potestati Dei ordinationi resistit*; longè antea, cum iudaicus populus iudicum pertęsus Regem à Samuele petijsset, respondit Deus Samueli. *Non te abiecerunt, sed me ne regnem super eos*; à Deo igitur erat politia, & potestas, qua pridem iudæorum respublica regebatur. Indeque consonæ Sanctorum Patrum auctoritates Imperatores, & Reges Deo immediatè subijcientes *Tertullian. Opt. Meleuit. Chrysostom.*, *Ambros.*, & demùm celebrè illud effatum Osij Cordubensis Episcopi apud *D. Athanasium* Imperatorem alloquentis; *Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt ecclesiæ concredidit*; quæ verba, sensisse insignem illum Episcopum indicant ab eodem commissum Imperium Cæsari, à quo concreditæ sunt ecclesiæ Episcopis; & si dicatur, potestatem ciuilem generaliter, & simpliciter esse quidem à Deo, at contractam, & redactam ad certam politiam, siue regiminis formam, puta Monarchiam, Aristocratiam, & Democratiam esse immediatè à populo; occurritur, imò ipsi populo tantum non esse tribuendum, sed quæcumque vigeat regiminis forma, siue Regnum, siue Rempublicam immediatè à Deo recipere potestatem; sic etenim Romanus quidem populus vniuersam Reipublicæ potestatem per legem regiam transtulit in Augustum *l. 1. ff. de constit. princip.* attamen pactionem, & translationem illam Deus ratam habuit, & ius vitæ, & necis, tanquam Reipublicæ summam ipsi Augusto commisit. *Augustinus* apertissimè; *Qui Augusto Imperium dedit, ipse & Neroni, qui Vespasianis, vel Patri, vel filio suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo*. Antè *Augustinum Tertullianus*. *Indè est Imperator, vndè & homo antequam Imperator, indè potestas illi, vndè & spiritus*, & infrà in eundem sensum

Epist. ad Rom. c. 13.

1. Reg. c. 8.

Ad Scapul. l. 3. contra Parmen.

1. ad Thimoth. Hom. 6.

In epist. ad Rom. c. 13.

Epist. ad solit.

Lib. 5. de Ciu. Dei c. 21.

In Apologetico c. 30.

sum idem sæpiùs. Sit quidem Regia, & sæcularis quæcunque potestas à Deo, mediatè, an immediatè non morabimur, dum à Deo sit; quando Deus ipse nos latere voluit modum, quo Regibus, & sæculi Principibus potestatem tribuat; nullibi enim reuelatum habemus intèr Diuina oracula, quod primo Regi, siue electo ex hominum consensu, siue per vires suas occupanti, & inuadenti (vt plerique volunt fecisse Nemrod primum Regem) Deus immediatè, & per se potestatem contulerit; sicut nec pro certo nobis asserere, aut ostendere possunt Tertullianus, & Augustinus Deum immediatè Augusto, Vespasiano, Tito, Domitiano Imperium Romanorum contulisse speciali quodam, & immediato concursu; sciamus potestatem omnem à Deo esse, licet ignoremus modum eiusdem à Deo applicandæ; hoc certum, quod vtraque tàm ecclesiastica, quàm sæcularis potestas sit à Deo, modus tamen, quo tradita illa longè euidentior est, quam is, quo tradita ista. Ecclesiasticam siquidem Deus factus homo, quatenùs ad regendam ecclesiam, & ecclesiasticam Rempublicam necessariam, Petro iam constituto ipsius ecclesiæ fundamento, *super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, primùm tradidit paucissimis, sed vberrimis verbis; *Pasce oues meas*, per quæ verba tota regiminis summa ipsi comissa; ordinis potestatem omnibus Apostòlis communem in cena *Hoc facite in meam commemorationem*. Eandem ad soluenda peccatorum vincula, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*; & demùm ne quid propagandæ, vel augendæ ecclesiæ deesset, omnique necessaria auctoritate redderetur instructa, omnem, qua ipse pollebat, transmissibilem potestatem in Apostolos ipsos transfudit *Sicut misit me Pater, ego mitto vos*. Ecclesiasticam igitur potestatem, siue generalem, siue specialem intueare, & in eius traditione semper Deum hominem loquentem, & operantem videbis; insufflauit enim Spiritum Sanctum donans, efficaciamque flatus sui verbis expressit; *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* At regiam, sæcularem potestatem nusquam adeò euidentèr traditam videas; à Deo esse non ambigimus, & esse immediatè inditam per modum naturæ; an autem sic immediatè Regi, Principi, & cuicumque supremo in ditione sua à Deo fuerit tradita, excepto Iudæorum Regno, & Rege, obscurum nobis esse voluit.

Matt. c. 18. Ioan. c. 17. Luca 22. Ioan. c. 20. Ioan. c. 20.

Sit ergo eadem vtriusque potestatis origo, eaque diuina, at modus vtriusque tradendæ diuersus; de modo namque traditæ ecclesiasticæ potestatis constat, de modo traditæ sæcularis, non constat; illa tota supernaturalis est, & ratione supernaturali concessa, hæc naturalis, ac per modum naturalis proprietatis ex hominum communi vita resultans; illa tendit in supernaturalem finem, ac bonum supernaturale; hæc inspicit naturæ bonum, ac moralem, siue naturalem fælicitatem; illa per electianem propagatur, atque diffunditur; hæc per electionem, per contractum, per hæreditariam successionem, iuxtà cuiusque ditionis, & Principatus institutum; naturalis enim, & merè humana, humano etiam tractatur modo, & humanum com-

commercium non refugit. Indeque demùm differentia illa consurgit, quæ ad alias nos excitauit, quod scilicet ecclesiastica potestas fuit data Petro, & successoribus eius, & ab eo tanquam à capite per membra in vniuersum ecclesiæ corpus deriuata, ac diffusa; at laica, vel sæcularis naturali modo toti communitati, à qua in Regem, Principem, aliumue supremum iuxtà cuiusque ditionis politiam transfusa migrauit. Ad hęc opportunè consideranda nos promouit originis æqualitas, quam plerique inter ecclesiasticam potestatem, & sæcularem non tàm in sæcularis ipsius fauorem, quàm in ecclesiasticæ inuidiam inducunt, iisque explicitis ad diuisionem nostram redeamus ecclesiasticæ potestatis in potestatem ordinis, & iurisdictonis.

CAP. V.

De Ordinis, & Iurisdictionis Potestate.

1 *Vtriusque obiectum, & origo.*
2 *De potestate ordinis, & eius ratione, officio, & fine.*
3 *Eius definitio, & de clauium nomine, ac numero.*
4 *De effectu earundem proprio, & adæquato.*
5 *De potestate iurisdictionis, eaq; duplici pro duplici foro.*
6 *De vtriusque differentia varia.*

1 SVNT ergo in Ecclesia duæ istæ potestates distinctæ nedum, sed & diuersæ, nec vno nomine; obiecto primùm (vt supra tetigimus,) quæ enim potestas ordinis est, respicit Corpus Christi verum, quæ verò iurisdictionis, mysticum; differunt secundò in modo agendi, quæ enim ordinis, nullum gerit imperium, quæ iurisdictionis, cogit pro imperio, ac terret, & demùm & in eo, quod separatæ inuicem possunt consistere; collatam enim nonnunquam videmus iurisdictionis potestatem, non collata illa ordinis, idque in Episcopo electo, nondùm consecrato, in parocho electo paritèr nondùm ordinato intuemur. De vtraque igitur disseramus, sed paucis de potestate iurisdictionis, quia de eadem opportuniùs, & fusiùs agemus, cum ex professo de ecclesiastica hierarchia pertractabimus.

2 Ordinis potestatem Christus Dominus in ecclesia instituit, vtpote illam, quæ ad finem ipsius ecclesiæ sit omninò necessaria. Finem enim ecclesiastici Principatus, docuit *Dionysius Areopagita* non esse alium, quàm sibi subditos Deos facere, vnde & θεωτικὴν deificam scilicèt potestatem eam appellauit, cuius sit munus subditis suis Diuinam similitudinem impertiri singulis pro modo, & posse suo, quò respiciens, & *D. Ambrosius* sacerdotalem ordinem *deificam professionem* nuncupauit; verùm deificare alios nemo potest ex officio, potestate, & gradu, diuinamque formam aliis impertiri, nisi primò deificetur ipse, ac participans diuinam formam assumat, vt ait *S. Dionysius Areopagita*; indeque instituta meritò ordinis potestas tanquam ad intentum planè efficax, cuius instituendæ vna hac ratione præ cęteris reddita, obseruabimus, quod hæc potestas ordi-

De ecclesia Hier. c. 1.

De dignit. sacerdot. c. 3.

Vbi supra.

dinis licèt excellentior, ac sublimior potestate iurisdictionis respiciat Corpus Christi verum, non tamen ità, vt & in mysticum non redundet, sicque circa vtrumque versetur; vnde quamuis, vt respicit Corpus Christi verum sit eadem, & planè æqualis in omnibus non solùm, qui sint sacerdotes, sed & qui Episcopi, cum omnes Christi Corpus æquè conficiant, & idem omnibus sit caracter, attamen, vt respicit Corpus Christi mysticum, non est æqualis in omnibus, sed maior, & amplior est in Episcopo, quam in simplici sacerdote, qui omnia sacramenta ministrare non potest, non enim sacramentum ordinis conferre, non confirmationis, saltem ordinario iure, *Can. manus. de consec. dist.* 5. & expressiùs *Isidor. in Can. cleros.* 21. *dist.* Nec continetur hæc ordinis potestas intra solam sacramentorum administrationem, sed & eò se porrigit, vt recepturos sacramenta, & præsertim ineffabilem Eucharistiam, dignos, & habiles reddat, quam vt quis dignè suscipiat, debet esse ab omni lethalis culpæ labe immunis, ac proinde ad remittenda etiam peccata extenditur, cùm sit eiusdem agentis, eiusdemque virtutis inducere formam, & proximas dispositiones ad formam.

3 Hæcque sic protensa, & ampla potestas clauis nomine exprimitur, & assignatur propriè, quod sit *ligandi, atque soluendi potestas, qua ecclesiasticus Iudex dignos recipere, & indignos excludere potest à regno cœlesti*; ità *Hieronymus*, ità *Scholastici* cum Magistro, & *D. Thomas* præcipuè, ac proinde geminæ ordinis claues distinguuntur. Altera, qua ecclesiasticus Iudex discernit, quem admittere, aut arcere debeat à regno, altera, qua dijudicatum actu admittit, aut arcet; nec tamen essentialiter per hoc multiplicatur potestas, sed vnius, & eiusdem potestatis sunt actus diuersi ità inuicem dispositi, vt vnus alium supponat, & vnus altero nitatur, sicut vnius, & eiusdem iustitiæ virtutis est, & agnoscere dignos, & dignis pro meritis reddere. Primus igitur, & principalis effectus potestatis ordinis est peccata remittere, & cœlum aperire, perspicuis enim verbis ad id directis tradita à Christo Domino fuit. *Tibi dabo claues regni Cælorum, &c. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c. quæcumque solueritis super terram, &c.*, Qui effectus aliundè non est, quam à tradita per claues potestate, adeòque à clauibus ipsis. Dimittimus subtiliorem indaginem circa remissionem peccatorum ex sola contritione, ac de efficacia, & intellectu verborum, *Ego te absoluo, &c.* quæ scholasticos magis decet, & explicita potestate ordinis, transimus ad potestatem iurisdictionis.

In Gloss. Matt. c. 16. In senten. dist. 18. art. 1. in corp. — *Matt. c. 16. Ioan. c. 20. Matt. c. 18.*

4 Hanc duplicem fecimus, fori scilicet interioris, & exterioris, & meritò; nullus enim potest esse hominum cætus rectè ordinatus, & ad rectum finem, qui congruam ad finem suum non habeat potestatem, qualem & habere debet ecclesia, quæ Respublica est, & hominum rectè viuentium cœtus, & ideò vltra potestatem ordinis adesse debet potestas iurisdictionis, quæ politiam ecclesiæ, & rectum ipsius regimen compleat; iurisdictio hæc est, quæ definitur potestas iurisdicendi publicè data, vel delata, dicitque intrinse-

secum respectum ad forum, in quo ius dicitur, & in quo iurisdictio ipsa exercetur *l. pen. ff. de iust. & iure*, ac proinde pro duplici foro, & duplicem iurisdictionem distinguimus, vel duplicem in ecclesia potestatem; alius enim est forus interior, siue animæ, alius exterior, forus conscientiæ, & forus causarum, & hunc vtrumque agnoscimus in ecclesia, ideòque & duplex statuitur iurisdictio, quam vtramque ità plerique distinguunt, vt primam merè voluntariam faciant, cum in conscientiæ foro nemo inuitus ligetur, aut soluatur, secundam verò necessariam, vtpote quæ exerceatur inter inuitos, & coercitiua dicitur, & est illa ipsa, quam iuris ciuilis auctores contentiosam appellant. *l. 2. ff. de off. procons. & leg.*

5 Geminæ iurisdictiones istæ virtute non minùs, quàm subiecto separantur. Da enim sacerdotem animarum curam habentem, hic præter ordinis potestatem, habebit etiam iurisdictionem, sed voluntariam, & in foro tantum interiori, siue conscientiæ, hic soluere quidem, & ligare sibi subditos potest, at excommunicare non item, nisi specialiter id sit ipsi mandatum, sicque non iure suo, sed beneficio alieno, aut certis quibusdam casibus solummodò id ei competit; & vice versa Iudicem ecclesiasticum non sacerdotem in foro exteriori iusdicentem, hic nihil poterit in pœnitentiæ foro, siue interiori, in quo liceret ei non parere impunè *l. fin. ff. de iurisdict. omn. iud.*, sed vtique in foro exteriori; imò distinguitur, & separatur hæc iurisdictio vtraque ab ordinis potestate.

6 Ordo siquidem, siue ordinis potestas est quid essentialitèr idem cum caractere sacerdotali, qui caracter dicit quid impressum in anima, quod de iurisdictione affirmari non potest; præterquam quod potest quis potestatem ordinis habere, & nullam gerere animarum curam, quo casu nec vllam omnino habebit iurisdictionem, sicut iurisdictionem habere sine ordine, vt parochus nondum ad sacerdotium promotus, vel alius ad dignitatem ecclesiasticam electus, & in ea constitutus, ipse enim excommunicare poterit pro potestate, & iurisdictione sua, quamuis nondum ordinatus, vt & Archidiaconus electus. Verùm vtcumque potestates istæ ità sint inuicem separabiles, potestas nihilominùs iurisdictionis necessaria est potestati ordinis, hæcque illam sibi exposcit, vt valeat in actum prodire, & exerceri, qua præsertim respicit absolutionem à peccatis, quam impertiri non potest sacerdos sine iurisdictione; imperium siquidem aliquod exercet sacerdos, dum pœnitentiæ sacramentum ministrat; imperium autem sicut supponit subiectionem in illo, in quem exercetur, ità iurisdictionem in eo, qui exercet, quam dare non potest priuatus homo quantumuis sponte se subijciat. *l. priuatorum C. de iurisd.* quod sanè, vt verissimum est in humana iurisdictione, ac valde rationabile, multò magis est necessarium in supernaturali, & quæ nedum humanum posse, sed & humanum captum supergreditur; igitur meritò potestati ordinis necessariò connexa esse debet potestas iurisdictionis, vt in foro pœnitentiali possit competentèr, & validè exerceri; & licèt sit ipsa coniuncta ordinis

nis potestati, quæ in omnibus sacerdotibus æqualis est, attamen ipsa iurisdictio in omnibus æqualis non est; maior enim est in Episcopo (vt supra tradidimus) quàm in simplici sacerdote, nedùm habito respectu ad subiectum sibi populum, sed etiam ad casus, qui veniunt iudicandi; aliqui enim reseruantur soli iudicio Episcoporum, ad quos simplicis sacerdotis iurisdictio non se extendit, idque rationabilitèr admodum, cum & in rectè ordinata Republica omnium magistratuum non sit eadem auctoritas, & æqualis iurisdictio, sed maiorum maior, & minorum minor, & angustior, quæ satis de iurisdictione fori interioris. Succedit iurisdictio fori exterioris, quam, & necessariam, siue coactiuam dicere possumus, & circa quam ingens est controuersia, nàm proteruè à plerisque negatur in ecclesia, & tanquam incompetens, ac impropria, & ipsi, & ecclesiæ Prælatis adimitur; Marsilium de Padua secuti sunt Nouatores id asserentem, vndè aduersus impiam sententiam veritas fundanda est, & ab impugnationibus potioribus vindicanda.



CAP. VI.

De Coactiua, seù Necessaria iurisdictione in Ecclesia.

1 *Fundamenta ad eam in Ecclesia comprobandam ab auctoritate.*

2 *Eadem à ratione, & Ecclesiæ praxi.*

1 MOMENTA omnia, quibus iurisdictionis ecclesiasticę veritas potest roborari militant pro necessaria, & coactiua iurisdictione in ecclesia ipsa, siue auctoritates spectes, siue rationes. Inter auctoritates probat primò ex veteri testamento insigne testimonium; *Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo ex decreto Iudicis, moriatur homo ille, & auferes malum de Israel.* Apertissimus est sensus, sed considerabiles sunt termini, quibus intentio legislatoris exprimitur. Ait enim, *nolens obedire sacerdotis imperio*; & quinam terminus, potestatem vi coactiua efficacem adæquatiùs potuit exprimere, quam vox imperij? quæ quidem aliquid amplius, & iurisdictione maius significat. *l. iubere, ff. de iurisdict. omn. iud.* Imò, si quam efficaciam iurisdictio habet, non aliunde, quàm ab imperio habet, animatur siquidem per imperium, & tota vis coactiua eatenus iurisdictionem acuit, quatenus ei mixtum imperium inest. Sacerdoti imperium Diuinum eloquium ad-

Deuteronom. c. 17.

adscribit, non potest igitur ei denegari coactiua iurisdictio, & si sacerdoti antiquæ legis tantum tribuitur, obtinebit idem multò magis in sacerdotio nouæ legis, quæ longè perfectior, excellentior, & efficacior, eiusque erit non solùm dirigere, sed, & cogere opportunè ità, vt subiecti fideles huiusmodi præceptis obligentur ex vi sua, ciraumscripto etiam scandalo, & contemptu. Nec minùs facundè lex euangelica adnuit, dum ore proprio Christus Dominus Petrum alloquitur, *quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in Cęlis*. Nil aptiùs proferri potuit ad iurisdictionem fundandam obligantem, adcòque coactiuam siue per præceptum, siue per legem. Ligandi generale verbum, si ad homines referatur, non potest veriùs impleri, quàm si de obligationis vinculo accipiatur, itavt homines ipsi lege præcipuè obligentur; lex enim, vt tradit *Diuus Thomas* à ligando dicitur, vndè tradita ligandi potestate, auctoritas etiam leges condendi obligantes tradita necessariò intelligitur, sicque iurisdictio necessaria, & coactiua. Consideramus vlteriùs verba illa, quibus Christus Dominus promissum ecclesiæ regimen Petro actualitèr tradidit, tribus verbis omnia complexus. *Pasce oues meas*, quo generali pascendi verbo, quidquid ad ouium salutem exigitur vberrimè continetur, totaque pastoris potestas exprimitur, qua posse eum dirigere, cogere, & compellere (si opus sit) nemo ambigit. Accedant ad rem non minùs & amplissima verba illa, quibus Christus potestatem suam Apostolis communicauit; *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; quæ verba exposuit *D. Chrysostomus*, *suum eis reliquit ministerium*; & Theophilact. *Onus meum suscipite*; substitutionem hanc omnimodam confirmauit ipse Dominus, dùm apertè est contestatus, *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*, Idque dictum Apostolis, & omnibus præpositis dictum, qui Apostolis ipsis *Vicaria ordinatione succedunt* ait *Diuus Cyprianus*. Ad rem planè efficax est verborum contextus, quo Apostolorum missionem describit *Matth. Euangelista*. Dimittens enim Apostolos Dominus quasi præfatur dicens. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, quid ampliùs! immediatè subnectit; *Euntes ergo docete omnes gentes*; quasi dicat, hac ipsa potestate instructi, cum tamen Dominus ipse non solam habuerit potestatem ministrandi sacramenta, & prædicandi, sed & præcipiendi, & iudicandi. Amplissimam igitur potestatem nefas restringere, & ab ea iurisdictionem necessariam, aut coactiuam excipere. Satis, superque esse deberet fundata coactiua iurisdictio ex ipso Christi Domini eam largientis ore, attamen liceat addere, & auctoritates, quæ exercitium, & vsum traditæ potestatis demonstrent, vt indè habere ecclesiam titulum, & quasi possessionem coactiuæ iurisdictionis appareat *Diuus Paulus* ergo Corinthios arguens. *Hæc absens scribo, vt non præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam dedit mihi Dominus*. Quibus verbis si adnectamus & quæ ad Romanos scripsit, quàm vrgeat, vtpote necessaria, ecclesiastica iurisdictio iudicabitur. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas, nisi à Deo*,

Matt. c. 16.

1. 2. qu. 90. art. 1. in corp.

Ioan. c. 20.

Lib. 4. ep. 9. post princ. cap. vit.

2. ad Corint. c. 13.

Rom. 13

Deo, quæ autèm sunt à Deo ordinata sunt; itaque qui resistit potestati Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; mox inferiùs. *Ideò necessitate subditi estote non solùm proptèr iram, sed etiam proptèr conscientiam*; quæ quidem generaliter adeò de potestate loquuntur, vt nullo modo ad solam sæcularum Principum potestatem possint restringi, cum potestatis nomine, & ipsa ecclesiastica veniat; idem *Apostolus*. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* & demùm; *aduersùs præsbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*; quod monitum Apostoli supponit Episcopum habere tribunal extrà conscientiæ forum, iudicium instituere, accusationes recipere, testes, & eorum depositiones admittere, ac tandem iuxta allegata, & probata sententiam ferre; hucusque auctoritates; quibus liceat & rationes addere; obuia statim illa primò est.

1. ad Corinth. cap. 4.

1. ad Thimoth. c. 5.

2 Inane est iurisdictionem in ecclesia concedere, & tamen vim coactiuam ipsi negare; iurisdictio enim sine vi coactiua, & saltem sine modica coercitatione, nulla est. *l. fin. ff. de offic. eius*. Quod dictum totidem fermè verbis reassumpsit *Innocentius III. Consultissimus Pontif. in cap. ex litteris, de off. & potest iud. deleg.* vnde Vlpianus in *l. 3. §. 1., ff. de eo, quod met. caus.* dixit, *magistratum vim inferre*, hoc est, vt interpraetatur *Ioannes Antonius Bellonus, coercere iure bonoris, quem sustinet*; si ergo ecclesiæ potestas, & iurisdictio conceditur, non est cur vis coactiua negetur, *omnibus enim magistratibus secundùm ius potestatis suæ concessum est iurisdictionem suam defendere pœnali iudicio*, inquit Iureconsultus, *in l. 1. ff. si quis ius dic. non obtemper.* aliàs enim non sibi sufficeret; vnde iurisdictione mandata, & ea concessa censentur, sine quibus ipsa expediri nequit. *l. 2. ff. de iurisd. omn. iud.* Posita igitur iurisdictione in ecclesia, & vis coercitiua admittenda est, aliàs enim manca, & imperfecta esset ecclesia ipsa; imò vim coactiuam deduxit *Ioan. Gerson* ex contextu verborum Christi, per quæ seriem fraternæ correctionis præscribit, ait enim primò. *Si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te, & ipsum solum, si te non audierit, dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*; miro contextu mox subdit, *quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cælo*. Non poterat aptiùs vim adnexam exprimere. Demùm duo sunt, quæ maximè ecclesia exercet, doctrina scilicet, & sacramentorum administratio, & in vtroque coactiua potestas emicat, cum tamen nihil minùs, quàm in duobus hisce videretur necessaria; de doctrina. *Præcipe, & doce*, ait *Diuus Paulus*; sed hoc parum est, nisi, & docendo corrigat, & immorigeros durè nonnunquam increpet. *Argue cum omni imperio*, inquit idem Apostolus, & alibi ad eundem scribens. *Argue, obsecra, increpa*. Si igitur armata est doctrina efficacia sua, & vbi de ea sola agitur vis coactiua adest, multò magis vnita esse debebit iurisdictioni. Circa distributionem sacramentorum, qua nil magis inter volentes exercetur, vim, & potestatem coercitiuam fateberis, si Chrysostomum audias.

De mand. iurisdict. c. 8. 9. 15. n. 18.

1. ad Thimot. c. 4.

Vbi

Vbi exagerato ingenti, ac imperceptibili beneficio, quo Christus Dominus corpus suum sub speciebus panis, & vini tradere voluit, & dignitate illa, qua ad augustissimum huiusmodi conuiuium est accedendum, ad Diaconos se conuertit, ac eos muneris, & auctoritatis suæ admonet; *si dux igitur quispiam, si consul ipse, si quis diademate ornatus indignè adeat, cohibe, ac coerce, maiorem tu illo potestatem habes.* Vt quid coercere potestate sua iubeat diaconum, nisi coercitiua potestas esset in ipso? Hierarchiam esse in ecclesia, quæ vox sacrum Principatum sonat, sine fidei discrimine negari non potest; vbi autem principatum dicimus, semper eo nomine iurisdictionem aliquam necessariam, & coercitiuam in subiectos indicamus; idque docuit *Tertullianus*, dum vocem ἀρχὴ duo significare ostendit, alterum principium, quod ipse vocat ordinatiuum, & originem substantiarum; alterum verò principatum, *nam, & in græco principij vocabulum* (ait *Tertullianus*) *quod est ἀρχὴ non tantùm ordinatiuum, sed & potestatiuum capit principatum; Vnde & ἄρχοντες dicuntur Principes, & Magistratus.* Secundùm quam Tertulliani obseruationem, & vox *Hierarchia* in ecclesia duo significabit, sicut & vox ἀρχὴ principium scilicet ordinis, & principatum potestatis, ordinis, quatenùs ex Christianis seliguntur in sacerdotes, aut alios sacros ordines consecrandi, priùs enim sunt Christiani, quàm hierarchici viri; potestatis, quatenùs ἄρχοντες inter fideles ij dicuntur, qui principatum in alios gerunt, ac potestatem exercent, qualem in sæculari regimine Principes, & Magistratum gerentes, & præsidentes, græcè ἄρχοντας, appellare consueuit *Tertullianus*, & præcipuè *in lib. suo de Corona. Eucharistiæ sacramentum, nec de aliorum manibus, quam præsidentium sumimus*, & praxis ipsa ecclesiæ in huius vocis vsu idem obseruauit, dum dignitates suas iurisdictione pollentes, præmissa principatus nota ἀρχὴ designauit semper, & adhuc designat. Patriarchas enim, Archiepiscopos, Archidiaconos, Archipresbyteros denominat, vnde, & *Zonara, Officij* (inquit) *autem ecclesiastici nomine magistratus ecclesiastici, quæ græcis ἀρχοντικα nuncupantur.* Hæc igitùr nominis allusio ex vi, & potestate sua principatum significans, & supponens, in ecclesia potestatem illam irrefragabiliter comprobat, quæ principatus nomine continetur, & quæ à superiore in inferiores coercendo legitimè exercetur. Verùm de ecclesiastica hierarchia, & sacro principatu alibi exactiùs.

Tom. 5. homil. 60. ad popul. Antioch. circa med.

Aduer. Hermog. c. 19.

Cap. 3.

Ad Can. 7. Synod. Constantin. in trullo:

Tandèm iurisdictionis necessariæ, aut vis coactiuæ nullum argumentum euidentius, quàm correlatiua parendi necessitas, vnde iurisdictionem propriam in eo concludimus, cui necessariò parendum videmus; ecclesiasticis Prælatis fideles omnes obedire tenentur, non solùm ex generali Apostolico præcepto *Obedite præpositis vestris*, sed ex præciso martyris Ignatij antiquissimi Patris testimonio, *subiecti estote Episcopo, similitèr præsbyteris, atq; Diaconis.* Idem ad Magnesianos Tarsens. Philadelphienses semper Epistolas claudit inculcans subiectionem, & obedientiam tanquam debitam Episcopis, præsbyteris, & Diaconis; Clemens Romanus in

Ad Hebr. c. 13.

Ep. ad tral. in fin.

Pars I. E Con-

Lib. 2. c. 30. 33. 34. Constitutionibus Apostolicis imperium tribuit Episcopis, fidelesque, & diaconis subiectos admonet; quę parendi necessitas, non adeò assiduè, & incessanter fidelibus ingereretur, nisi correspectiua coercendi Episcopis, præsbyteris, & diaconis adesset potestas, & iurisdictio. Quam hucusque potestatem coercitiuam, & auctoritates, & rationes probarunt, ipsa praxis ecclesiæ confirmat à primis sui repetita cunabulis; miraculorum enim donum (quod licèt non ordinarium in singulis Prælatorum, dos tamen propria, & vera ipsius ecclesiæ est) nonne sæpiùs adhibitum ad corporales pęnas miro modo infligendas? hac enim ipsa *Act. Ap. c. 5. Ibid. c. 13.* potestate expirarunt Ananias, & Saphira; excęcatus Elymas Magus, *1. ad Corin. c. 5.* traditus satanæ incestuosus Corinthius ab eo discerpendus; nam traditus satanæ primò illo ecclesiæ ęuo sæpius à demonibus tanquam à tortoribus corripiebatur, ac dilaniabatur, vt ex *Hilario*, *&* *Hieronymo* *Tom. 1. Annal. an. 57.* testatur *Baronius*; vndè & dæmones carnifices Reipublicæ christianæ sæpiùs à SS. Patribus appellati *Origene*, *Hieronymo*, *Chrysostomo*, *Basilio*, *Augustino*, & alijs. Neque enim existimare quis potest incongruum, vt ecclesiastici præsules pro obseruatione legis Diuinæ, & Ecclesiasticæ excubantes temeratores à sacris liminibus arceant, & à sacrorum participatione repellant. Quàm impauide hac potestate vsus est *Chrysostomus*, dùm subiectum sibi populum à praua iurandi consuetudine deterrere vellet! mensem præstituit ad correctionem. *Præstitutus au-* *Homil. 8. in Act.* *tem vobis sit mensis præsens, vt corrigamini*, moxque, *si quis noluerit hoc præceptum perficere, quemadmodum tuba quadam per verbum denuntio, abstineat à liminibus ecclesiasticis illis, siue Princeps sit, siue alius diademate cinctus*, & demùm in summo eloquij feruore perorans. *Ecce iterum denuncio, & sacra voce clamo; iocum nullus esse putet; abarcebo, & prohibebo non obtemperantes, & quamdiù in hac sede consedero, nihil illius iustificationibus præferam, si me quis deiecerit, postea sine culpa fiam, donec reus fiam*. Notissimum est Ambrosij gestum, quo Theodosium Cæsarem ab ecclesiæ adytis exclusit, ac intèr pęnitentes relegauit; huiusq; potestatis dedit exemplum Christus ipse Dominus, dum è templo ementes, & vendentes facto impetu eiecit, normam præbens sacerdotibus nouæ legis, vt idem, & se posse præstare cognoscerent.

Coactiuam hanc ipsam potestatem exercet ecclesia, dum accedentibus fidelibus ad pœnitentiam, iniungunt sacerdotes corporales pęnas, & afflictiuas, ac pęnitentes ipsos ad eas implendas, & exequendas adigunt, tùm per excommunicationem, quæ sit vera censura, tùm suspendendo absolutionem, tùm non admittendo ad Eucharistiæ sacramentum, quod quidem ligare est iuxta ipsius Domini verba. *Quodcumque ligaueris super terram, &c. Et accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. In qua, & ex qua vtraque auctoritate duplex inducitur, ac fundatur potestas, de qua supra. Altera extra pęnitentiæ, & sacramentale forum; altera ad remittenda peccata in foro interiori, & vtraque coactiua est; prima, quia necessita-

tem

tem importat tum præcepti, tum etiam obedientiæ, imò & pœnæ incurrendæ velit nolit transgrediens, & quidem coactiua est, sed modum exequendi habet planè diuersum à sæculari potestate, & à modo, quo hæc ipsa potestas coactiua est. Hanc modi diuersitatem latissimè tractat *Gregor. II. Summ. Pontif.* scribens ad Leonem Isauricum Imperatorem, cuius verba fusissima sunt, neque hic describenda. Lenissima est potestas ecclesiastica, & sanguinem horret, semperque citra sanguinem punit; at sæcularis pro meritis ità punit, vt & vitam, vbi opus est, adimat; potestas ecclesiastica correctionem intendit, & emendationem, de qua desperatum, vbi vita est adempta. Illa efficaciam suam à diuinitùs sibi mutuata doctrina habet, ac per ipsam animos flectit, corpora subijcit, sicque coercens, perfectionem tandem operatur; at sæcularis potestas efficaciam suam à scientia, & doctrina non habet, sed vi, & coercitione perfectionem ex se procurat, nec proximè, & immediatè, sed remotè, & mediatè ad perfectionem disponit; metus enim, quem vi sua infert, nihil ad perfectum adducit; sed perfecta charitas foràs mittit timorem præsertim mundanum, ac penè dixerimus, seruilem, imò non nunquam, nec remotè quidem, ad perfectionem disponit, quando scilicet facinorosum, aut criminosum hominem è medio tollit, tunc enim nihil de eius perfectione cogitat, sed tantùm purgare ciuilem societatem, & à politico corpore putridum membrum abscindere intendit, ne reliquum corrumpat; doctrina, per quam operetur, habet opus ecclesiastica potestas, à qua vim suam, & efficaciam habet, *Sermo enim Dei viuus, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, sine doctrina increpare nemo audeat; *Nam si absque argumentis increpes temerarius esse videberis*(inquit Chrysostomus) *nullusque te perferet, vbi verò præcessit probatio, tunc & increpationem faciliùs suscipit, & alioquin impudens fiet*, & cum ecclesiastica potestas nullos alios habeat, aut adhibeat tortores, & criminis vltores, quàm peccatores ipsos, eosdem in se ipsos armat, vt assumpta per doctrinam criminis patrati detestatione seipsos puniant in seipsos sæuientes. Differentiam, quæ vigeat intèr ecclesiasticum, & sæcularem principatum latissimè exagerauit *Chrysostomus*, apud quem hucusque dicta elegantissimè tacta legere fas est. Sacerdotalis correctionis, & censurarum efficaciam, vtpote prouenientem à sacra doctrina, mediaque, quibus vtitur ad intentum, confirmat *Tertullianus*. *Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus, ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina; Nam, & iudicatur magno cum pondere, & apud certos de Dei conspectu, summumque futuri iudicij præiudicium est si quis ità deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur*. Ex quibus Tertulliani verbis duplex nobis emicat ratio, propter quam pœnæ corporales, quas Ecclesia infligit, dici possunt spirituales; prima, quia pœnis huiusmodi soli volentes, & consentientes plectuntur, ecclesiasiqui-

Ante edit. 7. Syn. Acta

1. Ioan. c. 4. 18.

Ad Hebr. c. 4.

Hom. 15. in 2. ad Corinth. in moral.

In Apolog. cap. 39.

siquidem ad eas subeundas neminem vi illata compellit, sed proposita diuinorum præceptorum auctoritate, ac diuini iudicij districtione, cui vtrique qui fidem adhibet metu maiorum pœnarum minores ab ecclesia inflictas lubens suscipit, imò & se eisdem plecti, vt maiores declinet, supplex rogat. Altera verò, quia si quis remissiorem, quàm par est, habeat fidem, nec eum vrgeat suæ salutis stimulus, hunc segniorem, ac pigrum ad salutis viam non alio medio vrget ecclesia, quàm excommunicatione, quæ planè spiritualis pœna est; ità enim præscribit Apostolus, & iudicij ecclesiastici ordinem, ac seriem spectandam oculis subijciunt ecclesiastici Canones, & apostolicæ constitutiones. Hac autem adhibita pœna, quid superfit, statuit *Clemens III. in capit. cum non ab homine, de iudic.* loquens enim de clerico excommunicato, & incorrigibili, ait, *postmodum verò, si in profundum malorum veniens contempserit, cum ecclesia non habeat vltrà quid faciat, ne possit esse vltra perditio plurimorum per sæcularem comprimendus est potestatem.* Excommunicatione enim inflicta nil vltra habet ecclesia nisi, vt lugeat, & ingemiscat, vt sic punitus, vel ad mentem redeat, vel satanæ tradatur, vel demùm ad brachium sæculare confugiat, sicut confugiendum aduersùs refractarios monuit sæpiùs D. Augustinus, & decreuit Antiochena Synodus *Can.* 5. quatenùs de incorrigibili loquens, ait, *Per externam potentiam vt seditiosus castigetur*, quam externam potentiam ciuiles Magistratus interpretantur *Balsam.* & *Zonar* ad eundem Canonem, postmodum confirmarunt *Gregor. IX. in cap. statuimus. de maledic. Clemens in d. cap. cum non ab homine*, & *Ioannes in cap.* 1. *de off. ord.* vbi prudenter, sanè, ac veluti prospiciens id, quod sunt veriti *Hilar.* & *Seuer. Sulpit.*, qui rem perniciosi exempli credidere recursum ecclesiæ ad Magistratus sęculares, cauit, quodammodò, dum ait, *& cum opus fuerit, publicum conuocet auxilium* (Episcopi scilicet) *non ad præiudicandum; sed potiùs ad ea, quæ Deo sunt placita, prosequendum.*

1. ad Corin. c. 5.

Lib. 2. c. 45.

Lib. aduer. Auxen. lib. de verte Mont. Orientali: c. 2.

Ibidem.

Tenentur autem pij, & fideles Magistratus, ac Principes tanquàm obsequentes filij optimæ parenti auxilium hoc sæcularis brachij præbere, non solùm ex vi gratitudinis erga piam matrem de ipsis optimè meritam, sed ex Dei institutione, ac dispositione obligante suscepta ab ipsis Catholica fide per prophetarum inspirata sanctissima vaticinia. *Isaias* enim. *Erunt Reges Nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ; vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Idem alibi. *Gens enim, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit;* Demùm *Dauid*; *& adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei*; est igitùr sæculare brachium extrinsecum quidem, sed proprium, & subsidiarium instrumentum ecclesiasticę potestatis, & iurisdictionis, qua de re alibi opportuniùs, & fusiùs; nunc enim satis de potestate ecclesiasticæ iurisdictionis in genere, & quatenùs coactiua sit agere nostra est intentio; nam de eadem, quatenùs sit publica, & quatenus vltra publicam habeat ecclesia potestatem quandam domesticam, siuè patriam, vel paternam, agemus exactè cum de

Cap. 49.

Cap. 60.

Psalm. 71.

de ecclesiastica Hierarchia pertractabimus. Habet igitur ecclesia potestatem iurisdictionis, ipsamque coactiuam; sed congrua vi, siue eo cogendi modo, qui potestati diuinitus traditæ, & re, & effectu respondeat planè mirabili. Qua sic præmissa doctrina, ne nobis placere in solis fauorabilibus fundamentis videamur, quæ potiora in oppositum afferantur intueamur.

CAP. VII.

Quæ contra Iurisdictionem Ecclesię coactiuam afferantur.

1 *Fundamenta Marsilij de Padua ab auctoritate desumpta.*
2 *Ecclesia quibus medijs potestatem suam exerceat.*
3 *Soluuntur sigillatim auctoritates contra allatæ.*
4 *Apostolatus quale ministerium.*
5 *Potestatis Ecclesiasticæ, & sæcularis subordinatio, & inuicem facta collatio.*
6 *Subordinatio latiùs exponitur, & exemplis illustratur, & confirmatur.*

1 MARSILIVS de Padua omnem iurisdictionem coactiuam, & iudicium, quod ipse vocat tertij generis iuxtà distinctionem à se traditam, ecclesiæ ademit; iudicium enim ipse vocat coactiuum, quod potest pœnas infligere in inuitum, & inuitum ad pœnam cogere, idque non posse ecclesiam proteruè sustinet, quia pœnæ omnes, quas infert, aut inferre potest ecclesia, non nisi volentes afficiant, nec possit illa adigere auctoritate sua fideles, vt nolentes eas suscipiant, & impleant. Quicumque hunc secutus est auctorem miserè, & infœliciter lapsus est, & ideò, si quis alius vltrà Marsilium ità sensit, eius afferemus fundamentum, si quod proferat diuersum. Nititur Marsilius auctoritatibus successiuè congestis, quibus putat ipse cum temporali regno excludi ab ecclesia iurisdictionem omnem coactiuam, totamque eius potestatem esse merè spiritualem, ac directiuam, qualis illa *Regnum meum non est de hoc mundo*; & illa, *quod Iesus cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipse solus.* Nec non illa, qua rogatus de hæreditate intèr duos fratres diuidenda, dixit, *quis me constituit iudicem, aut diuisorem intèr vos?* de spirituali igitur Regno venit disponere Dominus, non de temporali, & de illo semper loquebatur siue litteralem spectes sacræ scripturæ sensum, siue mysticum, & in cœlesti Regno se præmia, vel supplicia daturum promittebat iuxtà cuiusque merita; nunquam tamen promisit, aut minatus est talia se in hoc sæculo facturum. Addidere alij, & fusissimè sunt prosecuti illud. *Reges gentium dominantur eorum, &c. vos autem non sic.* Indeque concludunt negari ecclesiæ omnem dominatum, præsulatum, forensem iurisdictionem, quæ sæculares præfecturas imitetur, & in subditos habeat imperium propriè dictum, quandò præsertim non habeat ecclesia pœnas externas, per quas con-

Defens. pacis. dist. 2. c. 4. *Ioann. 18.* *Ioann. 6.* *Luca 12.* *Luca 22.* *Marc. 10.*

contumaces, ac refractarios cogat; adduntur accuratissimè SS. Patrum auctoritates, qui de ecclesiastica potestate, & iurisdictione loquentes eam merè spiritualem, & ab omni coactiua vi alienam, ac planè inermem describunt, & præsertim *D. Bernardus* in libris suis de consideratione, *D. Chrysostomus* in homilijs illis, in quibus eandem materiam perorat; & præcipuè *d. homil.* 15. *ad Chorint.* 2. in morali, vbi mitissimum ecclesiæ Principatum describit.

Vtcumque plures aptissimæ suppetant euangelicarum expositiones auctoritatum, vnicam afferemus primò, quæ omnibus luculentissimè exageratis satisfaciat; illud enim vnum demùm concludunt, & ad summum, ecclesiasticam scilicet potestatem, ac iurisdictionem esse omninò diuersam à sæculari, & habere media omninò diuersa, quibus vim suam exercet, & exerceat, quod nemo hucusque negauit, aut negat; vndè paralogismus conficitur, & planè inconcludens argumentum, quod nempè ex eo, quod ecclesia non habeat media, & modos, per quos potestas laica sibi subditos cogit, & vindicat, nullam habeat iurisdictionem, & si habeat, habeat planè inefficacem, inermem, ac omni vi coactiua destitutam, quasi non sit potestas, aut coactiua iurisdictio, nisi quæ per cruces, secures, & tormenta expeditur; fallax omninò consequentia.

2 Constat ex ponderatis supra habere ecclesiam iurisdictionem suã à quacumque alia diuersam, & origine, & essentia; munitam eandem esse vi sua coactiua, sed quæ exerceatur medijs, & modis qui excellentiæ tantæ potestatis respondeant, vt cumque diuersis à temporalibus medijs, iam enim apparuit, & pœnas corporales inflixisse ecclesiam supernaturali quadam, & sibi diuinitùs tradita potestate, & coactionem adhibuisse ratione cuiusdam domesticæ potestatis, de qua aliàs nobis agendum; superesse censurarum, & excommunicationis fulmen, cuius vim, vtcumque rideant impii, at non effugiunt, & quamuis vlcisci Deus differat, non tamen destituit, quin aliquandò demùm impleat, ac prodigioso aliquo euentu confirmet, nec aliud sanè volunt allatæ iàm ecclesiasticæ auctoritates.

3 Dixit enim Christus Dominus. *Regnum meum non est de hoc mundo*; non dixit; *Nullum mihi regnum, non ego Rex*. Sic enim omnem potestatem, omnemque iurisdictionem exclusisset, cum iurisdictio sit potestas publica, quam priuatos homines habere non decet; *Sed Regnum meum non est de hoc mundo*; fassus est Regnum, professus se Regem, sed vtrumque ab omni alio regno, & rege diuersum; *quasi dicat* (inquit *Chrysostomus*) *Rex sum, non tamen qualem arbitratis, sed longè prstantior*. *Cyrill. Alex. Christus autem Pilato respondens Regem se esse non negat, mentiri enim non poterat, sed Regno Cæsaris non esse hostem ostendit, quia Principatus suus mundanus non est, sed cæli, terræ, cæterarumque rerum omnium*. Appositissime *Ambrosius*. *Ipse enim dixit Regnum meum non est de hoc mundo, qui dicit non esse de hoc mundo Regnum suum, ostendit esse supra mundum; ità & erat Regnum eius, & non erat, non erat in sæculo, erat supra sæculum*. En quàm

Hom. 83. in c. 18. Ioan. in princ.

Lib. 12. comment. in Ioan. c. 10.

Lib. 3. com. in Luc. circa fin.

quàm apertæ in allatæ solutionis confirmationem Sanctorum Patrum auctoritates! nec aliud arguit secunda, *cum cognouisset, quod venturi essent, vt caperent eum, ac facerent eum Regem, fugit iterum, &c.* Quod enim Regnum supra negauit dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo*, hoc idem sibi destinatum fugiendo declinauit *Fugiens in montem ipse solus*; nec aliud profectò intendit, cum rogatus de diuidenda hęreditate inter fratres respondit; *O homo, quis me constituit iudicem, & diuisorem inter vos?* Erat enim hoc munus planè alienum ab eo, quod Christus assumpserat, Pontificis scilicèt, & non sæcularis iudicis; vel (vt rectè obseruauit *Bellarminus*) eo responso, & Pontifices, & Principes monitos voluit, & edoctos, ne leuioribus distrahi se patiantur, & dimittant grauiora; sicut Apostoli dimiserunt curam ministrandi mensis, ne abstraherentur à verbo Dei; sic enim, & *D. Bernardus* ex ijsdem Christi verbis Eugenium Summum Pontif. hortatur, vt rerum temporalium curam alijs dimittat, spiritualibus ipse intentus; at per hæc adimi ecclesiæ omnem coactiuam potestatem, ac iurisdictionem vix potest animo concipi; Neque magis probat auctoritas, quę à Neoterico tantoperè exaggeratur; *Reges gentium dominantur eorum, &c. vos autem non sic.* Hæc verba ex vi græci termini rectissimè exposuit *Bellarminus*, vtcumque expositionem conuellere nitatur Neotericus, qui de hac Euangelij auctoritate maximè confidit; itaque indicant verba illa Christum Dominum potestatem necessariam, ipsamque coactiuam non negasse, sed modum ipsius exercendæ planè diuersum à modo, & medijs, quo, & per quæ temporalis potestas explicatur, indicare voluisse. Opposuit suorum dominationem Regum imperio: non negauit dominium eos gesturos, sed noluit illo, quo dominantur Reges, modo dominari. Vetuit Regum more insolescere, euehi, exaltari, inquit doctissimus *P. Franciscus Macedo à S. Augustino*, quem auctoritatis, & venerationis ergo citatum hic volumus. Et quamuis verbosissimè vrgeat notericus, nihil tamen aliud concludit, nisi diuersam esse potestatem ecclesię à sęculi potestate, & modum vtriusq; exercendæ esse omninò diuersum, at potestatem nullam coactiuam in ecclesia nunquam concludit. Celebris est locus ille D. Bernardi, & omnium politicorum ore iactatus, quo ex ijsdem Domini verbis *Reges gentium, &c.* infert. *I ergo tù, & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolus dominatum; planè ab alterutro prohiberis, & si vtrunque voles, vtrumq; perdes.* At certè hic locus magis afferri posse videtur ad impugnandam temporalem potestatem, quàm Summus Pontifex tanquam Princeps sæcularis ex donatione Constantini, & aliorum exercet, prout, & Bellarminus eandem controuersiam de sęculari potestate Pontificis tractans hunc ipsum locum tanquam oppositum expendit, quàm ad excludendam ab ecclesia potestatem sibi propriam, ipsamque coactiuam, per quam (vt iàm ostensum) non dominatur Regum, aut sæcularium Principum more, non cogit per cruces, verbera, aut tormenta, sed per doctrinam, per verba, per censuras, & olim

De Rom. Pont. lib. 5 cap. 4.

Act. cap. 6.

Lib. 1. de consid. c. 6.

De Dominus:

In medulla eccles. hist. vindic. 4. c. 6. vers. fin.

olim aliquandò per corporales cruciatus extraordinariè inflictos, & de hac non loquitur D. Bernardus, sed Pontificem considerat, vt Pontificem, & Pastorem, cuius est pascere non dominari, & ità pascere, vt ad recta dirigat, & compellat, à prauis retrahat, & (si opus) deterreat. Hanc pascendi potestatem appellauit *Chrysostomus* principatum: *Hic autem est etiam alius principatus ciuili sublimior; quis igitur est ille? is, qui in ecclesia.* Principatum dum audis, & potestatem, ipsamque coactiuam, & imperium irrefragabiliter arguas; *Tribunal* appellat ibidem etiam Chrysostomus, quod nomen potestatis, & imperij correlatiuum, & solis magistratibus competit. *l. penul. ff. de iust. & iur. Etenim honorabile hoc Tribunal* (ait *Chrysostomus*) *etiam animam, non corpus solum corrigit.* Sit ergo (vt re vera est) potestas ecclesiæ spiritualis, at hoc non impedit, quò minùs in genere suo adeò perfecta sit, vt efficaciam suam habeat, & cogendi vim à quacunque alia potestate diuersam. Hìc autèm ad coronidem non omittenda noua obiectio aduersùs iurisdictionem, & vim, seù potestatem ecclesiæ coactiuam, quæ ad breuem summam sic redigi potest. Apostolis nihil datum, nihil commissum nisi nudum, & simplex ministerium fidei per Euangelij prædicationem ministerialitèr, & non potestatiuè propagandæ, & per baptismi vsum salutarem; ergo nulla iurisdictio, nulla coactiua potestas. Assumptum confirmatur apertissimè non vna *D. Pauli* auctoritate. *Omnia enim vestra sunt, nos etiam ministri Dei. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. In omnibus exhibeamus nos metipsos sicut ministros Christi.* Sicut & apostolatus ipse passim in Act. Apost. ministerium appellatur, & apud Sanctos Patres frequentissimè, cum quo ministerio potestas illa, & iurisdictio, quæ prætenditur, stare nullo modo posse videtur.

D. hom. 15. in 2. ad Corint. in moral.

1. ad Corin. c. 3. c. 4. ibid

1. ad Corin. c. 5.

4 Quòd ministri fuerint Apostoli, & apostolatus ministerium nemo vnquam catholicorum hucusque negauit, aut negare vnquam potuit contra apertissimas auctoritates; at quod Apostoli, & apostolatus nomen sit nudi ministerij, infimæ, & merè passiuæ, & abiectæ seruitutis, ac quasi mercenariæ, hoc nunquam imaginatum, necdum auditum. De nomine, & munere apostolatus, ac de tanti gradus prærogatiua agemus alibi exactè, cum de Summo Pontifice tractabimus, interim pro nunc satis illud erit expendere; Apostoli scilicet nomen non esse cuiuslibet missionis, aut ministerij, sed munus significare planè honorabile cum potestate, & dignitate coniunctum. In actibus Apostolorum vocant quidem Apostoli apostolatum ipsum ministerium; sed quale intelligant, declarat D. Petrus ex ore Dauid, dum de subrogando aliquo in locum perditi Iudæ fratres alloquitur. *Scriptum est enim in libro psalmorum fiat commoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & Episcopatum eius accipiat alter.* En Episcopatus ministerium, quod auctoritatem, & potestatem coniunctam habet. Vnde & *Chrysostomus* postrema illa verba, *Episcopatum eius accipiat alter*, exponit, *hoc est principatum, & sacerdotium*; quam expositionem, & ip-

Cap. 5.

Hom. 3. in act. c. 1.

& ipsum Episcopi nomen confirmat; ἐπισκοπεῖν enim superintendere, vel superinspicere significat, eò quod ille, qui præficitur ijs, quibus præficitur superintendat, ac eorum curam gerat; quam ethimologiam, &

Lib. 19. de Ciuit. c. 19.

D. *Augustinus*, & D. *Ambrosius*, probarunt, & antea

De dignit. sacerdotali 6.

Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere

Act. 30.

ecclesiam Dei. En ipsorum munus regere ecclesiam Dei, nec absimili-

1. Pet. c. 2.

tèr *D. Petrus* Christum Dominum, Episcopum, & Pastorem appellauit, vt Episcopatum nomen potestatis, & dignitatis ostendat; *Eratis sicut oues errantes, nunc conuersi estis ad Episcopum, & Pastorem animarum vestrarum*. En quale Apostolorum ministerium, quod & Sancti Patres venerantur, ac extollunt, quorum auctoritates singulas recensere longum nimis esset, sat fuerit veritatem dilucidam sacræ scripturæ auctoritatibus confirmasse. Munus igitur suum, vtcumque sublime, ministerium appellarunt Apostoli edocti humilitatem in schola Christi, penès quem nihil effatum, quod tumorem saperet, qui & id, quod muneris sui, consimili titulo

Matt. c. 20

expressit dicens: *Quod filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. Sit ecclesiæ potestas spiritualis quidem, at vi sua coactiua efficax, ac iurisdictione munita, quamuis in cogendi modo differat à quacumque alia potestate, sicut & potestas ipsa quacumque alia excellentior ab alia quacumque per excessum distat. Est vtraque quidem à Deo, & ab vtraque humani generis regimen pendet, vt Augustinus scripsit iam supracitatus & Gelasius. A Deo vtraque tàm ecclesiastica, quàm sæcularis potestas, *& quæ à Deo sunt ordinata sunt*, geminæ ideò istæ potestates, ne se inuicem impediant, ordinandæ ità fuere, vt vna alteri præemineat, spiritualis scilicet temporali, at non è conuerso, huncque ordinem naturalis ratio suadet.

5 Præeminet igitur spiritualis potestas temporali (nec inuidiam ingerat pia, & admirabilis comparatio) ex quocumque capite præeminentiam metiamur. Primò, antiquitatem si spectes, excellit spiritualis, eandem siquidem habuit cum ecclesia originem, cuius vetustatem humano generi coęuam iam altissimè deteximus. Viguit in lege naturæ, & successiuè progressa supremam perfectionem in lege gratiæ obtinuit. Secundò, antiquitati succedit origo, siue principium; spiritualis enim, & præcipuè in nouo Testamento à Deo immediatè processit, Christo homine simul, & Deo ipsam Petro tradente, *Pasce oues meas*. Sæcularis è contra, vtcumq; & ipsa à Deo sit, & esto, vt plerique volunt, immediatè, at certè non eo modo, quo spiritualis, sed planè diuerso, nam spiritualis tota supernaturalis est, & sæcularis merè naturalis, quæ duo plusquam genere distantia diuersitatem originis satis, superque confirmant. Originis eminentiam consequitur dignitas, qua spiritualis temporalem excellit, ea sanè proportione, qua cœlestia terrenis, diuina humanis, anima corpori, spiritus carni antistat; Indè ad excellentiam nedum dignitatis, sed auctoritatis contestandam à Deo iussum, vt sacerdotibus pareatur, Saul in Regem inunctus à Samuele, Principes Leuitis decimas persoluant,

& benedicantur ab illis; vt elegantèr considerauit *Innocent. in cap. solitę, de maior. & obed.* & *Bonifac. VIII. in extrauag. vnam sanctam, eod.* Hisce addas, & finis sublimitatem, ad quem tendit spiritualis potestas, is enim est, vt ait *D. Paulus*, *qui exuberat omnem sensum*, & quem, vtpote supernaturalem nec oculus vidit, nec auris audiuit, & ad quem non consurgit animus, nisi supernaturali fidei lumine eleuatus; at sæcularis potestas bonum ciuium naturale intendit, quod & per naturale lumen intueri, & per naturales vires attingere, & assequi valet; ab obiecti igitur, & finis excellentia celsitudinem potentiæ, & operationis liceat arguere, quæ quidem tanta est, vt sæcularis potestas, vtcumque ex se sublimis, attamen eleuata per supernaturale lumen, ac informata superexcelsa hac forma absolutissimam perfectionem inde recipiat; eo modo planè, quo & morales virtutes perfectam virtutis rationem à fide sortiuntur, quandoquidem possunt sanè per congenitum naturale lumen ad finem sibi congruum, & vltimum secundùm quid (vt inquit *D. Thomas*) tendere, at in finem absolutè vltimum neutiquam; *Vndè in Can. omnes 28. q. 1. Vbi deest cognitio æternæ, & incomutabilis veritatis falsa virtus est, etiam in optimis moribus.* & *D. Augustinus*, *vbi sana fides non est, non potest esse iustitia.* Sicut igitur virtutes morales superadditam perfectionem consequuntur à fide, sic sortitur sęcularis potestas supremā à spirituali tanquā à complente forma, qua sibi subiectos non solùm in finem naturalē sed & supernaturalē dirigat. Inde nō immeritò *Greg. VIII. in Can. quis dubitet. 96. dist. Quis dubitet*

Ad Philip. cap. 3.

part. 2.

sacerdotes Christi Regum, & Principum, omniumque fidelium patres, & magistros censeri? & *Nazianz. In Can. suscipitis. 10. dist. Suscipitisnè libertatem verbi? libentèr accipitis, quod lex Christi sacerdotali vos subijcit potestati, atque his tribunalibus subdit.* Sanctam subiectionem, quæ libertatem non minuit, sed perficit! sicut charitas diuina virtutes omnes morales eleuat, & attollit, vt retenta, nec minimùm imminuta propria vi ad altiora colliment. Quo fit etiam, vt spiritualis potestas nedum virtute, sed & ambitu sit longè amplior, atq; diffusior, nullis arctata finibus, sed extensa cum sole, & ad solis vias; de hac dictum *Petro*, *quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis*; & per hanc ipsam de Apostolis; *Constitues eos Principes super omnem terram*; ac verè impletum illud; *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum.* Collata igitur spiritualis cum temporali potestate, sicut luminare maius eum minori, admirando excessu supereminet, itavt temporalis suspiciat, ac veneretur, & miro iunctæ nexu se se inuicem foueant, ac iuuent; indeque iustè euenit, vt quamuis duæ istæ potestates in eodem subiecto eumulentur, & simul concurrant, cum pares vnà esse non possint, ne vnicum corpus monstruosum per duo æqualia capita reddatur, debeant seriem aliquam, ac subordinationem inuicem assumere; Fremunt ad hanc subordinationis vocem, qui disparatas omninò, & nihil commune habentes has potestates volunt.

Matth. 16.

Psalm. 44.

Psalm. 71.

Barclaius de pot: Papa, c. 16. 17.

6 Sed agnoscunt, imò & tuentur Sancti Patres veritatis lumine ducti,

ducti, plaudunt Christiani Reges, ac Principes, qui sponte veræ pietatis, ac religionis suaui iugo colla submisere, suam, populisque salutem, & incolumitatem ea fide tuentes; vnde, & subordinatam potestatem suam potestati spirituali libentèr fatentur *Religionis ordine*, vt loquitur Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem; cùm sit enim pastoralis potestas, ei subordinata esse debet quælibet alia in ouili, aliàs vnitas, & concordia ipsius òuilis non possent conseruari, quod obseruantes, qui hoc subordinationis nomen abhorrent, eò demùm deuenere, vt vtramque tàm spiritualem, quam temporalem in vna, & eadem Principis sæcularis persona cumulandam voluerint, vt sic subordinationem illam tollerent, quam in se ipsis, vellent nollent, sentiebant. Hanc potestatis diuersæ subordinationem confirmemus. Ecclesia vnum corpus est, ex Republica enim ciuili, & spirituali non duo corpora, sed integratur vnum; *Multi vnum corpus sumus* inquit Apostolus, & totius ecclesiæ vnum est principale caput Christus ac verè monstruosum esset, vel vnum corpus esse sine capite, vel vnum caput duo habere corpora; in corpore omnia sunt ità temperata, vt mutuo nexu cohęreant, & ità dispofita, vt partes ignobiliores nobilioribus virtute, & obsequio substent, alias nisi turbæ, nisi confusio. Et in Christiana igitur Republica ordinata debent esse omnia, omnia connexa, subordinata officia, fines, & potestates; series naturæ consona non patitur, vt spiritualia sint propter temporalia, sed vtique temporalia propter spiritualia, & illa ab his pendeant, quod verè nil aliud, nisi temporalia spiritualibus fateri subordinata; itaque dirigit spiritualis potestas temporalem in finem suum tanquam superior inferiorem, & ità dirigit, vt non solùm illuminet, ac viam dictet, hoc enim non est superioris potestatis, sed dictando obliget, & obligando ad finem ipsum perducat, quem cùm habeat homo extra se, æternam scilicet beatitudinem, ad eam dirigi debet per competentia media, & à potestate congrua, cui insit ad finem ipsum proportio. Hanc subordinationem, quàm sensit Valerius Maximus, & quàm aptè, licèt Ethnicus, expressit: *Omnia post religionem ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summæ maiestatis decus conspici voluit.* Hanc spiritualem potestatem, cui temporalis tanquam sublimiori pio obsequio subsit, & quam ipsa spiritualis dirigat, ac ad finem supernaturalem impendat, recentiores Theologi temporalem indirectam appellant; epitheto, quo concitantur acerrimè, qui merè spiritualem volunt ecclesiæ potestatem, & cum rem ipsam adimere non possint, saltem nomen *indirectæ potestatis* ablegare nituntur, & impugnare pertinacissimè student, ad inuidiam huiusmodi titulum trahentes; at dum res ipsa sit salua, abeat quomodocumq; nomen. Hanc potestatum subordinationem per exempla, & confirmant, & indicant Sancti Patres. Primum igitur, illudque appositissimum, est animæ ad corpus, siue spiritus ad carnem in homine, quo vtitur *D. Gregorius Nazianzenus*, & post eum *D. Thomas*. Dantur separatæ inuicem anima sensitiua, & vegetatiua, sicque existens quælibet in suo

Ad Rom. c. 12.

D. Tho. lib. 1. de Regim: Princ. c. 14. in fin.

Barclaius. de potestat. Papæ, c. 1. & seq.

In orat. ad popol. tim. perculsi. D. Thom. 2. 2. q. 60. ar. 6 ad 3.

ſuo compoſito ſuas etiam exerit vires, & operationes, ſuaque munia in propria ſpecie, vegetatiua in plantis, ſenſitiua in brutis. At in homine, quæ ſeparatæ ſunt animæ propriæ, cumulatæ efficiuntur formæ ſublimiori potentiæ ſubiectæ, atq; directæ ab anima rationali, & intellectiua, huic ſubijciuntur, ab hac diriguntur in finem excelſiorem, quem ipſæ nedum attingere, ſed nec agnoſcere vi propria valerent. Vegetatiua per abſtinentiam, & ieiunia cogitur ad rationis obſequia, tum ad corporalis ſalutis tutelam, aut reſtitutionem, tum in religionis cultum, & æternæ beatitudinis meritum. Senſitiua, vtcumque effrænis, à ratione frænum, ac moderamen recipit, & tanquam ſubiecta legem accipit, qua dirigitur, retrahitur, ac rationi imperanti parere cogitur; ſenſus ipſi externi ad rationis nutum operationes ſuas ſuſpendunt, ac feriantur nonnunquam in totum vbi in vno, & eodem compoſito conſortium habent rationis.

Sic eccleſiaſtica, & politica, ſiue ſæcularis poteſtas, ſi in diuerſis reperiantur ſubiectis, ſunt diuerſæ, diſparatæ, nec ſubordinatæ inuicem; intueri hoc licet Apoſtolorum æuo, quo aderat eccleſiaſtica, aderat & laica poteſtas in Regibus, & Principibus, qui verè Reges, & Principes erant, ac iure ſuo legitimum in ſubditos exercebant imperium, nondum enim cumulatæ erant in eodem ſubiecto poteſtates iſtæ, nec vlla inter eas erat adhuc ſubordinatio, vllaue ſeries; ſicuti, & ſi quæ modò ſint nationes, quę chriſtianam fidem non colunt, ſuum habent regimen, nec vllum ſeruant reſpectum ad eccleſiaſticam poteſtatem. At vbi Principes chriſtianam fidem ſuſceperunt, ac ſponte ſe, ditionemque ſuam ſuaui Chriſti iugo ſubiecerunt, coniungi cęperunt duæ iſtæ poteſtates, quæ iuſta ſerie ſubordinari inuicem debuerunt, vt ſpiritus dirigens ſenſum in finem ſupernaturalem promoueret, & ſi fortè à recto tramite, qui ducit ad eundem finem, declinaret, in ſemitam reduceretur. Itaque ſpiritualis poteſtas non ſe immiſcet temporalibus negotijs, ac temporalem ſua peragere ſinit, perinde ac ſi in eodem ſubiecto non eſſent coniunctæ, dum tamen ſpirituali fini non officiat, aut non ſit neceſſaria ad finem ſupernaturalem conſequendum; quod ſi declinet, aut peruertatur, ſicut humanitùs poteſt contingere, corrigit, ſicut ratio ſenſum, vrget, reducit, coercet, cogit, ſed ſemper in ordine ad ſpiritualia, hancque ipſam analogiam cum *Nazianz.* approbauit, & *Iſidor. Peluſiota*, cuius verba placet adſcribere. *Ex ſacerdotio, & regno rerum adminiſtratio conſtata eſt; quamuis enim permagna vtriuſque differentia ſit (illud enim veluti anima eſt, hoc veluti corpus) ad vnum tamen, & eundem finem tendunt, hoc eſt ad hominum ſalutem.* Praxim ſpectauit Orbis maiorum æuo, cum Martinus V. Luſitaniæ Regibus; Alexander VI. Ferdinando Caſtellæ Regi detectas in nouo orbe regiones ad proſeminandum Euangelium tanquam ſummi eccleſiæ, & religionis antiſtites addixere. *Lib. 3. epiſ. 239.*

Suggerit D. Ambroſius exemplum à charitate ſumptum reſpectu moralium virtutum, & naturalium hominis actuum: virtutes morales etiam ſine charitate exiſtunt, & virtutes

tutes sunt licèt informes, vt in infidelibus, & fidelibus etiam extra charitatem existentibus in mortali peccato; virtutes enim habuere veteres Romani sine fide, (quas etiam non fuisse sine præmio innuit *D. Augustinus*) & sine charitate, & tamen virtutes fuerunt, & sunt, suos exerunt actus, & ad naturalem beatitudinem tendunt, quantum naturæ vires permittunt; at vbi superuenit charitas, non impedit quidem moralium virtutum actus, sed iuuat, & perficit, eleuat ad sublimiora, ac ad meritum supernaturalis boni addita supernaturali proportione attollit. Vulgata est, & similitudo illa à Metrophane allata in octaua Synodo, qua vsus etiam est *Innoc. in cap. solitæ. de maior, & obed.* Duorum luminarium in firmamento, Solis, & Lunæ; cui tamen non insistimus, quia adeò apertè modum, quo vna alteri præsit potestas, nobis non explicat, sed solam nobilitatem vnius præ altera præsefert. Protulere & alij exemplum ab artibus desumptum, quarum fines subalterni, & subordinati inuicem sint, vt ars frænifactoria, quæ frænos conficit, & ars equestris; artes siquidem istæ in ratione sua sunt inuicem omninò diuersæ, cum habeant obiectum, subiectum, & actiones diuersas, & tamen, quia finis vnius dirigitur ad finem alterius, ideò equestris imperat illi, quæ frænos facit; at similitudo adæquatè non respondet, licèt aliqualitèr alludat; quia artes istæ ità inuicem subordinantur, vt vna sit omnino propter aliam, & sublata equestri, frænifactoria concidat, quod non verificatur in duplici potestate, de qua agimus. Esto enim, quod spiritualis non adesset, sicut per

De Ciuit. Dei. lib. 5. c. 15.

tantum tempus non extitit saltem in ea perfectione, qua sub Euangelio viget, adhuc politica, & sæcularis tanquam naturalis existeret, sicut erat ante Euangelium. Est igitur in ecclesia temporalis nulla potestas, & merè spiritualis, sed tantæ amplitudinis, & efficaciæ, quantam exigit finis, quem respicit, & intendit, vt scilicet non spiritualia sola, sed & temporalia, quibus præest, in ordine ad supernaturale bonum disponat, dirigat, ac legibus præscriptis ad eum finem quoquo modo perducat, & tanquam potestas altior, & vniuersalior, ac respiciens magis vniuersale bonum dominetur cuicumq; alteri potestati, quæ bonum magis singulare respiciat; liceat in huius doctrinæ euidentiam spiritualem potestatem cum spirituali substantia conferre; abstractæ, & spirituales substantiæ non possunt quidem substantiam corpoream producere, sed agere in ipsam per motum localem efficacissimè possunt, hicque motus sat est, vt applicando res aliquas, & aliquas remouendo rerum sublunarium cursum immutent, ac promoueant. Imò hoc ipso motu medio sunt nonnunquam Angeli, & spirituales substantiæ ministræ Diuinæ iustitiæ destruendo, comburendo ciuitates, homines occidendo, inquit *D. Augustinus*; si spirituales substantiæ, quæ nihil corporale habent, aut participant ex ordine naturæ tantum potestatis habent, vt in res corporales transferendo, & destruendo agere valeant; cur & in potestate spirituali tradita, & relicta à Deo tanquam instrumento coniuncto suæ fidei, & religionis, tantum virtutis non agnoscemus, & concedemus, vt in finem spiritua-

Lib. 2. cont. Adu. leg. & Prophet. c. 12.

lem

lem sibi à Deo statutum, & à se naturaliter intentum in temporalia, seu corporalia agere transferendo, aut modo quocumque ea applicando, prout conducere, aut necessarium esse nouerit ad finem spiritualem, bonumque supernaturale, ac Diuinum? quantumuis sic agens spiritualis potestas, spiritualis nihilominus est, sicut spirituales substantiæ agentes per motum localem in corporalia non desinunt esse spirituales. Vnde non est cur de nomine simus soliciti, an scilicet sit temporalis saltem indirecta, quod nomen commouet adeò illos, qui omnem temporalem potestatem ecclesiæ adimunt; habeamus effectum agnoscamus causam, nec curemus quocumque nomine vocetur. Hæc de potestate Reipublicæ, vel ecclesiæ propria: transeamus ad formam regiminis.

CAP. VIII.

Quæ Politia, qualeue Regimen.

1 *Necessitas politiæ inter homines.*
2 *Politiæ species tres, & variæ mixtio.*
3 *Monarchia cœteris præferenda.*
4 *Opinio prima de ecclesiæ politia, quod sit popularis.*
5 *Confutatur hæc opinio.*
6 *Soluuntur ipsius fundamenta, & plura tacta de populi concursu ad sacrorum Ministrorum electionem.*

1 
ECESSITAS regiminis in quolibet hominum conuiuentium, & ad eundem finem adspirantium cœtu comperta, vel solo naturæ lumine, adeò est, vt supponenda potiùs veniat, quàm comprobanda. Consentiunt tanquam in commune principium Theologi, Philosophi, Oratores, Historici, & quicumque rationis ductum sequuntur, & quò maior, & amplior est congregatio, eò magis exposcit, qui regat. Indeque frequentes diuinę voces; *Vbi non est gubernator populus corruet*; *dispersæ sunt oues meæ, eò quod non esset pastor*; quasi sit politia (vt re vera est) humanæ societatis coagulum, quo sublato societas ipsa statim dissoluatur. Hominum fidelium congregatio est ecclesia; & quò amplior, ac diffusior quacumque alia conuiuentium multitudine, eò regimen ipsi magis necessarium, sine quo consensus esse non potest inter integrantia membra, & sine consensu corpus planè dixeris extinctum. Regimen igitur esse in ecclesia certum est, at quale illud, dubium facere nititur hominum peruicacia, qui à pura fide deficientes, vel in meridie cœcutiunt.

Prouerb. c. 11. B. 14. Ezechiel. c. 34. A. 5. B. 8

2 Iam notæ tres politiæ species, siue modi, ad quos regimen quodcũque reuocari necesse, vel ex ijs temperari; Monarchia scilicet, quæ vnius; Aristocratia, quæ plurium, sed optimatum; Democratia, quæ totius populi regimen est. Sunt tres istæ formæ simplices, quarum singulis suæ oppositæ, & corruptiuæ respondent, vt Monarchiæ tyrannis; Aristocratiæ factio; democratiæ seditio;

Ex

Ex simplicibus hisce formis pro instituentium prudentia componuntur, & coalescunt variç regiminis species; aut enim ex omnibus consurgit vna, aut ex singulis variè inuicem connexis varia adstruitur regiminis forma, quam quidem mixtionem admisit Aristoteles, sed potiùs corruptionem, ac degenerationem veri regiminis esse voluit, quàm temperamentum aliquod; sat nobis fuerit veras præmisisse regiminis formas, de quarum inter se præstantia, & excellentia disputant scriptores politicæ rei; nos hæc non prosequemur fusiùs sola communi opinione contenti. Spectato humanæ conditionis statu vulnerato, & corrupto per primi parentis lapsum nemo ambigit, quin monarchia cum duabus alijs speciebus rectè temperata sit quacumque alia regiminis forma, & præstantior, & optabilior. Inuolueret enim hoc temperatum regimen quidquid optimi continet Monarchia, nec deficeret in eo quidquid perfectionis, & commodi à duabus alijs spieciebus poteſt haberi; imò, si quid poteſt à monarchica forma timeri, permixtæ aristocratia, & democratia purgant. Prostat temperati huiusce regiminis toti Orbi suspiciendũ exemplar Serenissima Venetiarum Respublica, in qua post millenarium, & vltra, emicat quantum possint cum summa prudentia vires, quamq; fæliciter vniantur, & belli munera, & pacis offitia planè admirando nexu, stentque simul regius principatus, optimatum gubernatio, & ciuile regimen, prout totidem testatur verbis non magis Purpura, quàm sanguinis, & doctrinæ splendore clarus Cardinalis Gaspar Contarenus in primo de Venetorum Republica, ac per totum elegantissimum, & eruditissimum quinque librorum opus. In ea enim trium regiminum formæ pari quodam libramento sunt ità commixtæ, vt cuiusque perfectionibus gaudeat, nec alicuius ipsorum detrimenta sentiat. Quidquid de mixta hac politiæ forma senserit *Tacit.* *Nam cunctas nationes, & Vrbes* (ait) *populus, aut primores, aut singuli regunt; delecta ex his, aut constituta Reipublicæ forma laudari faciliùs, quàm euenire, vel si euenit, haud diuturna esse potest.* Vna tamen est; verè ad stuporem facta! iam nos ad rem. *Lib. 4. Annal. pag. 119*

3 Præscindendo igitur à circumstantijs, & absolutè loquendo; monarchicum regimen quacumque alia regiminis forma est præstantius, excellentius, & vtilius. Receptissima est assertio, &, *Petro Gregorio* teste, vix est ex ijs, qui quæstionem de regiminum præstantia disceptarunt, qui in hanc sententiam non inclinet, sic *Plato*, sic *Aristoteles*, qui post recensitas Reipublicç formas ità concludit. *Harum optima Regnum, pessima Respublica est.* citante vbi supra *Tholos*; loquitur ipsum mundi regimen, quod ab vno Deo Summo Rege monarchicè administratur, eòque respiciens *Philo Iudæus*, ac expendens celebre illud *Multos imperitare malum, Rex vnicus esto*; ait. *Non ad ciuitates, & homines magis pertinet, quàm ad Mundum, & Deum.* Meritò igitur præscisis circunstantijs optimum omnium censendum illud regimen, quod Deus ipse exercet; pluribus non insistemus, ne disceptata à scribentibus huc transferre videamur, at breui hac notitia præmissa, iam

Lib. 5. de Republica, c. 3. n. 4.

Libr. 8. Ethic. c. 10.

De confus. linguar. vers. fin.

iam quale regimen sortita sit ecclesia videamus.

4 Mirum sanè quò duxerit hominum ingenia liuor! vt longissimè à veritate abeuntes politiam tribuerint ecclesiæ, quam omnium pessimam Aristoteles asseruit, ipsiusque regimen voluerint esse populare; sed & magis mirum, verbis ipsis Domini Iesu Christi eos id ausos confirmare; modum enim fraternæ correctionis præscribit Dominus, moxque in contumacem, ac proteruum concludit. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethinicus, & publicanus. Dic Ecclesiæ*; inane hoc esset, nisi penès ecclesiam tota esset puniendi, & corrigendi potestas; quæ quidem cum exerceatur per Prælatos tanquam ecclesiæ ministros, magis indicat totam virtutem esse in ecclesia, in cuius nomine, & non proprio, Prçlati operentur, hoc enim de ratione ministri, & ministerij est; ecclesia autem est collectio, & congregatio omnium fidelium, ergo penès omnes fideles potestas, & iurisdictio est; imò idipsum Reipublicæ ratio (qualem esse ecclesiam nemo neget) exigit, nam potestas sæcularis in tota Republica est, & ab ea in magistratus, & quoscumque potestatem habentes transfertur; idem ergo & in ecclesiastica Republica censendum; ordo enim gratiæ non tollit, aut subuertit ordinem naturæ, sed perficit. Praxis ipsa confirmationem addat; nàm Cardinales Summum Pontificem eligunt nomine ecclesiæ. Inter Apostolorum acta legimus prçbyteros ecclesiæ christianorum suffragijs electos; Matthiam, & septem diaconos votis vniuersi cætus ad ministerium vocatos, & demùm per plura tempora prouecta, & adulta ecclesia Episcoporum electio penès populum extitit; quæ sanè pars summa, eaque grauissima ecclesiæ potestatis; hæcque omnia democraticum arguunt ecclesiæ regimen. Vix possumus exorbitantiam huius assertionis euincere, nisi proprietates, & conditiones popularis regiminis assignemus, & conferentes intueamur, quàm verè ecclesiæ politia ipsis respondeat,

Matth. 18. 17.

5 In populari ergò regimine penès multitudinem maiestas est, & ideò plebs magistratus eligit, ac potestatem, & iurisdictionem ipsis communicat; si à magistratu sit appellandum, ad populum tanquam supremum defertur prouocatio; frequens formula apud *Liuium*, *Plinium*, *Senecam*, *Ad populum prouoco*; si lex ferenda sit, penès concionem (inquit *Aristoteles*) legislatio est; inde apud Romanos veluti ex formula; *Magistratus rogauit*, *populus sciuit*; *Senatus censuit*, *populus iussit*; & demùm si iudicium, & censura de magistratibus habenda, ea per populum habetur, *& penès concionem est*, repetit *Aristoteles*, & factum id in Romana Republica legimus circa Consules, & Decemuiros, ex *Liuio*. Verùm in Dei ecclesia nulla vnquam huiusmodi visa facies; nam certum illud est, nullum esse regimen in ecclesia, quod à Christo Domino non sit institutum, nullam potestatem ab eo non profectam; nullibi autem à Domino statutum, aut institutum, vt plebs ecclesiam vniuersam administret, aut regat, vt plebs potestatem aliquam in ea exerceat; legimus quidem dictum Petro; *Pasce oues meas*, ac per

Arist. lib. 6. polit. c. 2.

Lib. 1. 2. 8. lib. 7. epist. 17. libr. 3. controu.

Lib. 2. & 3.

ac per pauca hæc verba ecclesiam factam gregem per pastorem, & pastores pascendam, hoc est sine vlla asperitate, sed cum amore regendam; at gregis, & ouium non est pascere, sed pasci, pastoris audire vocem, duci, & non ducere, regi, & non regere; gregis autem pars potissima est plebs, quam pastoris habere partem aliquam omnino incredibile; si enim aliquem regat, aut regere debeat, certè reget pastores suos, idque nil aliud est, nisi totam dispositionem à Domino institutam subuertere; nulla igitur populi, aut plebis potestas in ecclesia, quia nullibi vnquam ipsi data. Pascere gregem in ecclesia intelligitur præcipuè per doctrinam. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina*, inquit *Hieremias*, quod indicans *D. Paulus* coniunxit, ac pro eodem fermè accepit pastores, & doctores, ad *Ephesios* scribens, *Christum dedisse pastores, & doctores in opus ministerij, & ædificationem Corporis Christi*. Pascit itaque, qui potest docere, & ità docere, vt ædificet ecclesiam; præstare autem id nemo potest sine scientia, quam in populo, & plebe nemo vnquam vidit, quia quamuis scientiam possit aquirere populus ex verbi Dei prædicatione, at sufficiens hæc esse potest ad sui salutem, non ad aliorum instructionem, & ecclesiæ ædificationem, & quamuis defectum scientiæ suppleat interdum perfectio charitatis *capit. nisi cum pridem. de renunciat.* attamen scientia, quæ requiritur ad ædificationem ecclesiæ, debet esse ordinaria, & quam quis ex offitio gerat, & exerceat, qualem in vniuersa plebe, nec habemus, nec possumus

Cap. 3.

Cap. 4. 11

habere. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes doctores? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* inquit *Apostolus*; distincta, atque diuersa sunt munia, qualis non seruaretur distinctio, si plebs cuncta posset.

1. ad Corin. cap. 12.

Analogiam agnoscit *D. Paulus* inter corpus humanum, & mysticum ecclesiæ, humani autem corporis membra non omnia eundem actum habent, sed omnia ad totius conseruationem, ac ministerium conspirant; inter actus verò mystici corporis ecclesiæ præcipuus est præesse, qui ità debet esse distinctus, vt non omnibus competat, isque obtinere non potest in democratico, & populari regimine, in quo plebs, & populus iubet, ac imperat, & ideò instituta distinctio, ac dispositio in ecclesia huiusmodi regimen secum non patitur, quod quidem quantumuis sit ordinatum, non tamen distinctionem illam admittit, quam per analogiam ad corpus naturale eleganter Apostolus descripsit; & licèt declinare hoc absurdum studuerint huius opinionis assertores falsi, non merè democraticum ecclesiæ regimen, sed ex optimatibus mixtum. At inane studium: nam vbi populare est regimen numerus semper attenditur, vt docuit supra *Aristoteles*, quo numero attento nil iuuat optimatum permixtio maiori plebis quãtitati subiecta, quæ subiectio quàm sit infelix, reddidit disertissimè *Chrysostomus*. Nemo ergò crediderit vnquam Christum Dominum, & Deum Rempublicam, & ecclesiam in terris constituentem duraturam ad sæculi consumationem elegisse regimen, ac politiam omnium im-

Ad Rom. c. 12.

Lib. 6. polit. c. 2.

Homil. 2. in Ioan. Vesp. fin.

perfectissimam, instabilissimam, incertissimam. Quis vidit vnquam, narratum audijt, aut scriptum legit fidelem populum in quocumque ecclesiæ statu in vnum conuenisse locum per se, vel per legatos suos ad Rempublicam administrandam? & tamen si penès populum esset summa potestas, hoc necessarium aliquandò fuisset, & si factum esset, vtique iam constaret; nihil autem ex ijs, quæ potiora in democratia sunt, impleta in ecclesia, aut videris, aut videas. Primò enim ecclesiastici magistratus à plebe nunquam constituti. Presbyteros creandi facultatem nusquam reperies ecclesiæ datam, imò nec vnquam inter sacra volumina ostendas eandem potestatem siue populo, siue plebi concessã. Presbyteros creandi facultas penès Episcopum semper fuit, vel à primis ecclesiæ cunabulis. *Huius gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates Presbyteros, &c.* sic enim primi ecclesiæ ministri, qui fuere Apostoli à Christo Domino vocati, & electi, ab ipso potestatem acceperunt, non ab ecclesia, qui & subinde crearunt, & ordinarunt Episcopos, non autem ecclesia. Secundò nulla appellatio à sententijs Episcoporum, aut alterius cuiuscumque ecclesiastici iudicis ad populum delata, imò aliena omninò plebs christiana ab ecclesiasticis iudicijs, nec vllum vllo vnquam tempore ex ecclesiastica historia potest afferri plebis iudicium. Tertiò, nullæ leges à populo scitæ, sed à solis Pontificibus, & Concilijs; *Hinc visum Spiritui Sancto, & nobis*, scripserunt Apostoli nullo expectato, aut commemorato populi suffragio. Demùm quartò nullum

Ep. ad Tit. cap. 1.

Act. cap. 15.

Episcopum vnquam subiectum reperias iudicio populi, aut à populo legitimo modo depositum tamquam à competente iudice. Non itaque democraticum asseras regimen, vbi nullum intuearis popularis politiæ munus.

6 Inania sunt, quæ ad monstruosum commentum suadendum suprà afferebantur, leuissimum præcipuè, quod ex verbis illis. *Dic ecclesiæ* deducebatur; quod enim potestas ecclesiastica penès vniuersitatem fidelium sit inferre vetat interpretatio, quam ijsdem verbis dedit *D. Ioan. Chrysostomus*, & nos firmauimus supra, ait ipse. *Dic ecclesiæ; præsulibus scilicet, ac præsidentibus*; nam dictum ecclesiæ id re uera est, quod dictum præsidibus, ac maioribus eius, cum vel ex *Aristotelis* testimonio ciuitas dicatur, quod in ea est principale, vnde, & factum à ciuitate censetur, quod factum à principibus eius. Dicere ecclesiæ in verbis Christi Domini idem est, ac deferre ad publicum iudicium ecclesiæ, primùm enim præscribit, vt famæ consulatur peccantis per secretam correctionem, & si hæc non proficiat, ad publicum ecclesiæ iudicium deueniatur. Publicum autem iudicium intelligimus locum, & personam, quæ iuri dicundo in ecclesia præest, iuxta Pauli Iureconsuti assignationem in *l. pen. ff. de iust. & iure*, sicque meritò dictum ecclesiæ censebitur, quod dictum fuerit primoribus eius iurisdictionem, & potestatem habentibus. Accedat, quod nil fallaciùs, quam ex verbo *Ecclesiæ* arguere democraticum eius regimen, cum ex vi verbi non magis democraticum, quam aristocraticum inferatur, & tamen

Homil. 61. in Matth. circa med.

Lib. 9. Ethic. cap. 8.

tamen ad ſolum populare concluditur, & falsò. Nec magis vrget, quod Prælati eccleſiæ miniſtri dicantur, quod miniſtri nomen alienam poteſtatem, & alieno nomine exercitam indicat. Dicuntur enim miniſtri, quia miniſtrant nomine Chriſti primi, ac ſupremi capitis totius eccleſiæ, non autem, quia miniſtrent nomine populi, & quia poteſtatem, quam exercent, habeant à populo. Eſt quidem eccleſia congregatio fidelium; at qualis quæſo, illatio? ergo eccleſiaſtica poteſtas penès omnes fideles; nàm & regnum dicit collectionem populi, & tamen non eſt regimen, ac poteſtas penès populum, ſed penès Regem. Minùs concludit ſimilitudo à ciuili, & humana Republica, in qua poteſtas penès populum eſt, & prout populus poteſtatem ipſam transtulerit, Reſpublica ab vno, aut pluribus adminiſtratur. Nam ſæcularis, & eccleſiaſtica poteſtas differunt pluſquàm genere; illa enim naturalis eſt, hæc ſupernaturalis; illa naturali modo à Deo tradita, ſiue mediatè, ſiue immediatè, hæc immediatè, & modo diuerſo; illa ad finem naturalem, hæc ad ſupernaturalem, & ideò non idem neceſſario de vtraque cenſendum, quod & confirmant ea, quæ ſupra de origine vtriuſque poteſtatis diſſeruimus. Quod autem ſecundò & principaliter afferebatur à nomine eccleſiæ ab Apoſtolis indito, à Summi Pontificis electione per Cardinales facta, qui nomine eccleſiæ eligunt, & demùm ab Epiſcoporum electione, qui à populo per plures ætates electi ſemper fuere, diluitur facilè. Primò enim indidere quidem Apoſtoli *Eccleſiæ* nomen cœtui omnium fidelium, at non vt populare regimen indicarent; vſi namque ſunt *Eccleſiæ* nomine, prout apud ſeptuaginta interpretes adhibitum obſeruaure; in libro etenim Deuteronom. quatèr repetitum legimus *Eccleſiæ* [Cap: 23.] nomen, & tamen popularis non erat ſtatus, ſed ſub vno ductore, & Principe Moſe; regnabat Saul, & à Republica migrauerat regimen Dei iuſſu in monarchiam, & tamen de eo loquitur *David*. *Et non erit vniuerſa eccleſia hæc, quia non in gladio, neque in haſta ſaluat Dominus*. [Lib. 1. Reg. cap. 17.] Dedicauit Salomon Domino templum, & de eo licèt monarcha, ait lex *Conuertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni eccleſiæ Iſrael, omnis enim eccleſia Iſrael ſtabat*; & tamen populus ſub Rege erat. Significat igitur eccleſia populi conuentum, neque ad vllam regiminis formam alludit præcisè ſiue popularem, ſiue Regiam. Eligunt Cardinales Summum Pontificem, at non eccleſiæ nomine, hoc eſt totius fidelis populi, penès quem ſit tota poteſtas, qua de re diſſeremus exactè, & opportunè. At demus fieri electionem nomine totius eccleſiæ, & quæ ſubinde illatio? ergò ſumma poteſtas eſt penès eccleſiam; non enim neceſſe, vt electores habeant poteſtatem, quam habiturus eſt electus, vt in electione imperatoris, & aliorum ſublimium fas eſt intueri. Elegerunt fideles Apoſtolorum æuo, presbyteros, ſeptem diaconos, & Matthiam; fateamur, & olim Epiſcopos à laicis electos, ſed nil per hoc rectè de populari eccleſiæ ſtatu concluditur. Quod etenim ad ſeptem diaconos, & presbyteros attinet eccleſiæ ſuffragijs electos, non eſt quidem hic locus diſſerendi de

ſacrorum miniſtrorum electione; ſed nihil hoc ad popularem eccleſiæ politiam. Nam primò populum aliquem ex miniſtris ordinaſſe, aut aliquam ipſis dediſſe poteſtatem nunquam legitur, ſed tantùm nominaſſe, aut deſignaſſe, quos ad miniſterium, & ordinationem admitti cupiebat. Secundò (& veriùs) Paulus, & Barnabas eos conſtituerunt prebyteros fidelibus populis, qui teſtimonium honeſtæ, & inculpatæ vitæ ab ijs retuliſſent; cum enim Apoſtoli nullibi fixi conſiſterent, ſed regiones excurrerent inceſſantèr, noſſe qualitates, & mores non poterant eorum, qui ad ordines, & miniſterium ſe ordinari, ac promoueri optabant, ſed ad populi teſtimonium ſe referre debebant, & illud requirere; at non per hoc rectè arguitur, non licuiſſe D. Paulo aliquem ſibi benè notum ſine populi teſtimonio promouere, cum Apoſtolis Chriſti ore ſit dictum, *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos*; & tamen Dominus, dum in terris ageret, quemlibet in presbyterum, diaconum, diſcipulum, aut Apoſtolum ſine populi ſuffragio creauit; certè populi partes aliæ non fuere niſi teſtimonium præbere in ſacrorum miniſtrorum ordinatione, & electione, vndè hunc populi conſenſum approbatiuum, & acclamatiuum potiùs indicat *Clemens Romanus* in conſtitutionibus apoſtolicis, cuius fuſa ſatis verba nil aliud populo tribuunt, niſi nominationem, aut ad ſummum propoſitionem quandam, nec quidpiam ampliùs plebi, aut populo competere potuit, aut poteſt. Sic enim & *Tertullianus*. *Præſident probati quique ſeniores honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti*. Pulchrè & *D. Cyprianus* de plebe loquens. *Cum ipſa maximè habcat poteſtatem vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi*, & ne fortè ex hiſce verbis plus, quàm par eſt, populo tribueretur, mox ſe ipſum exponit ſubdens. *Quod, & ipſum videmus de diuina auctoritate deſcendere, vt ſacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus, atque idoneus publico iudicio, & teſtimonio comprobetur*; fuſiùs adhuc proſequitur relato antea Aronis, & Eleazari exemplo, indeque euincitur ſolum populi conſpectum, teſtimonium, & acclamationem in electione, & ordinatione ſpectatam, de quo tamen electionis, & ordinationis ritu nos alibi fuſiùs. Sat fuerit indicaſse modò, non rectè argui democraticum in eccleſia regimen ex concurſu, quem habcat populus in Epiſcoporum electione, & ſacrorum miniſtrorum ordinatione; quare, & meritò, politiam hanc ab eccleſia excludimus, tum quia peſſima omnium hæc regiminis ratio, tùm quia, ſi turbida, ac tumultuoſa in ſæcularibus ditionibus, at certè magis in eccleſia, quam ſi concipiamus, vt Rempublicam vnam (ſicut re vera eſt) toto orbe diffuſam, vix poſſumus imaginari, quomodo ornatè ab vniuerſo populo ſacrorum, & diuinorum planè rudi, & imperito, imò vel ſimpliciter valeat adminiſtrari; concipiat quis ſaltem mente, conſideret, & mox iudicet, ac dicat. Verùm qui ità fingunt, & ſentiunt malunt impoſſibile hoc extremum, dummodò aliud, nempè vnius regimen, excludant, & cum eo Summi Romani Pontificis primatum; ſed fruſtra.

Ioan. 6.20.

Lib. 8. c. 2.

In Apolog. cap. 39. in princ.

Lib. 1. ep. 4. in princip.

CAP.

CAP. IX.

Quod non Aristocraticum Ecclesiæ regimen.

1 *Asserentium proponitur opinio.*
2 *Referuntur fundamenta.*
3 *Negatiua, eaque vera opinio proponitur, & confirmatur.*
4 *Soluuntur, quæ contra allata.*

1 QVI declinare se non posse intuentur absurda, quæ populare regimen in ecclesia supponit, aliam ingrediuntur viam, & Aristocraticum assumunt, ac per optimates regi, administrarique ecclesiam asserunt, Deo primitus ità instituente. Omnia enim benè; dum regimen ecclesiæ non sit vnius, & præsertim Romani Antistitis; auctoritates contorquent, ac detorquent, rationes comminiscuntur, vt aristocraticam hanc politiam in ecclesiam intrudant, & ne videamur indicta, & inaudita causa iudicare, quamuis controuersialis non sit nostra intentio, momenta saltem potiora sic opinantium proponemus, & expendemus.

2 Aristocraticum igitur, & optimatum regimen in ecclesia describere, & exhibere ad oculum videtur D. Paulus. *Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum; numquid omnes Apostoli?* Ecclesiæ administratio per hæc verba certè proponitur, & tamen vnius regentis nullum vestigium vel minimum; & quia dici posset, hìc non exhibere Apostolum ecclesiæ regimen, sed varia dona, quæ sunt in ecclesia à Spiritu Sancto diffusa; vnde idem Apostolus subinde concludit. *Aemulamini igitur charismata meliora.* Ideò ponderanda veniunt tanquam planè interpretatiua, & declarantia, alia eiusdē Apostoli verba ad *Ephes.* scribentis. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi.* En totam hanc seriem ministrorum in ædificationem ecclesiæ, à qua non fuisset excludenda vnius suprema potestas, si præter Apostolos aliqua ea fuisset. Quod probat hæc auctoritatum Diuui Pauli collatio, confirmat, *Diuus Ambrosius* apertissimè; *Caput itaque (ait) in ecclesia Apostolos posuit, qui legati Christi sunt, sicut dicit idem Apostolus (pro quo legatione fungimur) ipsi sunt Episcopi*; nec absimiliter *D. Basilius*. *Cæterùm ecclesiæ gubernationes nonne manifestè, & citrà contradictionem, per Spiritum Sanctum peraguntur? ipse enim dedit ecclesiæ primum Apostolos, deinde Prophetas, aut Doctores, &c.* Instituit igitur Christus Dominus in ecclesia sua Apostolorum collegium, à quo tanquam ab optimatibus ipsa regatur cum donis illis, & charismatibus, quæ sunt propria ministrorum eius. Vident deesse in ecclesia aliquas ari-

sto-

Marginal notes: *Epist. 1. ad Corin. c. 12.* — *Ibid.* — *Ad Ephes. c. 4.* — *In 1. ad Corinth. c. 12.* — *Lib. D. Spiritu Sancto. cap. 16.*

stocratiæ conditiones, hancque vnam (quæ satis est) considerant, quod sit optimatum regimen, itàvt plebs excludatur, & vnius principatus, ideò respondent, nil esse mirum, si omnes aristocratiæ conditiones exactissimè in ecclesia non vigeant, quia ità est aristocraticum regimen, vt tamen non desinat esse monarchicum sub Christo, qui verus monarcha in ecclesia, non enim ipse abest, adest imò, præest, & ipsam regit, & ideò quærere in ecclesia alterius regiminis adæquatam formam est omninò importunum. Aristocratia exquisita in ecclesia non est, quia in vera, & exacta aristocratia optimates vniti ità imperant, vt tamen separati, & vt singuli nihil possint, quod non est, nec fuit in ecclesia post Christi Domini ascensum; Apostoli enim ità regebant ecclesiam vniti, vt tamen separati, & singuli plenam haberent, & exercerent ecclesiasticam potestatem. Aristocratiam igitur volunt, sed quia veritas eos in contrarium vrget, monarchiam non excludunt, sed sub Christo; Democratiam quoad aliquem actum non renuunt, qui Episcoporum electionem ad vniuersum populum pertinere asserunt, sicque vix habent vbi pedem figant, sed demùm pro aristocratia absolutè concludunt ex illo Christi Domini effato. *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; (Matt. c. 18.) quæ sanè verba ità approbant paucorom regimen, vt vnius omninò excludant.

3 At quid opus interpretationibus, coniecturis, & auctoritatum collationibus, vbi res meri facti agitur, voluntatis, & actualis institutionis? Regimen ecclesiæ à Christo Domino est. Videndum igitur quale ipse voluerit, quale instituerit, inquirendum, vbi nam loci legatur, quæue probet auctoritas, potestatem regendæ ecclesiæ Optimatibus collatam; nam sine collatione actuali, aut concessione huius potestatis nemo se ingerere, nemo sibi adrogare ecclesiæ regimen potest, nemo facere aristocraticam ecclesiæ politiam potest, nisi eam instituerit Christus eius auctor. Si itaque dicatur primò, collatum Apostolis tunc ecclesiæ regimen, cum ipsis mandatum, *Docere, baptizare, corpus suum conficere, ligare, soluere, peccata remittere, vel retinere*; (Matt. c. vl.) at nihil minùs, quàm aristocraticum regimen per ea verba in ecclesia institutum, quia, vt iam supra, (& verè) tactum, aristocratici regiminis proprium illud est, vt possint optimates vniti, quod separatis, & vt singulis, non licèt; si spectemus auctoritatem per suprascripta verba, quibus fundata aristocratia in ecclesia prætenditur, res potiùs inuerso modo se habet, nam munera illa docendi, baptizandi, Christi Corpus sacramentaliter conficiendi, ea sunt, vt à singulis, & non ab optimatum cætu veniant præstanda; sunt enim actus quidam, vel actiones, quæ sunt singularium, vel singulorum, aut esset necessariò dicendum, nullum ex ijs actibus posse exerceri, nisi in Episcopali Concilio, quod nemo vnquam dixit, aut dixerit, sic etenim fidelium salus, quæ quolibet momento est procuranda, à concilio penderet, quod nec semper haberi, nec semper potest operari. Et demùm si ea, quæ Christus Apostolis in communi commisit, à singulis possunt exerceri, nunquam ab ijs, quæ in communi commi-

misit, rectè arguetur, quod ecclesiæ regimen alicui optimatum congregationi fuerit commissum, non enim dici potest commissum ecclesiæ, vt omnibus, quod à singulis tantùm potest exerceri, & de facto exercetur; non igitur ex ijs verbis *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c.* licet arguere erectam à Christo Domino in ecclesia optimatum politiam in Apostolis. Si dicatur secundò, statutam aristocratici regiminis formam per illa Christi verba; *vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Nec quidem dici potest per ea verba prescripta forma, qua regi à præsulibus debeat ecclesia; sed vtique indicatum, quomodò debeat in pace, & charitate conseruari; non enim dictum. *Vbi sunt duo, vel tres in nomine meo, ibi tribunal, ac regimen ecclesiæ est, sed ibi sum in medio eorum,* hoc est, adest ibi pax, adest spiritus Christi, adest Christus ipse per gratiam, & charitatem, ac per auxilium; sic enim verba illa accepit *Chrisostomus*, dum ait. *Animaduerte quemadmodum, etiam hic dissidia, & inimicitias dissoluat, pusilanimitatem omnem exterminet, & homines ad vnam congreget voluntatem non penarum tantùm terrore, vt iam vidimus, verùm etiam his donis, quæ à charitate profluunt.* Cum ijs, quæ fusè prosequitur, exhibetque intentionem Christi Domini verba illa proferentis, ex qua nihil certè colligere licet, quod ad fundandum ecclesiæ regimen dirigantur; imò si consideretur attentè Euangelicus contextus, in quo verba illa continentur, nihil, vel minimum, apparebit, ex quo liceat arguere verba illa directa ad fundandum, & constituendum ecclesiæ regimen. Verùm circa eandem auctoritatem *vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo*; considerandum impensius est, quod non tribuitur tanta prærogatiua congregationi, vt congregatio est, sed sub ea formali ratione, quatenus sub nomine Christi congregatur, & conuocatur; igitur videndum primò, quid propriè sit conuocari nomine Christi. Neotericus, qui aristocraticum regimen in ecclesia acerrimè tuetur, congregari propriè in nomine Christi eos asserit, qui quoquo modo vocati, & collecti, inter se de Diuinis rebus optima intentione conferunt; at demus, fideles ea intentione conuenientes, vt Diuina tractent, Christum habere medium iuxta eius promissionem, id enim charitas, & optima illa intentio meretur, sed non hoc satis, si loquamur de publica congregatione, quæ quidem ea intentione conueniat, vt diuina tractet, at non ex sola charitate inter se, sed ad commune bonum, & ad totius sacræ Reipublicæ vtilitatem, de hac videndum est, quid propriè sit in nomine Christi eam conuocari; non enim sat est dicere nomen Christi esse gratiam, & virtutem, quam in cordibus nostris diffundit, quia cum soliciti modo simus de visibili ecclesię regimine, internus huiusmodi, & inuisibilis influxus ad rem non est. Signum ergo aliquod visibile est adstruendum, quod nobis exibeat nomen illud Christi, in quo conuocati congregantur, ac inquirendum, quod nomen, quamue potestatem Christus instituerit, in qua duo, tres, aut plures publicè congregentur,

Matth. 28.

Matth. 18.

Hom. 61. in Matth. 18.

Pa-

Pastoris nomen equidem aptissimum est ad oues veluti ex potestate congregandas, idque vel ex ipsius Ioan. c. 10. Christi Domini ore; *Pastor proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius*. Itaque si per nomen Christi, in quo duo, aut tres congregantur, potestas aliqua externa intelligenda est, profectò Christus in medio illius congregationis erit, quæ per illum fuerit conuocata, quem ipse pastorem sui gregis constituit. Is non alius quam Petrus, cui in amoris eximij, ac singularis retributionem singularis etiã, cœterisque maior data potestas per verba soli ipsi, & non alijs dicta. Si igitur in Petri potestate conuocantur oues, tunc tandem in medio earum consistet Christus cum à Petro, aut Petri successore vna, & eadem transmissa potestate, conuocantur. Hanc congregationem sic collectam supremam in ecclesia nunquam dixeris, quæ pastorem supra se intuetur, à quo in vnum vocetur; pugnat enim cum ratione supremi superiorem agnoscere. Aut igitur hæc verba *Vbi sunt duo, vel tres in nomine meo* nihil faciunt ad indicandum ecclesiæ regimen, aut potius regimen vnius confirmant, qui conuocet, ad excludendam optimatum politiam. Proferatur itaque alius diuinæ scripturæ locus clarior, aut exhibeatur praxis aliqua, ex qua euidenter appareat ecclesiasticum regimen alicui optimatum congregationi fuisse commissum, quorum neutrum hucusque factum. Si quę autem ex Apostolo allatæ sunt auctoritates infrà ponderabuntur, & interim Aristocraticam hanc politiam defectu auctoritatis iam labentem rationibus etiam diruamus. Si ab optimatibus ex Christi institutione regenda est ecclesia, aut volumus, quod omnes isti optimates semper intenti huic muneri incumbant, aut volumus ex ijs aliquos tantùm, vel ab ipso Christo, vel ab alijs optimatibus designatos, qui grauioribus, quibusque negotijs prę sto sint, quæ negotia in loco, vbi emergunt, non possint definiri, idq; præstent optimates isti tanquam commissarij ab alijs substituti. Non primum dici potest, quia compertissimum est Episcoporum concilia non fuisse continuata, aut perpetua, sed ab initio ecclesiæ certis interpositis spatijs celebrata. Non secundum, quia nunquam, aut vllibi constat certos huiusmodi viros, aut Episcopos designatos huic muneri vacasse, & tamen ecclesiæ regimen debet esse continuum, non interceptum, vt fideles pro negotijs, quæ in toto christiano Orbe quotidie erumpunt, possint consulere, atque responsa, & resolutiones referre. Non ergo institutum hoc optimatum regimen in ecclesia. Quod si dicatur Episcopos esse hosce optimates, penès quos sit ecclesiæ regimen, & ipsorum (fas sit dicere) magistratum, siue tribunal esse æcumenicam Synodum, iam necessariò fatendum erit Dei ecclesiam per integra sæcula, eaque plura sine actuali regimine extitisse; à primo enim concilio, quod Hierosolymis Apostoli celebrarunt, vsque ad Constantinum Cæsarem, sub quo fuit celebrata magna Nicæna Synodus, anni trecenti intercessere, & per tot sæcula sine vlla suorum optimatum congregatione, adeoque sine actuali regimine stetit ecclesia, & tamen

non

non defuere interim grauissimę emergentes controuersiæ ad ecclesiæ iudicium deferendæ pro definitione ad quietem ipsius ecclesiæ, vt fuere quæstiones de solemni Paschatis obseruatione, de pęnitentium reconciliatione, de ijs, qui baptismum ab hæreticis recepissent, de rebaptizatione, de donatistarum schismate, & alijs pluribus; sed & plures germinauere hæreses marcionitarum, Valentini, Origenistarum, quibus obuiandum, & quæ reprimendæ fuere; vnde nihil inconsultiùs dici potest, quàm toto eo tempore, quo non fuere celebrata concilia, nec conuenere ecclesiæ optimates, vrgentibus tamen adeò causis ecclesiam regimine fuisse destitutam, quod sanè dicendum est, si penès optimates sit ecclesiæ regimen, ac sit ipsorum curia, vel tribunal Synodus generalis; & si dicatur, toto illo spatio, quod lapsum est inter Hierosolymitanum Apostolorum Concilium, & Nicænum primum, & quo nulla habetur facta optimatum conuocatio, celebrata nihilominùs fuisse concilia prouincialia, ac mutuis epistolis inuicem communicasse Episcopos, sicque consuluisse exigentiæ christianæ Reipublicæ, hoc effugium ad maiores adigit angustias. Aut enim volumus, quod Episcopi residentes in ecclesijs suis determinauerint quid opus esset, quidue agendum foret è christiana Republica, aut volumus, quod in Synodalibus conuentibus suæ prouinciæ hanc auctoritatem exercuerint. Si primum; statim confusio, quis enim ex æqualibus Episcopis æquali suo iubeat? par siquidem in parem non habet imperium, & quæ maior ratio, vt vnus potius iuberet, ac seruanda præciperet, quàm alter? & si dicamus Metropolitanum, aut primatem id pręstitisse, esto quidem; si agatur de Episcopo comprouinciali suo, & iusserit vnuiersæ prouintiæ suæ:

At nobis modò disquisitio est de tota ecclesia, & de eius regimine, quomodò poterat Archiepiscopus, aut primas auctoritatem exercere extra prouinciam, ac alienæ prouinciæ seruanda præscribere? non itaque possumus rationabiliter imaginari, quod Episcopi in suis ecclesis eã exercuerint. Si verò dicamus Episcopos conuenientes in Synodis prouincialibus rexisse Rempublicam, neque hoc quidem, quid enim impedire potuisset, quin recusaret vna prouincia parere præcepto, quod statuisset Synodùs alterius prouinciæ, quando, vt distincti erant fines, ità diuersæ erant potestates? aut ergo trecentis illis annis iactata fuit sine regimine ecclesia, aut penès optimates non est eius regimen; scimus quis rexerit, & quomodo inter hæresum, & quæstionum tumultus ipsi ecclesiæ fuerit consultum, quia pastore suo nunquam fuit destituta; hoc itaque certum, quod non fuit, nec est optimatum ipsam regere supremo, ac independenti regimine. Plausibile adhuc fortasse videtur penès optimates, & Episcopos præcipuè in generali Synodo consìdentes vigere totam ecclesiæ politiam, nec satisfacere allatas hucusque auctoritates, & ponderatas rationes. Addamus igitur & tractabilem praxim, quæ conuincat, quàm vtiliter hoc optimatum regimen in ecclesia adstruatur. Sunt itaque omnes optimates, omnes Episcopi inter se æquales, nec enim maior, aut minor diœcesis amplitudo

tudo quidpiam potestatis, vel auctoritatis immutat: conuocanda est Synodus exposcente ecclesiæ necessitate, cuius erit conuocationem ipsam decernere, & imperare? Metropolitani namque id fuit semper in sua prouincia, at nunc agitur de indicendo generali conuentu omnium prouinciarum; vnde pro conuocatione generali is adeundus erit, qui supra omnes prouincias sit, & qui sicut Metropolitanus ex tota prouincia, ità ex omnibus prouincijs generaliter conuocet; omnes Episcopi tanquam optimates eiusdem Reipublicæ sunt pares, Metropolitani extra suam prouinciam nihil possunt, quis ergo adeundus? Imperator fortasse? at quid si Imperator, vt fuit sæpius, sit sæuissimus ecclesiæ insecutor, & hostis? quid licebit sperare ad hoc, vt conuocato concilio regimen totius, & vniuersalis ecclesiæ possit expediri? quid verò agendum eo æuo, quo Imperator desijt toti Orbi præesse, & iam adsunt supremi Reges, Principes, ac Respublicæ vastissimis dominantes, ac imperantes ditionibus, numquid patientur, vt Imperator auctoritatem suam porrigat intra eorum Regna, eorumque ditiones? numquid omnes isti supremi Principes conuocare debebunt, & generalia Concilia indicere? sperare ne, nedum credere licebit, vt conspirantibus votis in conuocatione concilij, consentiant? & vnus alteri non aduersetur, & se opponat? transeuntibus Episcopis ex aliena ditione iter facilè præbeat? an autem hoc munus sit Imperatoris, aut sæcularium principum non est hic inquirendi locus. Si dicatur quod ad Patriarchas pertineat, qui sunt supra Metropolitanos, & ad eos confugiendum, at Patriarchę sunt quatuor, vel (demus etiam) quinque, vt volunt aristocratici isti, qui æquales sunt, & vnusquisque suo præsidet Patriarchatui, sicque pares sunt auctoritate, quidquid sit de præeminentia quadam inter ipsos, & vnus alteri tanquam æquali non ità tribuet, vt conuocationem generalis concilij ipsi permittat, & conuocanti tanquam superiori parere velit. Itaque eò rediguntur, qui aristocratiam in ecclesia sustinent, vt aut regatur per optimates sine tribunali, ac eorumdem conuentu, aut si velint magistratum exhibere, ac tribunal erigere, modus non sit, quo huiusmodi conuocatio, & vnio fiat, qui defectus planè insanabilis est in publico regimine, & administratione.

Sed demus iam conuenisse optimates, & iam coactum concilium, mox nouæ difficultates erumpunt inter pares, & auctoritate æquales; quis tanquam caput huic conuentui præsidebit? vult enim *Apostolus* omnia inter fideles ordinatè fieri, si ex omnibus veniat eligendus, qui præsideat, quale schisma, quæue contentiones poterunt excitari? accedant Principum legati ad Synodum visibili capite carentem, quot altercationes accendentur de eorum visibili præsidentia? & demùm eò res poterit deuenire, vt quis ex optimatibus assumpta sibi principis, aut legati eius auctoritate, & copijs, si quæ adessent, præsidis, siue capitis ius sibi vsurpet; & tunc, quæ libertas, qualeue concilium? Dioscori Alexandrini in Synodo Ephæsina celebre est exemplum; quæ enim gesserit præsidens Dioscorus Cæsaris auctoritate suffultus non

1. ad Corin. c. 14.

est

est cur recenseamus, sat fuerit prædatoriam Synodum fuisse appellatam, siue latrocinium Ephesinum *Baronio* teste. Haud minùs obseruabile & Seleuciense Concilium in Isauria ex historia ecclesiastica *Socratis*, *Sozomeni*, *Theodoreti*, & *Baronij*. Conuenerunt ergo centum, & sexaginta Episcopi Ariani Concilium celebraturi Seleuciæ in Isauria neminem habentes præsidem nomine Romani Pontificis, siquidem indicta fuerat Synodus iussu Constantij Imperatoris; & quia norant rem concorditer agi non posse, vel ad horam, sine aliquo capite, aut præside, ideò præerat illis Leonas *satelles aulæ Imperatoriæ* (inquit *Sozomenus*) propter dignitatis splendorem clarus, qui de mandato Constantij Concilio interfuit; *Adfuit etiam Lauritius* (subdit idem *Sozomenus*) *Præfectus militum Isauriæ, vt si qua re opus esset, præsto foret*. Poterat huius præsidis præsentia seruilem quidem timorem, at non filialem in Episcoporum animos inducere, ideò amoris defectus, cuius est vnitiua virtus, rem totam ad mera dissidia, & meras rixas redegit. Primò enim altercatum, quia plerique expectari absentes volebant, & nihil intereà agi; hac composita lite, dubitatum secundò, an de criminibus, quæ pluribus objiciebantur, esset primò agendum, an verò de causis fidei? & hic diuisum concilium, vni parti fauente Acacio Cæsareæ Palestinæ Episcopo alteri Georgio Sardicæ Syriæ, & tandem illa obtinuit, quæ negotia fidei expedienda sentiebat; ventum ad negotia fidei, & statim noua contentio; nam pars altera volebat fidem Nicænam abrogari, & nouam condi formulam eiusdem fidei, at insistebat altera standum imò Nicænæ fidei, & solam immutandm *consubstantialis* vocem, à qua tamen omnia pendebant; & quamuis vtraque pars esset Ariana illa tamen, quæ àdhærebat Acacio contradictione alterius partis adeò offensa est, vt statim è concilio se subduceret, & quæ remansit, ianuis ecclesiæ occlusis, formulam concepit, cui omnes illi subscripsere, & quamuis niteretur Leonas dissidentes partes ad concordiam reuocare, nil aliud tamen obtinere valuit, nisi vt noua formula construeretur, ex qua tamen, cum nouæ semper quæstiones, nouaque dissidia pullularent, Leonas Concilium dimisit renuens ampliùs huiusmodi dissidijs interesse; huncq; exitum habuit concilium sine suo connaturali capite conuocatum, vt appareat, quid valeant optimates in ecclesia sine Præside suo, & quid sperandum esset, si aristocraticum foret ecclesię Regimen, cuius tribunal, & visibilis curia esset concilium.

Tom. 6. An. ann. 449.

Lib. 2. c. 30. & 32. Sozom. lib. 4. c. 31. Theod. lib. 2. cap. 27. Baron. to. 3. ann. 359.

Celebratum fuit eodem tempore Ariminense Concilium Episcoporum occidentalium, de quo varij varia sentiunt, sed demùm vocis ęquiuocatione decepti Patres, & optimates illi ab Arianis fidei professionem approbauere, quam Damasus Summus Pontif. Romanus cum alijs Ortodoxis Episcopis damnauit, vt scribit *Theodoretus*, apud quem legitur, & *D. Athanasij* de eodem Ariminensi Concilio conforme iudicium. Non igitur sufficiens regula fidei optimatum conuentus in ecclesia, nisi ab altiori vnica regula dirigatur, euenire enim posset, vt conuenientes aliqui Patres in vno loco contrarium ei decernerent, quod

Lib. 2. c. 22.

alij alibi conuenientes pari auctoritate decreuissent. Iam itaque planè concludens efformatur ratio; nam si penès optimates, & Episcopos esset suprema ecclesiastica potestas, omninò consequeretur, quod quò copiosius numero esset concilium, eò maiorem haberet auctoritatem, nec vnquam fieri posset, vt plus tribueretur minori concilio, quam maiori, & tamen Concilium Ariminense, de quo mox supra, fuit improbatum, in quo conuenerunt tercenti quinquaginta Episcopi catholici, & octoginta Ariani, concilium verò Constantinopolitanum primum constitit ex centum, & quinquaginta Episcopis, & quamuis numero inferius summæ semper extitit auctoritatis idque nulla alia ratione, nisi quia Ariminense fuit improbatum à Summo Pontifice successore Petri, Constantinopolitanum verò approbatum, quod si sit aristocraticum, & optimatum regimen nulla poterit assignari differentiæ ratio, cum vtrobique sint optimates pari auctoritate pollentes. Demùm aristocraticum regimen in ecclesiam inducere nil aliud esset quàm facillimè ecclesiam ipsam turbare, ac scindere eius vnitatem, vel in apertissimum discrimen eam adducere turbarum, & schismatis, inter tres siquidem politiæ formas, quarum singulæ suas patiuntur corruptiones, aristocratia per factionem facilè subuertitur ex *Aristotelis* sententia, qui hoc fieri, & euenire præcipuè obseruat facilimè, ***Cum aliquantus est numerus hominum magnos spiritus gerentium, quasi virtute similium.*** Quod ipsum in ecclesia per optimates facilime fieret, imò factum obseruamus, ex quo hæreses, vt plurimum, per sublimes scientia viros sunt excitatæ; notissima sunt nomina, eaque ecclesiæ infausta Simon Magus, Nicolaus, Marcion, Valentinus, qui fuere philosophi, vnde habuit fortasse *Tertullian.* vt *Philosophos hæreticorũ Patriarchas* nuncuparet; Origenes, Tertullianus ipse, Arius, qui fuere presbyteri, Paulus Samosatenus, Nestorius, Macedonius, Dioscorus, & aliquis etiam æui nostri, qui fuere Episcopi, & indicant, quàm sibi timendum esset ecclesiæ, si ab optimatibus summa auctoritate regeretur, & præsertim disiunctis, ac toto Orbe diffusis, nulloque alio nexu coniunctis, quam fidei, & charitatis. Itaque cum nullibi à Christo Domino institutam hanc regiminis formam habeamus, cum rationes hucusque ponderatæ ipsam excludendam demonstrent, nec congruum appareat, vt tale constituatur ecclesiæ regimen, quod ad charitatem, pacem, & vnitatem in ea fouendam tutò non conferat, meritò reijcienda est ab ecclesia huiusmodi politia ea intentione excogitata, vt vnitas ipsa ab ecclesia exulet.

Lib. 5. polit. c. 7.

Aduers. Hermog. c. 8.

Iam nunc facilè corruunt, quæ ex auctoritatibus Diui Pauli afferebantur adstipulantibus Ambrosio, & Basilio ***Posuit Deus in ecclesiam primum Apostolos &c. Et ipse dedit quidem quosdam Apostolos &c.*** vnde cum Ambrosio, & Basilio inferebatur primitùs penès Apostolos tanquam optimates constitutum ecclesiæ regimen. Pauli auctoritates Paulus ipse declaret, ac soluat. Nihil igitur ibi Diuus Paulus de visibili ecclesiæ regimine, de quo nobis modò sermo, sed vtique de spirituali ecclesiæ ædificatione, quæ tanquàm corpus in Christo veluti

capi-

capite crescit, fide, spe, & præsertim charitate aucta, cui propterea assignatos docet Apostolos, Prophetas, Euangelistas, ac varia ministrorum genera ad spiritualem hanc ædificationem cooperantium. Hanc *Apostoli* intentionem comprobant, primò ipsius verba, quibus veluti præfatur, caput enim aggrediens, ac quasi ab vna materia ad aliam transitum faciens, scribit, & exorditur. *De spiritualibus autē nolo vos ignorare*. Sed euidentiùs firmat auctoritas secunda. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*. quam paulò inferiùs in ea verba explicat. *Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, atque connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, argumentum corporis facit in ædificationem sui in charitate*; quæ verba conferunt corpus cum Christo capite ratione interni influxus per dona, virtutes, & charismata; at de externa, & visibili ecclesiæ politia, nec minimum quidem. Nec diuersum probant Ambrosius, & Basilius; Ambrosius enim Paulum interpretans sentire aliter non potest, quàm sentiat Paulus ipse; vnde cum inquit. *Caput in ecclesia positos Apostolos*, certè loquitur habito respectu ad varia munera ecclesiæ, quæ ibi partitè Apostolus recenset ità, vt ex ijs, qui ad ea obeunda sunt destinati caput, & primum, ac principale munus sit Apostolatus, vel *Caput* accipere ità possumus, vt apostolatus dignitatem significet, qua in ecclesia nulla maior, at semper cum respectu ad materiam subiectam spiritualium scilicet munerum, & interioris incrementi ipsius ecclesiæ, non autem exterioris regiminis, de quo modò agimus. Diuus verò Basilius per allata verba, iuxtà intentionem totalem illius capitis, nil aliud vult, aut intendit, nisi ecclesiæ regimen, siue gubernationem per Spiritum Sanctum fieri, quod nemo negat; sed non per hoc certum aliquod ecclesiæ regimen licet inferre sicut prętenditur. Gratis autem assumitur, & asseritur, quod infertur, nec probatur, Christum scilicet potestatem, & ecclesiæ regimen Apostolorum Collegio tradidisse, quod nil aliud esset, quàm fecisse aristocraticum regimem; nàm nostra disquisitio non est de qualibet potestate, sed de summa; quæ autem auctoritas, vel potestas fuit data Apostolis, cæterisque discipulis à Christo ità omnibus data est, vt etiam singulis, vnde ad eam exercendam non est opus concilio, poterant enim Apostoli singuli, & possunt etiam nunc singuli Episcopi docere, baptizare, soluere, ligare, ordinare, quod tamen ipsis, vt singulis non liceret, si in communi, & tanquam collegio collata esset potestas. An autem vni dederit summam, examinabimus infra; sicut & de auctoritate illa *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo &c.* supra satis dictum, Quod autem afferebat Neotericus veræ aristocratiæ conditiones in regimine ecclesiæ non adesse, quia est monarchia sub Christo, & ideò sat est, si excludat vnius regimen, & plebem, nil aliud est, quam quærendo effugium pugnantia, & implicantia proferre; nam pugnant omninò inter se vnum, & idem regimen formaliter, & æquè principaliter esse

1. ad Corin. c. 12.

Ad Ephes. c. 4.

esse monarchiam, & aristocratiam; nàm participatiuè, & mixtè nec est inconueniens, nec impossibile, vt iam supra cum Cardinali Contareno tetigimus, sed de hoc modo non loquitur supra allata assertio. Si ergo ecclesia in terris est monarchia sub Christo, eadem in terris non potest esse aristocratia, & è conuerso. Aut igitur Christus non est verus & proprius ecclesiæ monarcha, sed solummodò est tanquam Dux Reipublicæ aristocraticæ, aut in ecclesia nulla est aristocratia, sed monarchia pura sub Christo, hæc enim duo purè, & formaliter in vno, & eodem subiecto non possunt consistere, cum mutuò se expellant. Aut Christus vnicus adhuc, & corpore duntaxat absens, & non spiritu per plures ministros, & operarios regit, & administrat corporalibus functionibus ecclesiasticam Rempublicam, & tunc certè regimen est merè monarchicum, aut non ità est, sed eo præciso remanent soli ministri, & tunc erit regimen verè aristocraticum, & sic nihil stabile afferetur, sed omnia pugnant: nec mirum, cum à veritate recedatur, quæ vna est. Concludamus itaque, quod cum nullibi in euangelio habeamus erectam à Christo Domino in ecclesia aristocratiam, cumque à nullo alio potuerit huiusmodi politia induci, atque constitui, iam nulla talis censeri potest; sed aliud regimen in ipsa ecclesia inquirendum, quod quidem ex hucusque facta inductione necessariò consequitur.

CAP. X.

Quod Monarchicum Ecclesiæ Regimen.

1 *Non esse impossibile, vt toto Orbe diffusa ecclesia, regatur ab vno.*

2 *Congruum, & rationabile ità institui eius regimen.*

3 *Et de facto ità institutum, ac proinde releguntur Ecclesiæ primordia.*

4 *Per verba* Pasce oues meas *summa fuit collata potestas in Petrum; & de eorumdem verborum amplitudine.*

5 *Nec tamen ideò Apostoli fuere Petri Vicarij.*

1 MONARCHICVM Ecclesiæ debere esse, & de facto esse regimen ex hactenùs dictis omninò consequitur, idque per omnes partes confirmandum exactè est, quandoquidem ex eo fundamento alia, vt verissima, ita & grauissima pendent. Præmittemus itaque non esse (quod monarchico regimini ecclesiæ infensi autumant) impossibile, vt quantumuis vasta, & diffusa militans ecclesia, ab vno regatur, & quamuis constito, ac supposito, à quo sit inductum huiusmodi regimen, Deo scilicet, cesset, omnis scrupulus, & impossibilitatis suspicio, attamen hæc pars, vtpote fundamentalis, sine ponderatione dimittenda non est, & sine demonstratione congrua. Nihil grande in ecclesia, quod à Deo in figura non fuerit longè

longè antea præmonstratum, vt homines tantò faciliùs factum crederent, quod respicientes adumbratum per eiusdem auctoris infinitam potestatem intuerentur. Habuit omni æuo ecclesiam Deus, populum scilicet à se delectum ad veram sui cognitionem, verumque cultum, qui veram ecclesiam sanguine Vnigeniti filij sui fundandam præsignaret, & huic Pontificem vnum statuit ex Leuitarum genere, qui iuxta templum Domini in sancta ciuitate residens vniuerso populo præesset: templum vnicum erat, & locus sacrificij vnus in vniuerso Orbe pro iudaico populo quaquà terrarum diffuso, qui suas habebat in omnibus locis synagogas, & si quæ nata esset difficultas, quæ per minores iudices non potuisset dissolui, ea deferebatur decidenda ad sacerdotem Leuitici generis, cui parendum sub pæna mortis Deus sanxerat; vnusque & ipse summus, immenso populo, ac per Orbem disperso sufficiens erat. Prolusit subinde summa prouidentia Deus regimini ecclesiæ suæ, dum sub vnum caput vastissimum Romanorum Imperium redegit, imò tunc nasci voluit, cum extincta Republica vnus Augustus toti Mundo præesset, vt obseruauit *Eusebius*, ac disertissimè ponderauit *S. Leo Magnus*. *Vt autem huius innenarrabilis gratiæ per totum Mundum diffunderetur effectus, Romanum Regnum Diuina prouidentia præparauit: cuius ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum vndique gentium vicina, & contigua esset vniuersitas; dispositio namque diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna vno confœderarentur imperio, & citò peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis.* Verissimè; sicque confunderetur eorum peruicacia, qui operante Dei gratia id fieri posse negarent, quod fieri vi sola, ac prouidentia humana viderent. Dei gratiam dicimus, & supponimus, quæ vberrimè per Christum, & euangelium est tradita, & cuius ea virtus, vt pardos agnos, leones boues, & feras cicures & reddiderit, & reddat; vnde tantò faciliùs est vnum regere agnos, oues, & cicures, quantò pardos, leones, & feræ huiusmodi animalia, quales erant homines ante Christi aduentum iuxta *Isaiæ* vaticinium. Mirùm sanè! credere homines ecclesiam democratica, aut aristocratica politià administrari posse, & nolle capere, quod possit regi monarchia, cum tamen si conferamus, illæ hac longè impossibiliores appareant. Concipiamus ecclesiam (vt nunc est) toto Orbe diffusam, & regendam per populum; quomodo poterit populus adeò ingens, & dissitus in vnum aliquem locum conuenire, vt grauiora ipsius ecclesiæ valeat definire? quis locus comitia immensæ fermè multitudinis capiet? quod tempus ad danda, & colligenda suffragia sufficiet? quis est modus instruendi rudes animos, conciliandi, quo casu (quod facilimum est, imò certissimum, & ineuitabile, cum populus bellua sit multorum capitum) dissentiant, ac dissideant? Mens vix potest hæc sibi fingere; & tàmen hæc ipsa censentur possibilia, imò facilia illis, quibus vnius regimen videtur impossibile; Eandem concipiamus per optimates aristocraticè administrandam & tunc, qui erunt optimates esti? numquid Episco-

Deuteron. cap. 17.

De monst. Euang: lib. 3. c. 9.

Serm. 1. de Nat. Petr. & Paul.

Cap. 11.

sco-

ſcopi? atqui non deſunt, qui Acrij excitantes hęresim Epiſcopos presbyteris pares volunt, quos ſi audias, & presbyteri optimates erunt; omittamus prebyteros, deeruntne forſare, qui velint, & ſæculares ſupremos Principes hiſce eccleſiaſticis optimatibus adcenſendos? ſed neque hoc ſomnient catholici principes, remaneant Epiſcopi ſoli; & tunc quomodo de maximis; & perarduis negotijs, quæ quotidiè emergunt, cognoſcent, aut decernent? numquid ſinguli ſeparatim? & tunc vix dici poterit regimen optimatum, quos in commune decernere certum eſt: fac quod in eadem re deliberanda non conſentiant, quis conciliabit? quis ſuffragia colliget? quis recenſebit? numquid omnes coniuncti? quo duce, aut conuocante ſi omnes ſint pares? quis ſufficiet numerus? ſi omnes dixeris neceſſarios, & quæ ſpes, vt omnes Epiſcopi chriſtiani Orbis conueniant? negotia ſunt frequentiſſima, & quotidiana, quæ breuem, & facilem reſolutionem expoſcunt, & certè omnes iſti optimates, nec quolibet quidem anno, ne dicam menſe, poterunt conuenire: & tamen hoc regimen videtur illis poſſibile, quibus vnius regimen in eccleſia concipere eſt impoſſibile, præſertim vbi pacata iam eſt, gentium impugnationibus libera, & à tot hæreſibus purgata, quæ per omnia ſæcula ipſam concuſſere; præſidet licet inuiſibiliter Chriſtus tanquam primum, ac ſupremum caput per gratiam inceſſanter influens, at non id ſatis, quominus poſt ipſum, & ſub ipſo aliud caput præſit, quod vicaria poteſtate Chriſtum ipſum viſibilitèr repræſentet, ac viſibilem eccleſiæ monarchiam exhibeat. Neque obijciatur fieri Chriſto ſummo capiti iniuriam, dum aliud caput in eccleſia adſtruitur; quia caput hoc viſibile, quod vnicum ſtatuitur, eſt ſecundum à Chriſto, & poſt Chriſtum, non autem excluſo Chriſto, qui caput eſt æternum eccleſiæ in quocumque ſtatu, & quacumque differentia temporis conſideratæ. At caput, quod vnicum regit eccleſiam, eſt caput eccleſiæ, quæ ad tempus in terris degit, & non iure ſuo; ſed beneficio alieno, Chriſti ſcilicet capitis ſupremi, qui temporariam hanc repræſentationem, & auctoritatem delegauit, & ideò nulla dici poteſt ipſi fieri iniuria, dum creditur, & aſſeritur, quod completo noſtræ redemptionis myſterio aliquem in terris reliquerit, qui præſidens viſibiliter, & tanquam caput eius corpore abſentis, licèt ſpiritu, & poteſtate præſentis, vicem ſuppleat. Imò augetur potius Chriſti gloria; quoties enim vnus ſub Chriſto Summus Pontifex in eccleſia apprehenditur, quoties caput vnum, & iudex in hoc Mundo agnoſcitur, quoties ad vnum tamquam ad Chriſti vices gerentem recurritur ex quacumque cauſa, toties Chriſtus fide, mente, verbo, facto apprehenditur, & exaltatur: caput igitur viſibile in eccleſia conſtituere, non eſt Chriſti gloriæ detrahere, non eſt ipſum caput excludere aut fundamentum aliud ponere, quod faciendum negauit *Apoſtolus*: 1. ad Corin. c. 3. ſed Chriſtum ipſum caput ſupremum eiuſdem eccleſiæ ſupponere, eundemque tanquam archetypum in imagine cum analogia venerari, & adorare.

2 Oſtenſo non eſſe impoſſibilem in eccleſia monarchiam, iam oſtendendum, & congruum, ac ratio-

tionabile esse, & fuisse tale constitui in ipsa regimen. Iam supra tetigimus, ex triplici administrandæ Reipublicæ modo, monarchia scilicet, aristocratia, & democratia, omnium præstantissimum esse monarchiam; omnes regendi modi laudabiles sunt, boni, & perfecti in genere suo (ne fortasse in inuidiam adducamur) singuli enim publicum bonum, & communem vtilitatem respiciunt, & vt populorum mores variè sunt dispositi, modus vnus vni adaptatur, alter alteri, semper laudabiliter, semper rectè. At theoricè loquendo, & præscindendo à quacumque singulari consideratione monarchia excellentior, perfectior, & sublimior regendi modus, & politiæ est: diuinissimam Reipublicæ formam appellauit *Aristoteles*, & omnium optimam, quam quidem totus naturæ ordo apertè commendat. Non excurremus naturæ gradus, in quibus singulis emicat vnum, quod præsit, siue cœlestia, siue sublunaria consideres, at ponderationem elegantissimam proferemus, quam facit *Chrysostomus* sic facundè disserens. *Itaque veluti à capite quodam vno totum humani generis corpus dependet: & quia iam à principio parentes duo fuisse videri possent, vide, qui conglutinet, qui in vnum lege connubij coniungat, & eum, ex quo factæ est, maritum mulieri tradit, &c. deinde hunc imperare illam subesse iussit; esse enim inter æquales æmulationem nouit; itaque noluit esse democratiam, sed regnum*, & en humani generis primordium à regno; in diuinis, ità multiplicantur personæ, vt tamen semper stet vnitas, & demùm rerum omnium multitudo,

Lib. 4. polit. cap. 2.

In 1. ad Corint. homil. 34. antè med.

vt pendet ab vno, ità tendit in vnum, & vnum omnibus præest omnia regens. Cum igitur Christus Dominus ecclesiam suam instituens voluerit esse perfectam, vnde & longè præclariora dona ipsi contulit, quæ in rerum natura poterant inueniri, *est enim eminens gratia Dei in nobis* (inquit *Apostolus*) *& donum inenarrabile*, dicendum & id voluisse in ea regimen, quod cæteris est perfectius, & excellentius, adeòque voluisse monarchicum, eamque delegisse politiæ formam, quæ ad vnitatem cum primis conferret: cum enim ecclesia sit per totum Orbem diffusa, vix vnitas potuisset, & posset seruari, nisi regeretur ab vno, & in vnum intuerentur vndecumque omnes. Huius intentionis, & voluntatis argumentum exhibent irrefragabile epitheta duo inter cętera, quibus ecclesiam suam nuncupauit, ciuitatem scilicet, & regnum: per ciuitatem, regiminis necessitatem indicans, sine regimine enim, Rectore, & Magistratu non potest ciuitas consistere, vt pluries docuit *Aristoteles*: per regnum, formam regiminis, quæ vnius est. *Consueuimus enim* (inquit *Aristoteles*) *vnius principatum, qui communi vni vtilitati consulit, regnum appellare*. ecclesiam suam appellauit regnum, & rectorem eius pastorem, non regem, vt ablegato regij nominis fastu, potestatem planè sublimem, & excelsam cum humilitate temperaret, ac excluso nomine rem retineret, quandò pastoralis vita Regiæ dignitatis typus verissimus est.

2. ad Corin. cap. 9.

Apocal. 21.

Matt. c. 13.

Lib. 3. de Rep. c. 7.

3 At possibile sit monarchicum ecclesiæ regimen, sit congruum tale institui, potuerit Christus hanc politiæ formam statuere, at totus nodus

dus in eo est, quod voluerit, & de facto regiam politiam indiderit, ac penès vnum summam potestatem posuerit; hanc voluntatem, hoc factum negant, qui volunt aristocraticum ecclesiæ regimen, & vtrumque ostendendum nobis est, huic enim fundamento tota innititur ecclesiæ moles, & veritatis doctrina. A facto igitur exordiamur, neque enim fas est aliud ecclesiæ regimen comminisci, quàm id quod Christus Dominus induxit. Relegamus ecclesiæ primordia, sectemur progressum, & intuebimur quid re vera voluerit, & quod instituerit. Assumpsit itaque humanam carnem nascens in tempore, qui semper fuit in æternitate, & ecclesiæ, qualis nunc est, nascendo fundamenta iecit. Inde maturescente opere, ad quod venerat, ecclesiæ ipsi efformandæ applicuit, iamque discipulos sibi cæpit deligere, & aduocare, non tamen omnes simul, sed primùm duo ex discipulis Ioannis Baptistæ ipsum audire cæperunt, & edocti secuti sunt eum; alter fuit Andreas, qui subinde & Simonem fratrem adduxit ad Iesum, hicque de Simone mystica nominis commutatione denominatus est Petrus; subindè vocauit Philippum, & successiuè alios. Ioann. c. 1. Collecta discipulorum manu duodecim ex ipsis selegit oratione præmissa, & vt exemplum in arduis imitandum daret, & vt rei grauitatem ostenderet. Hos vocauit Apostolos, iisque plura charismatum dona contulit, eijcendi scilicet dæmonia, infirmos curandi, mortuos suscitandi, vt per miraculorum gratiam prædicandæ veræ fidei viam sterneret, & aperiret, idque ante omnem ipsis datam potestatem spiritualem; miracula enim fuere necessaria, vt *Mundus crederet* (ait *D. Augustinus*) *& vt à miraculorum potestate potestatem peccata dimittendi argueret.* At quia ad opus grande, quod moliebatur, exiguus erat Apostolorum numerus, elegit & alios septuaginta duos, quibus eandem, quam dederat Apostolis, miraculorum potestatem concessit. Siste considerationis gradum (lector,) & inter hæc nascentis ecclesiæ primordia intuere solum Christum ipsam efformantem, & regentem, ac Apostolos, & discipulos in ministerium, non in regiminis consortium assumentem. Necessarijs sic instructa ecclesia, personis scilicet, ac miraculorum potestate, iam ad vlteriora progreditur eius conditor, & maiora, ac sublimiora discipulis præparat; sed primùm (& non sanè sine re) Petro soli, & separatim ab alijs potestatem indefinitam, adeòque plenam in ecclesiam suam promittit; *Et ego dico tibi* (singulare quidplam indicans, nec alijs commune) *quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumq; solueris super terram erit solutum & in cęlis.* Matt. c. 16. Grande promissum, & doni magnitudo ineffabilis! promissum soli Petro factum, & antequam cæteris Apostolis aliquid promitteretur. Sed quia, & ipsi partem in ecclesiæ propagatione erant habituri, ideò præter charismatum dona, suam & ipsis promittit potestatem dimittendi peccata. *Amen dico vobis quæcumque alligaueritis super terra, erunt ligata & in cęlo, & quæcumque solueritis super terra,* Matt. c. 18

terra, erunt soluta, & in cęlo; quæ quidem duæ promissiones si inuicem conferantur, quæ facta fuit Petro longè amplior, quę verò Apostolis longè apparebit angustior; in illa enim promittuntur claues regni cęlorum, & futurum Petrum ecclesiæ fundamentum, & basim, quorum neutrum promissum Apostolis. Suspensa remansit vtraque promissio, donec post resurrectionem suam vtramque Christus impleuit. Verùm interim, cum proximè esset moriturus, & transiturus de mundo ad Patrem, non promisit, sed in cęna cum Apostolis recumbens proximè antè passionem iisdem contulit potestatem superexcelsam conficiendi sacramentaliter Corporis sui, eosq; sacerdotes instituit. *Hoc facite in meam commemorationem*; sed hoc ante traditam actualiter ligandi, & soluendi potestatem iam promissam; tum quia Christus nondum sanctificauerat ecclesiam sanguine suo, à quo tota potestas dimittendi peccata, vim, & efficaciam habet, tum quia decuit Apostolis impertiri primò potestatem in Corpus Christi verum per sacerdotium, & subinde in mysticum, cum omnes ordines suam recipiant perfectionem à corpore Christi, vt inquit *S. Dionys. Areopag.* quas duas potestates non separat ecclesia, quia non viget ratio illa iam allata separandi, quæ tunc Christo conferente vigebat.

Luc. 22. 19.

De eccles. hierarc. c. 6 §. 5.

Expleto nostræ redemptionis mysterio, & sanguinis sui sacrosaacto cruore consecrata, ac desponsata sibi ecclesia, Christus Dominus promissorum memor ad ea implenda accedit. Cum igitur duæ essent factæ promissiones, altera, eaque prima Petro, altera & posterior Apostolis, in ipsis implendis ordinem inuertit, sicque ab ea promissione, quam fecerat omnibus Apostolis, exorditur. Cum itaque promittens dixisset *Amen dico vobis, quæcumq; alligaueritis super terra &c.* iam implens ait. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset insufflauit, & dixit eis. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt.* à quibus verbis nec disiungenda sunt illa apud *Matth. Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra; euntes igitur docete omnes gentes.* Per hæc itaque verba data est Apostolis promissa potestas non excluso Petro, qui hucusque par, & æqualis reliquis Apostolis parem etiam cum ipsis adeptus est potestatem; obseruemus hic attentè ecclesiam hactenus ab vno Christo Domino erectam, & rectam in nouo, ipsoque primò statu constitutam; vnum enim eius caput, vnus Pontifex, vnus Episcopus Christus scilicet, & Episcopatus vnus, in cuius administrandi curam assumpti Apostoli, ipsisque data potestas cum iurisdictioue omnibus in solidum, & ità tota omnibus, vt tota singulis, vt posset ipsorum quilibet prædicare, baptizare, peccata dimittere in Episcopatu Christi, cuius erant assumpti adiutores, & ministri sub vno capite Christo, nondum enim data fuerat promissa Petro magna illa, & singularis potestas. Vnde operabantur omnes in solidum in ecclesia Christi ipsis communi, nondum enim ecclesiam aliquam sibi fecerant propriam, quam quisque sibi per martyrium aquisiuit, sicut Christus per sanguinis effusionem, vt ponderauit

Cap. 28. 18.

In epist. ad Ephes. c. 4. rauit D. *Ambrosius*. Decuit sanè ità regi ecclesiam sub vno Christo adiuuantibus in solidum Apostolis ratione multiplici. Prima, vt post omnia sacramenta instituta, existente ecclesia sub vno visibili capite Christo, in eo omnes vnum fierent *Ioan. c. 17.* immediatè, & vnitas illa fundaretur, quam tantoperè Christus commendauit, & intendit. Secunda, vt peractæ redemptionis fructus ad omnes celeriter perueniret, & in redemptionis plenitudine plenissima esset vnio in ecclesia; meliùs autem hoc fieri non poterat, quàm si in omnibus Apostolis eadem esset potestas, & inter existentes sub vno capite nulla vel minima adesset diuisio. Tertia, voluit Deus ecclesiam esse sub vno Christo inter Apostolos, vt esset ad instar supremæ illius, & cœlestis ecclesiæ, eamque vel exiguo tempore imitaretur, quæ nec habet, nec habebit caput nisi Christum, ad quem cessante hominum sacerdotio in fine sacra omnia reducerentur, vt inquit *D. Gregorius Nazianzenus*, *Orat. 11.* sicque debuit à Christo solo capite exordiri, quæ duratura in æuum in Christum vnum caput terminabitur. Quarta, decuit, vt Christus primùm plures Episcopos institueret, tum ex ijs vnum assumeret, qui esset aliorum princeps. *Psalm. 44.* *Vnxit te Deus præ consortibus tuis*. At interim neminem adhuc constitueret principem, sicut nec cum constituit Apostolos, aut ordinauit sacerdotes, neminem ex ipsis principem fecit. Quinta, demùm (vt & alias huius status congruentias omittamus) vt innotesceret ipsi ecclesiæ hierarchiam non futuram ex vno, sed ex pluribus Episcopis. Iam igitur intuiti sumus hucusque ecclesiam in sui primordio vixque erumpentem ab vno rectam, & facto ipsius Christi sub monarchico regimine constitutam, nec vlla maior, aut euidentior probatio huius politiæ potest afferri; Cum igitur ecclesiam suam sub vno visibili capite, se ipso scilicet, Christus instituisset, transiturus demùm de Mundo ad Patrem, stabilire decreuit eandem ecclesiam, & ad eum statum redigere, in quo vsque ad consumationem sæculi esset permansura. Recessurus itaque statum ecclesiæ suæ modicum immutauit, vt quæ erat ex Apostolis, & Discipulis sub vno Christo, esset quidem sub ipso, sed inuisibiliter præsidente, at sub alio visibili capite, quod ipse sibi tanquam Vicarium in regimine visibili substitueret. Apparens igitur tertiò post Resurrectionem suam ad mare Tyberiadis promissum illud implere statuit separatim ab alijs, & singulariter Petro factum, stipulatoq; ab eodem Petro iterum, & tertiò singularis amoris testimonio, eoque à Petro stipulata responsione præstito, demùm bis expressit. *Pasce agnos meos*, & tertiò. *Pasce oues meas*. *Ioann: 21. 15-17.* Quæ verba, vtpote impletiua promissionis iam factæ cum respiciant verba illa. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum*, eaque sint dicta singulariter Petro ab alijs separatim, iam indubitanter significant, quod Petrus habet claues Regni cœlorum, quod sit petra, super qua fundatur ecclesia, super qua constituitur, & cui maximè innititur, & quod quid amplius cœteris sit concessum Petro, cui verbis diuersis, ac diuerso tempore Dominus est locutus.

Factus ergo Petrus regnante

adhuc

adhuc in terris Christo visibile, sed vicarium ecclesiæ caput, & eiusdem post Christum Episcopus, & hierarcha, (qualem antea cum Christo nusquam habuerat ecclesia) vt monarchicum regimen, quod iam cœperat in Christo, per Petrum, & per successores Petri, vsque ad consummationem sæculi perseueraret. Mirabile hoc diuinæ promissionis implementum plura, ipsaque singularia in Petro est operatum, eaque omnia pauca illa, sed ditissima complectuntur verba *Pasce agnos meos*. *Pasce oues meas*; sed præcipuè potestatem in totum Christi gregem; vnde *Eucherius Lugdunensis*, *Non solum pastorem, sed pastorem pastorum constituit; pascit igitur agnos Petrus, pascit & oues, pascit filios, pascit & matres*; Et *Chrysostomus* collatam asserit per verba illa Petro ecclesiæ præfecturam, quod nil aliud demùm est, nisi quæsitum Petro super alios Apostolos, & vniuersam ecclesiam primatum, cui quidem primatui testimonium perhibent pariformia omnium SS. PP. vota, quæ redditis ipsorum verbis colligit exactè *Baronius*. Reddere singulas nostri non est instituti; sat fuerit si ostenderimus per verba illa *Pasce agnos meos*. *Pasce oues meas* summam Petro collatam fuisse potestatem, cum ea enim stat necessariò in ecclesia primatus, & cum primatu monarchicum regimen.

Serm. in vig. S. Petri.

Lib. 2. de sacerdot.

To. 1. Ann. anno 34.

4 Assumamus igitur verbum *Pasce*, quod nefas ità restringere, vt solam prædicandi potestatem indicet, hæc enim non soli Petro (cui vni dictum *Pasce*) sed & reliquis Apostolis data, cum ijs dictum; *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; *& euntes docete omnes gentes*; vnde non erat cur eadem repeteretur concessio, & singulariter Petro; quem Christus in ijs verbis alloquitur præcisè, nec alia interrogationum præparatoria præmitterentur; quæ in argumentum longè maioris negotij sunt præmissa. Generale est verbum *Pasce*, ac relatum ad gregem, quem intrinseca vi, ac significatione respicit, non tantùm significat pabulum, & alimenta ministrare, sed & dirigere voce, baculo coercere, promouere ad vtilia, à noxijs retrahere, aduersa omnia repellere, & ità demùm custodire, vt saluus, & incolumis, imò & fœlix, cura, & opera pastoris grex ipse reddatur; hæcque omnia iniuncta Petro, dum per verbum *Pasce* pastor est institutus, quem pastorem à mercenario Christus ipse distinxit. Hanc verbi *Pasce* significationem passim obseruare licet in sacra scriptura, vt totam, ipsamque amplam regendi rationem nobis exhibeat; *Pascite, qui in vobis, est gregem Dei* (ait D. Petrus ytens ea ipsa voce, qua vniuersalem ecclesiæ curam sibi creditam sciebat) *prouidentes non coactè*; en verbum *prouidere* contentum in verbo *Pascere*, *sed spontaneè secundum Deum*. Prouidere autem non est alimenta tantùm ministrare, & prædicare, sed curam, & solicitudinem gerere, quod certè est quid amplius, & ideò alibi translatum legimus pascendi verbum ad regium munus, & regiam potestatem; Tribus enim alloquuntur Dauid ex ipso Dei verbo, *Tu pasces populum meum Israel*; & ne de sensu verbi ambigere liceret subditur illicò. *Tu eris Dux super Israel*; & alibi ad eundem Dauid; *Numquid loquens loquutus sum ad vnum de tribubus Israel, cui præ-*

Ioan. c. 20. 21.

Epi. 1. c. 5.

2. Reg. c. 5.

Ibid. c. 7. 7.

præcepi, vt paſceret populum meum Iſrael; moxque paulò inferiùs elucidatur vocis intentio; *Ego tuli te de paſcuis ſequentem greges, vt eſſes Dux ſuper populum meum Iſrael*, ideòque paſtoris nomen, & ſapienti, & principi, & Deo ipſi totius mundi rectori tribui obſeruat *Philo Iudæus*, mundumque gregem denominat, ac demùm regem paſtorem populorum, tanquam proprio epitheto appellat Homerus; quibus auctoritatibus nihil aptiùs proferri poteſt ad conteſtandam amplitudinem huiuſce vocis *Paſce*, qua ſapientiſſimè vſus Chriſtus Dominus in præficiendo rectore, & eapite eccleſiæ ſuæ, vt non tam poteſtatem ipſam, quàm modum eius explicandæ indicaret, cum vigilantia ſcilicet, charitate, amore, ſolicitudine, vt (ſi opus ſit) animam ſuam pro ouibus tradat. Quæ ſatis de verbo *Paſce*. Huius amplitudini reſpondet adæquatiſſimè & vox, ſiue verbum *Oues meas*. Dùm enim *Oues* indefinitè dixit, omnes intendit, & totam eccleſiam vni paſtori committit; quem etenim gregem regèbat Chriſtus, hunc ipſum in Petrum tranſtulit, dum oues ſuas ipſi paſcendas credidit. Conſentiunt Sanctiſſimi Eccleſiæ Patres *Chryſoſtomus, Auguſtinus, Leo Magnus, Ambroſius, Cyrillus*, verba hæc interpretantes. *Paſce oues meas*; vt ex ipſorum generalitate, vel vniuerſitate regiminis vaſtitatem arguerent homines. Vulgata eſt ad rem *D. Bernardi* auctoritas, cuius elegantia non patitur, vt veniat omittenda, amplitudinem enim curæ Petro commiſſæ deſcribens ait. *Non modò ouium, ſed & paſtorum, tu vnus omnium paſtor: vnde id probem quæris? ex verbo Domini; cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? ſi me amas Petre paſce oues meas; quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas inquit; cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? nibil excipitur vbi diſtinguitur nihil, & fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cum committens vni vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & in vno paſtore.* Ad intentum nihil aptiùs! His addi poſſunt, & Aphricani Patres quorum teſtimonium eò grauiùs, quò libertatis eccleſiæ Aphricanæ acerrimi ſemper extitere vindices, Cyprianus, Optatus Mileuitan., quorum verba deſcribere omittimus aliorum Patrum menti planè conſona. Indeque proceſſere epitheta illa, quibus ab iiſdem SS. Patribus Petrus fuit decoratus à re ipſa deſumpta. *Hieronymus* enim, *Optatus Mileuitan. Cyrillus Alexandrinus*, Petrum appellant caput Apoſtolorum. *Euſebius Emiſſenus* paſtorem paſtorum, cuius nomenclaturæ rationem ſubdit; *Quia regit ſubditos, & prælatos, omnium igitur paſtor eſt, quia præter agnos, & oues in eccleſia nihil eſt. Iſidorus Petrum* vocat Paſtorem humani generis; *Anſelmus* Principem Apoſtolorum, quo titulo, quaſi familiari, ab omnibus SS. Patribus honoratur, ſicut & frequentiſſimè Chriſti Vicarius dicitur ab iiſdem, qui demùm varijs vtuntur phraſibus, quibus vnius principatum in eccleſia confirment; ſed & inſuper plura ponderant ſingulariter facta, quæ collatam Petro poteſtatem ſupremam, comprobant tanquam capiti;

vo-

Marginal notes:

Lib. de Agric.

Hom. 87. in Ioan. in 1. tract. 123. in Ioann: Serm. 2. de Aſſũp. ſua: Lib. 10. in Luc. c. 24. Lib. 11. in Ioan. c. 64.

Lib. 2. de conſid. c. 8.

Lib. 1. cont. Iouin. Lib. 2. & 7. cont. Parm: Lib. 12. in Ioan. c. 64. Serm. de S. Io. Euan.

De vita, & morte sanc. cap. 69. In Matth. c. 16.

voluit enim Christus primò solui didracma pro se, & Petro, & non pro alijs, quasi sat esset solutionem fieri pro Petro, in quo reliqui omnes continerentur; sic ponderauere *Augustinus*, *Chrysostomus*, *Hieronymus*; iussus est, & secundò, Petrus mittere hamum, per quem Petri iurisdictio indicatur; ità Ambrosius, relatus à Gratiano *in Can. est aliud. 24. quaest. 1. Est aliud piscandi genus* (ait Canon) *quo genere solum Petrum piscari Dominus iubet, dicens, mitte hamum*. Tertiò in Apostolorum cætu semper Petrus primus loquitur, aut primus interroganti Christo respondet, idque accuratè

Hom. 21. in Act. post pr. obseruauit *Chrysostomus*, ipsumque *Petrum Os Apostolici cœtus* vocauit.

Hom. 87. in Ioann. Quartò recenset *Matthæus* Apostolorum seriem, & primum nominat Petrum, vt dignitate, non vocationis tempore primum. Sic enim

In 2. ad Corint. c. 12 *Ambrosius*, *Prior secutus est Andreas Saluatorem, quàm Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus*. Caput igitur, & Princeps Petrus monarchicum vnius in ecclesia regimen comprobat, cuius instituendi, & non alterius, congruæ plures assignantur rationes; sed ea potior. Vnitas scilicet ecclesiæ, quæ sub alia politiæ forma non potuisset conseruari. *Vnius enim Episcopi præsentiam* (ait *D. Basilius*) *tanquam animam in communione conseruare ecclesias*; & præcisè magis *D. Cyprianus*, *Petri*

Lib. 1. Ep. 3 & ep. 55. *cathedram, & ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est*. Et tandem *Optat. Mileuit.*

Lib. 2. cont. Parmen. *In qua vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schimaticus, & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret*. Verum igitur fuit præsidium conseruandæ vnitatis, vnius in ecclesia regimen, quod Christus de industria concepta verborum formula erexit, vt totius ecclesiæ vnus Episcopatus institueretur, cuius equidem pars à singulis Episcopis in solidum possideretur, sed ità, vt eius fons, & origo ab vno inciperet, Principe scilicet Apostolorum Petro, adeòque nulli liceret, nec ipsis quidem Apostolis, Episcopatum tenere alienum à communione, & consortio vnitatis, quæ fundatur, & viget in cathedra Petri. Apertissimè *Hieronymus*. *Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot in ecclesijs efficientur schismata, quot sacerdotes*. *Cont. Lucifer. c. 19.* Sicque tota hierarchia resoluatur in vnum, qui tanquam causa quædam prima vna, & simplici Pontificatus perfectione omnium ordinum, & dignitatum ecclesiasticarum munia, vires, & naturam eminentissimè contineat, & vniat.

Tanti ergò fuit vnius, & monarchicum regimen constituisse in ecclesia, quanti est salus, incolumitas, & quies ipsius ecclesiæ, cui splendidissimum argumentum præbet celebris illa, & mystica piscatio Petri prænuncia eius primatus, quem mox Christus Dominus in ipso erat erecturus; excitauit enim, vt afferrent de piscibus, quos præhenderant. *Ascendit Simon Petrus* (scribit Euangelista) *& traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus*. *Ioan. c. 21* Mysticum sanè est, quod cum alij adsint Apostoli secum piscantes, vnus Petrus trahat rete; sed magis mysti-

cum,

cum, quod tanquam notabile subdit Euangelista, *Et cum tanti essent, non est scissum rete.* Mirum sanè! sed & non mirum, si Petrum consideres trahentem, non enim potest esse scissura, aut schisma, vbi operatur summum ecclesiæ caput, fons, & origo vnitatis, & vbi multitudo, quantumuis ingens, trahentem sentit, & sequitur Petrum. Verùm dum datam supremam potestatem Petro audis, ac institutum in eo totius ecclesiæ primatum, nè credas abrogatam iam traditam alijs Apostolis potestatem, sed ei aliqualiter derogatum, immutando ecclesiæ statum; vt qui erant adiutores, & ministri sub Christo, Petrum, & ecclesiæ visibile caput agnoscerent superiorem, & vbi Petrus ecclesiam vniuersam recepisset in titulum, reliqui Apostoli titulum sibi acquirerent in ecclesia Petri, ac veluti lumen de lumine mutuantes de ecclesia Petri, ecclesiam sibi formarent.

5 Nec tamen inferas ideò Apostolos Petri Vicarios, aut ex Petri primatu aliorum statum imminutum: fuere siquidem Apostoli non Petri, sed Christi Vicarij in ecclesijs, quas sibi quæsiuerunt, sicut nunc, & semper stetit, & stat, eum monarchico ecclesiæ regimine, vt Episcopi, non tanquam Summi Pontificis Vicarij, sed iure suo (licèt accepto) præfuerint, & suis præsint ecclesijs. In quem sensum titulum Oecumenici, & vniuersalis aptari Pontifici summo scribit *Magnus Gregorius*, vt nihil inferioribus Episcopis deroget; & *D. Bernardus*, alloquens Eugenium. *Erras, si, vt summam, ità, & solam institutam à Deo vestram Apostolicam potestatem existimas.* Iure enim suo non beneficio alieno potestatem suam habuerunt Apostoli, & habent Episcopi, vtcumque Petro, & summo Pontifice inferiores; & ne implicantiam credas, ex iure accipe exemplum, & simile. Considera legatum Proconsulis ex Pandectis iuris ciuilis, de quo eruditè *Cuiac.* Proconsul non eligebat sibi legatum, sed dabatur ei veluti adiutor ex Senatusconsulto; legato sibi assignato Proconsul iurisdictionem mandare tenebatur, & antequam mandaret, legatus nihil proprium habebat. *l. legati, ff. de off. Proconf.* sed mandata iurisdictione, vtique. A legato siquidem appellabatur Proconsul, *l. 2. ff. quis, & à quo appell.* quod planè fuisset absurdum, nisi legatus proprium aliquid habuisset, aliàs enim ab eodem ad eundem interponeretur appellatio, sicque ab eo, cui prætor mandauit iurisdictionem, qui eam iure suo non habet, mandans prætor non appellatur *l. 1. ff. quis, & à quo appell.* Legatus igitur dicebatur proconsulis, licèt non creatus à proconsule, & habet iurisdictionem propriam, sed mandatam à proconsule; vnde nec erat propria simpliciter, nec simpliciter mandata, sed propria-mandata, tanquam de vtraque participans. Quod quidem exemplum iurisdictionem Petri, ac Summi Pontificis, Apostolorum, ac Episcoporum in ecclesia nobis exhibet. Sicut enim proconsul non videbatur mandare iurisdictionem legato, eò quia legatus æquè erat missus à populo, vt missus erat proconsul, sed potiùs populus eam mandasse, ac veluti habitu concessisse videbatur, ità Apostoli à Christo instituti, & missi, vt eum Petro regerent ecclesiam, ab ipso Christo viden-

Lib. 4. epist. 38.
Lib. 7. epist. 30.
De consid. lib. 3. cap. 4.
Lib. 7. obseru. c. 21.

censentur habere potestatem illam, ac iurisdictionem, quia verò legatus mittebatur à populo in prouinciam, vt partem administrationis haberet, & proconsul, vt solidam iurisdictionem, ideò opportuit legatum mandatam iurisdictionem accipere à suo proconsule, quamuis non per hoc fieret eius mandatarius. Similiter concesso Petro toto, ac vniuersali Episcopatu, opportuit Apostolos accipere à Petro partem in eius Episcopatu, sed ità, vt non essent, aut fierent eius Vicarij, sed iure proprio haberent; vnde sicut legatus dicebatur, & proconsulis, & populi, ità alij Apostoli dicuntur & Petri, & Christi, Christi, à quo receperunt Episcopalem potestatem, Petri, à quo partem in eius Episcopatu. Sic itaque summa potestas concessa Petro sine vlla diminutione fuit eius potestatis, quam dederat Christus reliquis Apostolis. Hucusque igitur considerata ecclesia à prima sui institutione, siue sub Christo solo, siue sub Christo, & Petro, siue sub Petro, & Apostolis fuit semper sub vno, semper recta ab vno, & monarchicum eius regimen, *Qualeque esse, & necessariò debere esse, nec aliter se posse habere*, audiuimus Romæ post hæc scripta totidem verbis seriò prolatum Regio ore excelsę illius CHRISTINAE ALEXANDRAE Suecorum Reginæ in litteratorum hominum panegyri, qui in eius obsequium sæpiùs conuenientes secum ipsa de re, & doctrina qualibet disserunt. Dictum haud sanè posthabendum in hactenus scriptorum coronidem, & robur, vtpote à Regina, in qua prudentia, eruditio, sapientia, & omnia planè regia, sed animi Maiestas (vt spectauit, & spectat Orbis) supra Regnum; neque hoc regimen immutatum, quamuis iam ad alium statum ecclesia deuenerit, quo scilicet particulares ecclesiæ sunt erectæ, & assignatæ, hic enim status vnius regimen in ecclesia non variat; cœterùm de postremo hoc statu agemus exactè, cum de Episcopis tractabimus. Ex triplici igitur politiæ genere hucusq; à nobis expenso, nullum est, quod auctoritate Christi Domini expressa sit in ecclesia institutum nisi monarchicum, & tamen qui aristocraticum præsertim volunt, nihil allatum afferunt, & nihil minus probari per verba illa, *Pasce oues meas*, & per alias auctoritates iam supra productas, quàm monarchicam politiam in ecclesia, aut factum Petrum eiusdem ecclesiæ vsibile caput. Et ne in nostræ sententiæ fundamentis videamur tantùm placere nobis, intueamur, quæ contraria afferant oppositum sentientes, & diluamus saltem, potiora, si non omnia, nam quæ leuiora, ex grauiorum solutione apparebunt soluta.

CAP. XI.

Quæ contra Monarchicum Ecclesiæ regimen.

1 *Intellectus varij verborum*: Tu es Petrus, & super hanc petram &c.

2 *Neoterici impugnatio contra communem intellectum*.

3 *De intellectu verborum* Et tibi dabo claues Regni Cœlorum.

4 *De verbis* Pasce oues meas.
5 *Quid per Oues.*
6 *Impugnatur, quod eadem verba sint dicta Petro praesentibus alijs, sed separatim ab ipsis, & inde sumptum argumentum.*

1 PVGNARE primùm videtur cum vnius regimine omnimoda illa æqualitas, quam Christus inter Apostolos suos inuexit, dum omnibus
Ioan. c. 20. æquè dixit. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; & euntes docete omnes gentes, baptizantes*; quæ omnibus simul dicta, omnes etiam æqualiter respiciunt, hancque æqualitatem agnouisse videtur Augustinus, Hieronymus, Nicolaus Primus Pontifex Maximus; omnes edocuit, omnes instruxit, & demùm in sui reditu ad patrem ecclesiam suam omnibus commendauit; cum tanta æqualitate quomodo consistere, aut prætendi potest vnius monarchicum regimen? indeque fit, quod si Christus aliquem constituit in ecclesia Vicarium, non vnum quidem, sed omnes Apostolos Vicarios æqualiter designauit. Vicarium sanè misit post suam in Cælum Ascensionem, isque Spiritus Sanctus est paraclitus, qui perfectissimè Christi vices gerit, gessit, & geret vsque ad sæculi consumationem, huncque non Petrum,
Ioan. c. 16. aliumue hominem promisit se missurum; vnde & *Tertullianus* mi-
De præscr. hæret. c. 13. *sisse* (ait) *vicariam vim Spiritus*
De virgin. Veland. c. 1 *Sancti*. Et alibi, absolute Spiritum Sanctum *Christi Vicarium* appellat, & si præter Spiritum Sanctum hominem velimus Vicarium, omnes Apostoli ad tantum munus sunt constituti, & relicti, *D. Paulo* attestan- 2. ad Corin. cap. 5.
te, dum scribit, *Pro Christo legatione fungimur*; eius loco exponit *Chrysostomus*. *Nam nos, quæ illius* Hom. 10. in epist. 2. ad Corinth.
officij sunt, suscepimus. Sed tandem in præfatione de Apostolis nonnè canit ecclesia. *Quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse Pastores*? non igitur Vicarius vnus, & vnus rector in ecclesia, sed tot optimates in aristocratico, & non monarchico regimine. Et quia primatus Petri, in quo fundatur tota ecclesiæ monarchia, nititur præcipuè insignibus verbis illis, quibus in retributionem egregiæ confessionis Christus Dominus allocutus est Petrum. *Tu es Petrus, & super* Matt. c. 16.
hanc petram ædificabo ecclesiam meam & tibi dabo claues Regni cælorum; Ideò hæc ipsa, vtcumque apertissima verba conuoluere, ac detorquere nituntur sectarij; vetustiorum enim plerique hæc non dicta Petro volunt, sed omnibus Apostolis, aut discipulis, aut omnibus, qui sunt *Bar-Iona* hoc est, *filij Columbæ* fideles in gratia, vel omnibus, quibus Pater reuelat filium, vel omnibus, qui fide diuinitatis Christi imbuti illam confitentur; ex recentioribus autem, vnus, qui nouissimè monarchiam in ecclesia infæliciter De Domi-
impugnauit, fatetur ingenuè verba nii.
illa dicta Petro, cuius persona verbis indiuiduantibus adeò ad oculum indicatur, vt temerarium planè sit, veritatem adeò euidentem velle dissimulare; sed nihilominus adhuc verba ipsa detorquet ad eos sensus, & ad eas expositiones, quas deprauatè anteriores sectarij imposuere.

Liceat circa grauissimum hunc locum paulisper immorari, non enim erit sine curiositate, & sine fru-

Lib. 1. de Rom. Pont. c. 10. fructu. *Bellarminus* igitur, quatuor opiniones circa sensum, & significationem horum verborum proponit; primus sensus est catholicus; hanc petram, quam designat Christus quadam prudenti alliteratione à Petro ad petram *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* esse Petrum ipsum, & Petri personam, cui promittit se eum facturum fundamentum, adeòque caput, & rectorem ecclesiæ suæ. Secundum tribuit Bellarminus Erasmo exponenti hanc petram non esse Petrum, sed quemlibet hominem fidelem. Tertium dicit esse Caluini; petram scilicet illam esse Christum ipsum loquentem, ac simul se ipsum tangentem, ac velut manu ad pectus admota se ipsum demonstrantem. Quartum demùm tribuit (vt re vera est) Luthero, qui asseruit fidem, seu fidei confessionem esse petram illam, de qua loquitur Christus. Primus sensus, & prima expositio certè omnium catholicorum est, prout indicat Sanctorum Patrum agmen, quod oculis subijcit, vbi supra, Bellarminus; legenti enim ex contextu illa Christi Domini verba hic sensus planè genuinus statim est obuius, & ex ipsa verborum serie, ac alliteratione statim se ingerit animo.

2 Attamen Neotericus iste, qui videt vim auctoritatis se declinare non posse, se subtrahit; atque Bellarminum odiosè nimis, ait, tribuere sensus illos Erasmo, Caluino, Luthero, cum tamen fuerint sensus longè ante traditi à sanctissimis ecclesiæ patribus. Vndè primum, quem imputat Erasmo, ostendit fuisse Origenis; secundum, quem tribuit Caluino, probat fuisse D. Augustini, & D. Hieronymi. Tertium demùm Lutheri, placuisse ostendit Sanctissimis ecclesiæ doctoribus Hilario, Chrysostomo, Cyrillo, Ambrosio, & alijs Romanis Pontificibus Gregorio, Felici, Hadriano in epistolis suis decretalibus; idque non dissimulauit Bellarminus, sed singulas ponderauit auctoritates, & prout officiant intellectui catholico exposuit, & soluit, quæ singula cum singulis auctoritatibus transcribere longum nimis esset. Itaque concludit ex auctoritate, *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* nihil certi colligi posse pro vnius regimine in ecclesia, quia neq; est certum, quod per illa verba designetur persona Petri, prout supponitur, cum placuerit SS. Patribus æquè designari Christum, fidem, aut omnem hominem fidelem; incertis igitur non nitendum, vt certa regiminis forma in ecclesia inde adstruatur.

3 Et si prima hæc pars promissionis Christi non concludit ad intentum, faciet multò minùs pars secunda, qua dictum; *Et tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcumque ligaueris &c.* Matth. c. 16. Quandòquidem, vtcumque ea promissio sit facta Petro, attamen non est adeò facta ipsi soli, quin sit facta, & alijs Apostolis, imò & in ijsdem impleta; facta certè in verbis illis. *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram erunt ligata, & in cælo, & quæcumque solueritis &c.* Matth. c. 18. impleta cùm dictum. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos euntes docete omnes gentes &c.* Ioan. 20. Matth. 28. Accepit ergo Petrus claues primus, sed non solus, sicque non solus Rector ecclesiæ. Nec magis vnius regimen probant verba illa insignia. *Pasce oues meas*, quamuis enim Petro sint dicta; attamen

per ea nihil tribuitur ipsi Petro, quod & reliquis Apostolis non sit tributum. *D. Paulus* certè scribit; *Christus dedit quosdam quidem Apostolos, alios doctores, alios pastores*. Non igitur solus Petrus pastor. *Augustinus* nihil vult illustre circa personam singularem Petri fieri, diciue in euangelio nisi hoc ipsum ad totam ecclesiam referatur. *Vnde ideò Petro* (inquit) *quem facere volebat pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo ait; Petre amas me? Pasce oues meas*. Et alibi in eundem planè sensum; *Et quidem, fratres, quod pastor est, nempè Christus, dedit, & membris suis, nam & Petrus pastor, & Paulus pastor, & cęteri Apostoli pastores*. Ità Augustinus, cuius ea perpetua sententia, vt in omnibus serijs Petrus Ecclesiæ figuram gerat, & ideò dum pasturam Petro dedit, ità dedit, vt dederit ecclesiæ, & prælatis eius. Nihil igitur datum Petro per verba *Pasce oues meas*, quod non fuerit datum Apostolis per verba longè ampliora. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, quæ quidem si euangelizandi munus iniungunt, *& euangelizare pascere est*. ait *D. Bernardus*. Conuertitur itaque potestas data per verbum *Pasce*, & potestas data euangelizandi Apostolis omnibus; quare non est, cur ex verbo *Pasce* arguatur vnius regimen.

Epist. ad Ephes. c. 4.
In psal. 80.
Tract. 46. in Ioann.
Tract. 47.
Lib. 4. de consid.

5 Neque magis vis est facenda, quod dictum sit Petro, *Pasce agnos*; *Pasce oues*, quia quantumuis exaggerentur, quantumuis latentia sub ipsis eruātur mysteria, nil aliud demùm in veritate significabunt, nisi homines indigentes cura, & instructione ad fidem, & tamen omnes isti sunt commissi Petro, & reliquis Apostolis; non igitur oues à solo Petro pascendæ: sed & mirum maximè illud, quod generalis adeò hæc vox *Ouium* censeatur, vt ea ipsi compræhensi, & Apostoli veniant, quasi cum ouium cura, & Apostolorum regimen Petro sit commissum; ad quid quæso? nùm ad ipsorum confessiones audiendas? num ad ipsos docendos, aut instruendos? num demùm ad eos corrigendos, aut puniendos? atqui Petrum correctum, atque repræhensum à Paulo legimus, nullum verò Apostolorum à Petro; & si pascere erat hominibns fidem, & doctrinam Christi instillare, ac virtutes suadere, non habebant opus Apostoli, vt hæc reciperent à Petro, cum iam fuissent instructi à Christo; erant igitur Apostoli oues, hoc enim negari nec potest, nec debet, sed erant vna cum Petro oues Christi, sub ipso vero capite, & rectore Christo; sic *D. Augustinus*. *Cum Christus venisset animam suam positurus pro suis ouibus, in quibus erat, & Petrus*. Et alibi idem confirmat; non igitur ex verbis Domini. *Pasce oues meas*, licet arguere constitutum monarchicum vnius regimen in ecclesia, cum nihil singulare per ea verba videatur Petro concessum.

Ad Galat. 2.
Tract. 123. in Ioan.
Serm. 50. de Verb. Dom.

6 Verùm quia, qui cum veritate monarchicam politiam in ecclesia agnoscunt, haud leue desumunt argumentum ex eo, quod verba illa *Pasce oues meas*, sint dicta Petro præsentibus quidem alijs Apostolis, sed separatim ab ipsis, quod indicare videtur datam etiam Petro potestatem ab alijs diuersam, sicq; maiorem ipsi, tanquam vnico præsidi, & rectori ecclesiæ; hæc ipsa ponderatio

tio

tio impugnatur etiam, & refellitur; nam non desunt alia mysteria, quæ inde possint desumi, absque eo, quod Petrus exinde constituatur monarcha; primum enim mysterium potest assignari vnitas Apostolici collegij, ne ipsum scilicet collegium facilè dissolueretur, cum etenim ex duodecim Apostolis solus Petrus Christum negasset, poterant reliqui Apostoli ipsum abhorrere, & excludere, & sic dissoluere vnitatem illam collegij, cuius vinculum Dominus Petrum constituerat, & cui præsertim ecclesiam suam commendauerat; ad vnitatem ergo hanc tuendam Petrum Christus alloquitur separatim ab alijs. *Cyprianus* apertissimè; præmisso quod Dominus ad Petrum separatim loquatur; mox subdit; *Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat; sicut misit me pater &c. tamen, vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique reliqui Apostoli, quod fuit, & Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt ecclesia vna monstretur.* Alterum potest assignari mysterium huius separatę allocutionis, vt scilicet Petrus fieret figura totius ecclesiæ, quam ipse totam repræsentaret fuit hæc ponderatio præcipua *D. Augustini* pluribus in lòcis, quæ singula describere omittimus; approbauit & *Diu. Ambrosius*. *S. Leo Magnus* aliud agnouit mysterium. *Petro ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur*, perinde ac si dicat, hoc negotium cum solo Petro peragi separatim ab alijs, vt Episcopi omnes haberent Petrum exemplar æquitatis. & virtutum Pontificalium, quod in regimine ecclesiarum imitarentur. Concludendum itaque quod siue inniti velimus verbis, quibus Christus Dominus Petrum est allocutus, & ante, & post resurrectionem, siue ponderemus modum, quo eadem verba dixit Petro quidem coram alijs Apostolis, sed separatim ab ipsis, & tempore diuerso ab eo, quo alios Apostolos est affatus, quamuis id non careat mysterio, nihil minùs tamen per hæc omnia potest probari, quam Petri summa potestas, & monarchicum ecclesiæ regimen; quamuis Neotericus, qui hucusque ponderata attulit, primatum aliquem, veritate extorquente, in Petro fateatur, at non qualem catholica ecclesia agnoscit. Hæc quidem, quę monarchicum ecclesiæ regimen cum Petri primatu directè oppugnant, quò breuiùs fieri poterit, soluenda sunt ad totius tractatus de ecclesia coronidem, & complementum.

De simplic. Prælat. vel vnit. eccles. circa prin.

De Agon. Christ. c. 30

Tract. 124. in Ioan. lib. 1. retractat. c. 21.

Lib. 6. in Luc. c. 7

Serm. 3. de Assũp. sua.

CAP. XII.

Soluuntur iam allata.

1 *Quomodo ęqualitas inter Apostolos, eiusque expositiones variæ.*
2 *Spiritus Sanctus, & Apostoli quomodo, & quo sensu dicti Vicarij Christi.*
3 *Verba* Tu es Petrus; & super hanc petram &c. *in sensu literali.*
4 *De verbis*, Tibi dabo claues &c.
5 *De verbis* Pasce oues meas, *de solo Petro accipiendis.*

6 *Ra-*

6 *Rationes plures primatus in Petro, sed unica à Christi institutione.*

1 PRIMVM igitur nititur æqualitati inter Apostolos à Christo institutæ, Christus enim omnes æquè docuit, æquè instruxit, æquè omnibus ecclesiam suam commendauit, idque ex verbis traditæ potestatis. *Sicut misit me Pater &c. quemcumque alligaueritis &c.* nec non auctoritatibus Hieronymi, Cypriani, & aliorum. Paritatem, & æqualitatem inter Apostolos agnouit semper ecclesia, & cum ea patres omnes, & omni æuo; at eam paritatem, quæ primatum Petri, eius in totam ecclesiam principatum, & monarchicam politiam non excludat, itàvt Christus Dominus post resurrectionem suam parem omnibus Apostolis, tàm ordinis, quàm iurisdictionis dederit potestatem, sed illæso Petri primatu, ac principatu saluo; hanc æqualitatem, quam cuncti asserunt, non tamen omnes eodem modo exponunt, dixere aliqui, quod licet Christus potestatis plenitudinem tàm Petro, quàm Apostolis concesserit, non tamen eodem modo, sed Petro tanquam capiti, Apostolis tanquam membris. *Petrus à mente de primatu Papæ.* *Cardinalis Hieronym. Alban.* differentiam assignat inter potestatem Petro datam, ac datam reliquis Apostolis, qui licet sint inter se pares, non tamen pares dici possunt Petro; cuius potestas quacumque alia est longè amplior. Aplitudinem potestatis Petri, & limites aliorum Apostolorum argumentatur ab occasione loquendi ipsius Christi, & à subiecta materia; vbi enim Petrum est allocutus, *Tu es Petrus &c.* de fide agebatur, & de ijs, quæ à fidelibus erant credendam; *Quem dicunt homines esse filium hominis?* fides autem basis, & fundamentum est ecclesiæ; loquebatur etiam Christus de fundanda, & ædificauda ecclesia, *Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam* ad hæcque respiciens Petrum alloquitur ob ipsius singularem confessionem, *Tibi dabo claues regni cœlorum. Quodcumque ligaueris &c.* Certè si à subiecta materia, si ab occasione verborum fas est collatam dignoscere, aut arguere potestatem, amplam adeò licet colligere, quæ fundamento ecclesiæ, basique fidei adæquatè respondeat, supremam scilicet, & maiora quæq; negotia complectentem. At si expendamus verba reliquis Apostolis dicta, *ligandi, atque soluendi*, tunc non de vniuersali ecclesia, non de fidei fundamento, sed de conscientiæ foro agebatur, cùm præsertim modum correctionis fraternæ eos doceret, *Si peccauerit in te frater tuus.* *Lucæ c. 17.* Vnde hæc potestas intra peccatorum limites continetur, & ad excommunicationis pœnam contra impænitentes se extendit. Hactenùs Alban., qui subinde tria priuilegia assignat potestatis Petri supra potestatem aliorum Apostolorum, quæ recensere non est opus; qua attenta explicatione, Apostoli, & Petrus ità videntur dicendi pares, sicut *Pares* appellantur in inclyto, ac fælicissimo Galliæ Regno, pares quidem inter se, at non Regi, qui cunctis superior. *Ioa. Bodin. de Rep. lib. 1. c. 1.* Demùm vnam, & alteram explicationem dedit *Cardinalis Bellarmin.* *Lib. 1. de Rom. Pont. c. 11. & 12.* prima est Apostolos habuisse quidem

De potest. Pap. p. 1. n. 36.

dem

dem summam potestatem, sed tan-
quàm delegatos, adeòque extraordi-
Victor. de pot. ecclef. Relect. 2. n. 16. nariam; Petrum verò ordinariam,
sicque perennem ad regendam eccle-
siam vsque ad consumationem sæcu-
li per successores suos. Secunda
verò; Apostolos quidem fuisse pares
in Apostolica potestate, & habuisse
in christianos populos eandem aucto-
ritatem, at non fuisse pares inter se;
idque disertissimè expressit S. Leo
Ep. 84. ad Anast. Tessalon. *Magnus*; *Inter beatissimos Aposto-
los in similitudine honoris fuit quæ-
dam discretio potestatis; & cum
omnium par esset electio, vni tamen
datum est, vt cæteris præemineret.*
Et tandem omnes istæ expositiones
eòdem collimantes in vnam illam
terminantur; Apostolos scilicet in
ordine ad ecclesiam pari honoris, &
potestatis fuisse consortio præditos,
ac auctoritatis plenitudine decoratos,
sed ità tamen, vt Petrum tanquam
caput agnoscerent, & licèt potesta-
tem ab eo non accepissent, scirent
tamen se eam habere subordinatam
Petro tanquam supremo; ea verò po-
testatis plenitudo fuit necessaria in
omnibus Apostolis, & æqualis ad
fundationem, & propagationem na-
scentis ecclesiæ; limitata siquidem,
ac definita auctoritas sufficere non
potuisset, cum nulli essent assignati
fines, sed quisq; Apostolus ad quam-
libet Orbis partem pergere potuis-
set; meditanti, & consideranti facilè
patebit; indeque notabilis differen-
tia inter Apostolorum, & Petri po-
testatem; Apostoli enim in eccle-
siam tantum, at non in alios Apo-
stolos, Petrus, & in ecclesiam, & in
Apostolos potestatem habuit. Non
excludit ergo hæc paritas, quominùs
vni sit creditum ecclesiæ regimen;
vnde & inconcludens est consequen-
tia illa; Christus omnes Apostolos
docuit, instruxit, vocauit, ergo om-
nes sunt omninò pares; si enim om-
nes, quos docuit, & instruxit sunt
pares, iam & turbæ, quas æquè ac
discipulos instruxit, erunt pares cum
Discipulis, & Apostolis ipsis; neque *Ioan. 18.*
potest hoc absurdum euitari, si ex vi
instructionis, & doctrinæ paritas in-
feratur. Cyprianus, Hieronymus,
Anacletus, & alij iam commemora-
ti Patres afferebantur, qui paritatem
inter Apostolos contestantur; at illud
generaliter, & pro certo accipien-
dum, credi nullo modo rationabili-
tèr posse, vt Patres, qui verè sunt
columnæ ecclesiæ, & qui primatum
Petri tanquam supremi rectoris sunt
professi, & enixè semper propugna-
runt, paritatem ità voluerint, vt pri-
matum ipsum dextruxerint, sed quā
asserunt paritatem accipere ità debe-
mus, vt iuxtà expositiones supra fa-
ctas intelligamus primatu scilicet
saluo, cum quo iam exposita paritas
non implicat, aut pugnat. Supre-
mum Petri regimen tanquam capi-
tis, indeque Romanæ sedis prærroga-
tiuā semper extulit *Cyprianus* cuius *Epist. ad Quirin. lib. 1. ep. 3. ad Cornel.*
singulas referre auctoritates, & præ-
cipua verba describere omittimus;
nec minùs supposuit semper, ac pro-
pugnauit *Hieronymus* in eo ipso ad- *Lib. 4. ep. 8. ad eund.*
uersus Iouinianum opere; ibi enim
Petrum vxoratum conferens cum
Ioanne virgine iam paulò ante scrip-
serat, *Propterea inter duodecim* *Adu. Iouin. lib. 1.*
*vnus eligitur, vt capite constituto
schismatis tollatur occasio*. Quod
de Cypriano, Hieronymo dicimus,
idem est censendum & de patribus
alijs, qui ità paritatem inter Aposto-
los asseruerunt, vt tamen principa-
tum Petri, & monarchicum ecclesiæ
regimen non excluderent.

Ab

Ab hac solutione emicat facilis responsio rationi secundæ, quæ ab hac ipsa supposita paritate, & æqualitate inter Apostolos arguebat neminem ex ipsis constitutum Christi Vicarium; tum quia Spiritum Sanctum misit Christus sui Vicarium post Ascensionem, quem & Vicarium præcisè appellauit *Tertullianus*; tum quia absens in cęlum ipsis commendauit ecclesiam suam; vnde & ecclesia *operis sui Vicarios* eosdem nominat; & insuper Augustini, & Hieronymi auctoritate firmatur.

2 Quæ, & quàm grauia prouenniant absurda ex hoc asserto, quod Spiritus Sanctus sit Christi Vicarius, & in quas hæreses præceps labatur, qui id sustinere audeat, non est hic exactiùs inquirendum; & quantumuis temperare, ac lenire quis intendat, periculosa semper erit assertio. Aggerebantur auctoritates, quibus ascensurus Dominus missurum se Spiritum Sanctum promisit; at non rectè infertur indè Spiritum Sanctum esse Christi Vicarium, sicque quodammodo inferiorem; nam per ea verba parilitatem potiùs, & æqualitatem Spiritus Sancti voluit Dominus indicare; sic enim exponunt *Chrysostomus*, & *Ambrosius*, ille paucissimis; *Vide* (inquit) *quanta sit spiritus dignitas*. Hic, *Simul docuit unitatem diuini nominis esse credendam, non disparilitatem*. Appellauit Spiritum Sanctùm *Tertullianus* Christi Vicarium, sed metaphoricè, & figuratè locutum nemo est, qui non videat, sicut ibidem immediatè eundem Spiritum Sanctũ *Dei villicum* nuncupat; & ideò de vtraque nomenclatura idem censendum. Christum ipsum Dei Vicarium dixit, & Prophetas Dei Vicarios; phrases aliquæ feruenti illi Tertulliani ingenio permittuntur, dùm præcipuè rectè sentiret, quæ tamen ad bonum sensum redigi debent; cœterùm ab ipsis nullum potest desumi argumentum. Commendauerit abiens ipsis ecclesiam, at non per hoc inferas summam in omnes contulisse potestatem. Dixerit D. Paulus Apostolos Dei legatos, & vocet ecclesia canens eosdem operis *Christi Vicarios*, appositè enim, & distinctè hic titulus accipiendus est. Nàm Vicarij nomen, vtpote generale latissimè patet, ac de omni, qui vicem alterius genit verificatur, *l. Vicarius. ff. di legationib.*; vnde Vicarium dignitatis, officij, imò, & seruum Vicarium legimus in *Pandectis iur. ciu. l. sed, & si 31. ff. de contrab. emp. l si stichus. 24. ff. comm. diuid: l. seruus 17. ff. de in rem verso*. Vicariam possessionem custodiæ causa. *in l. postquam scilicet. ff. vt legat. nom. cau.* & de huius vocis multiplici vsu latè, & exactè *Barnab, Brisson*. Si itaque constat apud omnes Patres Petrum à Christo Domino solum sui Vicarium constitutum, vbi & alios Apostolos Vicarios dicunt, certè Vicarij nomen in alium sensum accipiunt, in eum scilicet, quo generaliter quisquis alterius vicem in quocumque opere gerens Vicarius dicitur; & ideò Vicarius Christi Petrus, Vicarij Christi reliqui Apostoli, sed cum eo discrimine, quod Petrus ordinarius, alij extraordinarij, Petrus vniuersalis adeò, vt in ecclesiam, imò & in alios Apostolos potestatem haberet; Apostoli in ecclesiam iurisdictionem quidem haberent, at non vt in Petrum, vt in alios Apostolos possent exercere; Petrus ità Vicarius, vt hanc

Hom. 77. in Ioann. Lib. 1. de Spir. Sanc. c. 14.

Adu. prax. cap. 25. adu. Mar. cion. lib. 4. c. 35.

De verb. sign. lib. 19.

hanc ipsam dignitatem, & potestatem in successores suos ordinario iure transmitteret; Apostoli verò ità, vt cum ipsorum vita auctoritas expiraret; sic demum Petrus Vicarius Generalis, & ordinarius, Apostoli delegatis ad quam differentiam respexit D. *Paulus* dum scripsit, *Pro Christo legatione fungimur*; legatio personalis est, & personale munus, *vt not. Cuiac. ad l. 1. C. de legation. lib. 10.*, quod vigente persona durat, & cum ea extinguitur. Sicque solutum argumentum primum ab omnimoda paritate Apostolorum, & vicarià eorundem potestate. Secundum ab auctoritate desumebatur. *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.*, quam habere quatuor intellectus à Bellarmino traditos ostendebatur; primum catholicum, quod scilicet accipiantur verba illa de Petro, & eius persona, qui futurus sit petra, & fundamentum, adeòque rector, & princeps totius ecclesiæ; tres alios assignat Bellarminus Erasmo, Caluino, Luthero, hosque ipsos intellectus, ostendebatur, placuisse SS. Patribus ibi commemoratis, inferebaturque & eosdem intellectus esse catholicos, ijsque approbatis non est certum argumentum sumere ad probandum Petri principatum, & monarchiam ex verbis illis.

2. ad Corin. cap. 5.

3 Certissimum illud est, quod sensus catholicus accipiens verba illa *Tu es Petrus* de persona Petri à Christo demonstrata est literalis, isque verissimus, ex quo literali sensu vera, ac planè concludentia argumenta desumuntur. At sensus primus ex tribus, qui tribuitur Erasmo, & *petram* interpretatur de quolibet homine fideli, est allegoricus, qui tamen non excludit literalem: allegoricè hæc ipsa verba exposuit & Origenes, sed ità, vt non excludat sensum literalem; vndè inter Erasmum, & Origenem illud est discrimen, quod vterque allegoricè exponit verba illa, de quolibet homine fideli; sed Erasmus vnicum vult hunc sensum, excluso literali de persona Petri, & suum esse literalem; at Origenes ità admittit allegoricum, vt tamen supponat literalem catholicum, & verissimum; alios ergo sensus adstruant Origenes, & Ambrosius mysticos, & allegoricos, si enim apud ipsos saluus sit literalis de persona Petri, certè non conuenient cum sensu Erasmi, qui solum literalem de homine fideli admittit. Quę responsio satisfacit, & expositioni secundæ, quam tribuit Bellarminus Caluino intelligenti verba illa. *Et super hanc petram &c.* de Christo Domino, vtcumque enim memorati ibi Patres hunc ipsum intellectum admittant, ijdem tamen priùs verba illa literaliter de Petro acceperunt, *Hieronymus*, præsertim, & *Cyrillus*, *Augustinus*, qui sepissimè contestatus est, Petrum esse fundamentum, & caput totius ecclesiæ, & literaliter de Petro accipit locum in retractationibus suis, sententiam verò, quæ literaliter accipit de Christo, tanquam probabilem proponit, & arbitrium lectori relinquit alterutrum acceptandi, sed tamen non per hoc damnat literalem expositionem de Petro, tanquam scelestam, vt eam calumniatur Caluinus; quid induxerit *D. Augustin.* in hunc sensum tradunt *Baron.* & *Bellarm.*, quartus demum intellectus, quem tribuit *Bellarm.* Luthero accipienti locum illum *de fide*, eandem recipit solutionem;

Com. in Matt. c. 16. Lib. 2. in Ioan. c. 12. Serm. de sanct. 16. & 29. Lib. retrac. 1. cap. 21. In Hymno contra par. Donati.

Tom. 1. Annal. an. 31. Lib. 1. de Rom. Pont. cap. 10.

nem; demus enim, quod Sancti Patres hanc interpretationem probauerint, attamen hoc satis esset, eos non abnuere sensum literalem catholicum de persona Petri, vt indè principatus eius confirmetur, & si accipiatur de fide, & confessione Petri, vt accipiunt SS. PP. *Hilar. Epiphan. Greg. Nyssen.* & non de fide abstracta, & ideali, vt accipit Luther. semper res in idem recidit, vt scilicet catholicam interpretationem sequantur, & auctoritatem illam accipiant de persona Petri, vnde, & efficax conficitur pro eius principatu argumentum ab ea auctoritate siue intelligatur de persona Petri, siue de fide Petri.

Ad principatum autem, & vnius regimen in ecclesia probandum non solum fauet hucusque ponderata auctoritas, sed vrgent magis subsequentia verba, *Et tibi dabo claues regni cęlorum &c.* quæ ideò eludere nituntur, qui aristocratiam volunt, afferebaturque ipsorum argumentum, quod scilicet hæc tanta promissio non solùm sit facta Petro, sed & alijs Apostolis, imò & in ijsdem impleta, facta enim fuit, cum

Matt. c. 18. dictum ipsis, *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata &*

Ioan. c. 20. *in cęlis*; impleta, cum dictum; *Sicut*

Matt. c. 28 *misit me Pater, & ego mitto vos*; & cum iniunctum; *Euntes docete omnes gentes*; sicque concludebatur accepisse quidem Petrum claues, sed non solū.

4 Primùm implicantia quędam, & contradictio in Neotericis, qui sic arguunt, notanda est; asserunt enim primò, & fatentur ingenuè verba illa; *Tibi dabo claues regni cęlorum*, esse dicta soli Petro, & adeò propriè ad ipsum dirigi, vt alteri non competant; & tamen subdunt claues & promissas, & datas alijs Apostolis; notamus, sed non immoramur. Verùm ad solutionem duo obseruanda proponimus, alterum per claues à Christo Domino Petro promissas insinuari supremam potestatem quandam, qua instructus ille censetur, qui potestatem habet claudendi pro libito, vel aperiendi domum, vel vrbem; semper etenim inter oracula diuinæ scripturæ claues pro potestate accipiuntur; sic in *Apocalipsi Et habeo claues* *Cap. 1.*
mortis, & inferni, quæ verba de summa potestate, & illa ipsa, qua dixit Christus; *Data est mihi omnis* *Lib. 2. adu. Iud. ad Quirin. c. 24.*
potestas in cęlo, & in terra, exposuit *D. Cyprianus*, sicut & verba illa ex eadem Apocalipsi, *Hæc dicit* *Cap. 3.*
sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui claudit, & nemo aperit, ità exponunt, vt per clauem supremam, & regiam dignitatem intelligant *Ambrosius*, *Ireneus*, *Beda* *Ireneus lib. 4. cont. heref. c. 37.*
in eundem locum; alterum, quod præmittimus est, per regnum cęlorum ecclesiam demõstrari *D. Gregorius*, *Sciendum est, quod sæpè re-* *Hom. 12. in Euangel.*
gnum cęlorum in sacro eloquio præsentis temporis ecclesia dicitur. Itaq; quocumque modo accipiatur siue pro ecclesia, siue pro regno cęlorum, certum illud est, quod dum à Christo dicitur Petro, *Tibi dabo claues regni cęlorum*, summa potestas ipsi Petro promittitur, quam in ecclesiam exercere debeat; ità post *Tertullianum*, *D. Petrus Chrysologus*. *De Pudic. c. 21.*
Petrus Apostolici sui chori vetustum *Serm. 154.*
teneat principatum, aperiat intrantibus regnum cęlorum, reos potestate vinciat, pęnitentes clementer absoluat. His sic præmissis iam non licet inferre eandem esse promissionem Apostolis factam cum eis dictum; *Quæcumque ligaueritis super*

per terra, & factam Petro cum ipsi dictum *Tibi dabo claues regni cęlorum*; neque enim carere mysterio credendum est, quod Christus claues promiserit Petro, & in promissione Apostolis facta nullam clauis, aut clauium habuerit mentionem; singulare etenim quidpiam vt Petri proprium insinuauit, nec Apostolis communicandum: Hucque recurrit opportunè duplex illa potestatis collatio, aliàs ponderata. Si enim consideremus potestatem Petri, & Apostolorum in ordine ad ecclesiam, hæc vtique æqualis, & eadem in Petro, ac in alijs Apostolis, sed ità tamen, vt Petrum tanquam caput semper suspiciant; at si expendamus Petri potestatem cum respectu ad alios Apostolos, ea non communis, sed Petri propria, & in ipso summa, & absoluta est, idemque omninò dicendum de clauium vsu, nè idem repetatur; sic namque exponunt, *Cyprianus*, *Origenes*, *Hieronymus*, *Hilarius*, & alij. Hancque eandem distinctionem licet sub alijs terminis attulere, *D. Thomas*, & *Caietanus* distinguentes potestatem regiminis à potestate executionis, illamque datam Petro, hanc verò cœteris Apostolis asseruere. Vnde & Petro clauium potestas promittitur nullis arctata limitibus, sed planè indefinita, Apostolis verò nec vlla fit mentio clauium, & quæ memoratur potestas ad solam excommunicandi vim videtur limitari; cum enim modum fraternæ correctionis præscripsisset, moxque subdidisset; *Si ecclesiam non audierit sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*, addit tandem, *quæcumque alligaueritis super terra &c.* quæ verba à subiecta materia fines, ac limites recipiunt. At

De vnitat. Eccl. tract. 1. in Matt. Lib. 1. cont. Pouin. Lib. 2. de Trinit. Ad Galat. c. 2. de auctor. Papæ c. 3.

è contra verborum contextus, quo claues promissæ Petro, semper quid singulare præsefert, quo etiam quid sublimius, & excelsius, quàm reliquis Apostolis videatur concessum. Præcedit siquidem admirabilis illa Petri confessio. *Tu es Christus filius Dei viui*, in qua adeò sibi complacuit Christus Dominus vtpote desuper, ac diuinitus instillata, vt in beatificationem Petri eruperit; *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi*, neq; hoc satis, at Petro soli adhuc retribuens singularem, atque sublimiorem clauium vsum promittit; *Et tibi dabo claues regni cęlorum*, idque postquam iam promiserat Petro super ipso, tanquam petra, se ecclesiam ædificaturum. Vnde si per hęc verba Petrum caput, fundamentum, & supremum rectorem ecclesiæ præ cœteris Apostolis constituit, iam per clauium promissionem potestatem æqualem pollicitum, & quam supremum rectorem deceat, credendum est; Petro igitur promissæ claues summam eius potestatem indicant, non solùm quia clauis principatum significet, is enim, & Apostolis communis, sicut & clauium vsus, non quia verba ligandi, atq; soluendi potestatem aliquam præseferant, ea etenim æquè Apostolis, licèt non sub clauium nomine promissa, & concessa, sed quia Petro soli tanquam fundamento, & capiti ecclesiæ singulari modo, singulari eximiæ confessionis occasione, singulari tempore, singulari verborum apparatu, singularibus denique circunstantijs claues sunt promissæ; indeque efficitur meritò clauium metaphora Petri principatum insinuari, & esto quod ligandi, & soluendi ver-

Matt. c. 16.

Matt. c. 16.

verba sint æqualia, nec magis generalia vtrobique dicta scilicet Apostolis, & Petro, attamen ex persona, cui sunt dicta amplitudinem capiunt. Nam quę dicta sunt Petro, sunt dicta tanquam capiti, at quæ Apostolis non item. Non sunt hic nobis aggeranda Sanctorum Patrum testimonia, at vno, & altero contenti ad argumentum postremum deuenie-

Lib. 1. adu. Iouin.

mus. *Hieronymus ergo. At dicis super petram fundatur ecclesia; licet id ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cęlorum accipiant, & ex æquo super ipsos fortitudo ecclesiæ solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio;* En Hieronymum claues Petri ab alijs diuersas, & clauem capitis agnoscen-

Serm. 3. de Assump. sua.

tem. *S. Leo Magnus Propterquod dicit Beatissimo Petro tibi dabo claues &c. transiuit quidem in alios vis potestatis illius, & ad omnes ecclesiæ principes decreti huius constitutio commeauit; sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimatur, Petro enim ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur.* Claudat demùm *Gregorius* pa-

Lib. 4. epis. 32. ad Maurit.

riter *Magnus*; *Ecce claues regni cęlestis accipit, potestas ei ligandi, & soluendi tribuitur, cura ei totius ecclesiæ, & principatus committitur,*

Hom 55. in Matth. Tract. 124. in Ioan. Hom. in die Apost. Petr. & Paul.

Quibus conformes *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Beda*; iam igitur ex verbis, *Tibi dabo claues regni cęlorum*. Petrus eminet caput, rector, & princeps ecclesię vniuersæ, quemq; (vt inquit *Chrysostomus* in hæc ipsa verba) *Vniuerso terrarum Orbi Christus præposuit*, quod de reliquis Apostolis nunquam legitur.

Postremum tandem argumentum ad excludendum ab ecclesia vnius regimen erat ex insignibus illis verbis desumptum, *Pasce oues meas*, quæ *Ioan. c. 21.* quidem licet Petro dicta, per ea tamen (dicebatur) nihil videri Petro tributum, quod non sit, & reliquis Apostolis datum; vnde ex ipsis non minus quàm Petrus, dicti pastores, & nihil sigant verbum *Pasce*, quod Petro non competat cum alijs Apostolis simul, sicut, & verbum *Oues* quidquid continet, & significat id omne Petro, & Apostolis reliquis est commune, ità nil proprium, & peculiare Petro communicatur. Plura non ponderabimus, ne totum argumentum repetamus: per partes igitur, & breuiter respondebimus.

5 Primùm igitur nemo fidelis negat, aut negauit vnquam, quin ecclesia plures pastores, & doctores, multos Episcopos scilicet gregem, & ecclesiam suam regentes, habuerit, & habeat. Hoc (inquam) nemo negauit; sed vtique asseret plures esse pastores cum Petro, & quemlibet in gradu suo; testis Diuus ipse *Petrus* subiectos sibi pastores *1. Petri c. 5* instruens; *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè*. Neque tamen per hæc verba. *Pasce oues meas* omnibus Apostolis eadem, aut æqualis data potestas, vt assumit argumentum; nam qui ab hisce verbis sic arguit (vt iam supra notauimus) fatetur hæc ipsa verba *Pasce oues meas*; personaliter esse dicta, & soli Petro; quomodo ergo attingere æqualiter possunt & alios Apostolos, ad quos non sunt directa? & tradere illis potestatem, quos non respiciunt? cum actus agentium non possint operari

vltra

vltra eorum intentionem. *l. non. omnis. ff. si cert. pet.* Non itaque solus pastor Petrus, sed solus vtique primus, idemque supremus per hæc verba factus: frequens quidem est illa Diui Augustini assertio, vt cum de Petro loquitur dicat fuisse ipsum typum, & figuram ecclesiæ ità, vt datum ipsi censeatur datum ecclesiæ, & ipsi dictum, toti ecclesiæ dictum; verùm quomodo id accipiat, & intelligat iam explicat ipse, non alia scilicet id ratione fieri, quàm, quod in Petro tanquam in capite tota ecclesia contineatur, ac repræsentetur sicut in pastore grex, in Imperatore exercitus, in præposito plebs solet repræsentari; sat prò omnibus hæc vna *Augustini* auctoritas. *Hoc agit ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa, cuius ecclesiæ Petrus Apostolus propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam.* Hoc ergo vult Augustinus, vt quæcumque Petro singulariter sunt dicta ad ipsius potestatem in ecclesia constituendam, non tam ad priuatam personam, quam ad ecclesiam vniuersam doceat pertinere, cum ipsa ecclesia hac potestate non solùm in Petro, sed & in successoribus Petri perpetuò sit fruitura: itaque verba quæcumque Petro dicta à Christo Domino ad perpetuam potestatem in ecclesia fundandam directa illustrem semper hunc intellectum habent, vt siue sint promissæ, & traditæ claues, siue credita ouium cura, hæc omnia Petro non tanquam priuato homini, sed tanquam pastoris ecclesiæ personam gerenti sint tradita; *Augustinus* ipse apertissimè; *Nam si in Petro non esset ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus tibi dabo claues regni cœlorum, quæcumque solueris, &c. si hoc Petro tantum dictum est* (hoc est tanquam singulari personę) *non facit hoc ecclesia &c. si hoc ergo in ecclesia fit, Petrus quando claues accepit ecclesiam sanctam significauit.* Aliàs enim sublata hac significatione consequeretur reliquos ecclesiæ prælatos, & ministros circa vsum clauium id facere non posse, quod solus Petrus posset, quod dixerit nemo; accepit ergo Petrus claues, non historicè (vt optimè distinguit Bellarminus) hoc est, non ità repræsentans ecclesiam, vt esset eius procurator, aut Regis, & Reipublicæ legatus, sed tanquam caput, rector, & princeps, in quem sensum Regno, & Reipublicæ dicimus dari, quod datur legato, aut Regi; vnde datæ sunt claues Petro, sed cum respectu, & relatione ad ecclesiam, cuius relationis, siue respectus ipse erat fundamentum ratione principatus, quem gerebat. Per verbum igitur *Pasce* aliquid ampliùs datum Petro, quàm reliquis Apostolis, per verba *Euntes docete &c.* per illa enim summa totius ecclesiastici regiminis fuit commissa, per hæc verò prædicandi munus omnibus commune fuit iniunctum, quæ duo differunt tanquam generale, & speciale. Hanc generalitatem ipsam haud minùs confirmat verbum *Oues*, qua appellatione omnes omninò fideles, ne exclusis quidem Apostolis, compræhenduntur; acceperunt siquidem ipsi plenissimam potestatem, at non in Petrum, non in se ipsos inuicem, sed in eos, ad quos missi erant; cùm itaque Petro sint creditæ omnes oues, iam ab ouium generalitate Apostoli non excluduntur, qui in

Tract. 124. in Ioan.

Tract. 50. in Ioan.

in subiectam ecclesiam amplissimam obtinuerant potestatem, sed ità, vt non desinerent esse oues; at Petrum tanquam pastorem, & caput agnoscerent ab eo corrigendi quoties (ex hypotesi) opus esset; Petro enim fuerat dictum: *Confirmas fratres tuos*, & vt ecclesiæ vnitas conseruaretur, ac quælibet schismatis tolleretur occasio. Collati igitur ad ecclesiam Apostoli erant pastores, at collati cum Petro erant oues sub vno Petro pastore, qui omnes Christi oues susceperat pascendas, inter quas & Apostolos fuisse non est ambigendum, quod ipsum egregiè confirmauit *Diuus Ioannes Chrysostomus*. Sint quidem huius dicti, *Pasce oues meas* plura mysteria, at literalis aperta veritas primò attendenda, & spectanda est, secundùm quam vniuersæ ecclesiæ supremum regimen Petro generaliter est commissum tanquam capiti, & summo Principi totius gregis Christi, nemine excepto, qui se ouem ex grege Christi profiteatur, quem sensum omnes catholici patres tuentur, prout auctoritatum aliquas iam supra tetigimus.

Lucæ 22.

Hom. vlt. in Ioan.

Hæc veritas vrget adeò eos, qui aristocraticum ecclesiæ regimen sustinent, vt confiteri coegerit primatum, ac principatum in Petro, at non eum, qui monarchiam, & vnius regimen in ecclesia constituat, sed primatum ætatis, quia fuerit cœteris senior, vocationis, quia quamuis fuerit vocatus primus Andreas, attamen Petrus primus, & ante Andream vocanti Christo adhæsit, primatum demùm virtutum, quibus cœteris excelluit, & præsertim charitatis feruore; itaque (si audias) non fuit in Petro primatus auctoritatiuus, veluti principis, sed merè honorarius, veluti Decani inter Cardinales, aut primogeniti inter fratres; neque maius quidpiam arguit titulus ipsis tributus *Principis Apostolorum* ex communi ecclesiæ, & patrum consensu, quia non est hic adeò proprius Petri, qui & Paulo fuerit communis, vnde & dicuntur simul. *Gloriosi principes terræ*; cum tamen Paulus non fuerit princeps auctoritate, & iurisdictione; cum ergo rationes huius primatus in Petro fuerint merè personales, cessarunt cum eius persona, nec stabilem primatum, ac transmissibilem inducere potuerunt.

6 Verùm dum Petri primatum asserimus, hunc ipsum ab ætate, à vocatione, à virtute non concludimus, sed tanquam insufficientem, aut deficientem notamus. Veritas enim catholica vnius politiam ab eo primatu non deducit, nec Petrum vniuersæ ecclesiæ principem ideò appellat, sed quia Christus Dominus ad patrem ascensurus, præsentibus omnibus alijs discipulis ecclesiam suam ipsi singulariter credidit per sæpiùs ponderata verba illa *Pasce oues meas*, nec motiuum principale sumpsit ad tantum principatum concedendum ab ætate, vocatione, aut virtutum excellentia, sed à celebri illa confessione, qua vnus præceteris Christum Dei filium & agnouit fideliter, & solemniter professus est; *Tu es Christus filius Dei viui*. Præeminentia quidem aliqua, & *Diuo Paulo* quæsita, qua & communi principis titulo cum Petro donatur, at ea ratione sapientiæ, laboris, quo fidem, & Euangelium latiùs

Matt. 16.


latiùs propagauit, non potestatis, aut iurisdictionis prærogatiua est. Vndè & Summi Pontifices Petri successores in eorum diplomatibus, & Bullis vtriusque Apostoli Petri, & Pauli nomina, & imagines exhibent, quia & vterque Romanam ecclesiam fundauit, & vterque eandem sanguine suo per martyrium decorauit. Aliud est Petri primatum considerare dum ecclesia sub Christo adhuc in terris degente cum Apostolis viguit, & præserrim antè passionem, & resurrectionem eiusdem, aliud verò ipsam inspicere postea, & præsertim post confessionem Petri, & creditum Petro à Christo gregem; priori enim illo tempore, & adhuc sub Christo in terris, qui primatus fuit in Petro, ætatis; vocationis, & virtutum habuit motiuum, fuit enim tunc ecclesia in secundo statu sub vno capite Christo, vt iam supra ostendimus, & ideò tota prælatio Petri pro tunc ab ijs causis originem habuit; at vbi Christus post resurrectionem suam transiturus de Mundo ad patrem ecclesiam, & gregem suum Petro commisit per verba illa *Pasce oues meas*, tunc primatus potestatis, ac iurisdictionis fuit impressus in Petro, & ab hoc vno subinde tota denominatio facta, ac monarchicum ecclesiæ regimen, etiam post Christi ascensionem duraturum, est institutum sub vno visibili capite Petro. Illum primatum agnouere Sancti Patres, sed hunc prætulerunt, & ab hoc Petrum Apostolorum principem, ac principatum monarchicum in ecclesia assignamus. Verùm quia *Dei perfecta sunt opera*, Christus Dominus, idemque Deus ecclesiæ suæ regimen ità temperauit, vt esset quidem absolutè monarchicum, sed tamen de duabus reliquis politiæ speciebus aliquid participaret, & quod bonum, atque perfectum cum in aristocratia, tùm in democratia viget, id monarchiæ in ecclesia connecteretur.

Deuterono. c. 32.

Ecce enim; quod Episcopi in ecclesia sint, qui quidem ità à supremo dependeant, ipsumque suspiciant, vt tamen non sint eius Vicarij, sed iure suo, licèt accepto, prouinciam regant, cui præsunt, ipsamque administrent, aristocraticum regimen exhibet; sunt enim Episcopi in ecclesia veri principes iure suo in portione sibi credita administrantes, qui quidem quamuis à Summo Pontifice præficiantur, attamen non sunt eius Vicarij, sed tanquam veri optimates præsunt iure suo; non enim implicantia est præfici aliquem, & ab alio accipere iurisdictionem, & tamen præesse iure suo, ac propriam exercere iurisdictonem, sicut in legato proconsulis exemplum dedimus supra; sicque aptissimè de aristocratia participat aliquid monarchia ecclesiæ; ad rem perappositè *S. Leo Magnus*, Serm. 3. de Assump. sua. *Si quid commune cum eo alijs voluit esse principibus* (en Episcopos in ecclesia principes) *numquam nisi per ipsum dedit*, *quod alijs non negauit*. Ex democratia verò partem assumit, eamque meliorem; in ea siquidem politiæ forma, magistratus, & dignitates non hæreditaria successione deferuntur, sed electione, eaque adeò ampla, vt vnicuique de populo aditus ad magistratum pateat, quæ quidem est

eft pars in populari regimine plaufibilior alia quacumque; atqui hæc ipfa in ecclefia obtinet; nemo enim eft fidelium, qui liberè non poffit ad Ecclefiafticos gradus, & dignitates adfpirare, ad quas optimus quifque, & habilis promouetur; igitur & de democratica politia quoad meliorem fui partem ecclefia participat. Habemus itaque perfectiffimum in ecclefia monarchicum regimen; iam nunc ad fupremum ipfum, & monarcham confiderandum accedamus.

FINIS LIBRI PRIMI.



IVRIS-

IVRISPRVDENTIA SACRA

LIBER SECVNDVS.

DE SVMMO PONTIFICE, Cæteriſque Eccleſiæ Dynaſtis.

TRACTATVS II.

CAP. I.

De Eccleſiæ, & Sedis Romanæ Primatu, ac perenni in eo ſucceſſione.

1 *Introductio, & partitio materiæ.*
2 *Quomodo ſtet cum capite Chriſto aliud caput in Eccleſia.*
3 *Quod in dignitate capitis debuerit eſſe, & ſit in Eccleſia perpetua ſucceſſio.*
4 *Quæ nouiſſimè in contrarium obijciantur.*
5 *Solutio adſtruitur, vbi, & de Apoſtolatu plura, ac de eius vera ratione, & quî ab Epiſcopatu differat.*
6 *Epiſcopi quomodò ſuccedant Apoſtolis, & Pontifex Petro.*

1 MONARCHICVM Eccleſiæ regimen aſſertum hucuſque, cum ſit inſtitutum in Reipublicæ bonum, quæ ſine politia aliqua nequit conſiſtere, perpetuum eſſe debet, ſicut perpetua eſt ipſa Reſpublica; poſt ipſum iam fundatum ad ſubiectum accedimus, in quo tanquam ſupremo reſidet tanti regiminis ſumma. Duo ergo ſpectanda veniunt primò, ſimulque firmanda; alterum, dari ſucceſſionem in monarchico hoc capite; alterum verò Romanum Epiſcopum illum eſſe, cui tantum hoc onus, ac decus tributum, vt ſit caput ſupremum totius militantis eccleſiæ, & qui tantæ Reipublicæ cum ſumma poteſtate præſideat.

2 Aggredientibus primum ſe ſe obijcit illicò, inane eſſe, ne dicamus commentitium, ſucceſſorem in eccleſiæ regimine, & pontificali dignitate adſtruere, quandò Chriſtus ſemel Pontifex, & caput eccleſiæ Pontificatum ſuum nunquam dimiſit, nec vnquam deſinit in myſticum corpus, cuius eſt caput, per Spiritum Sanctum influere vitaliter: monſtruoſum autem eſt congerere capita plura in eodem corpore, & vbi vnius eſt regimen multiplicare rectores. Verum id quidem, ſi caput, & Pontifex nunc eſſet Chriſtus, qualem exigit hominum conditio per ſenſibilia mouenda, quandiù regenda, ac dirigenda eſt in terris; at inuiſi-

bile nunc est caput, inuisibilis Pontifex agens in corpus ecclesiæ per influxum gratiæ spiritalis, modumque inuisibilem, quo quidem non sit vsus, dum ijdem ecclesiæ visibiliter præsideret in terris; visibilem tunc gessit principatum, qui nec interijt, nec cum ipso est assumptus in cœlum, at durat adhuc, sicut visibilis ecclesia durat; mirum! si stet adhuc in ecclesia Apostolorum, & dicipulorum gradus in Episcopis, & presbyteris, & non maneat principatus haud minùs necessarius; mirum! si habeat Apostolica dignitas successores, & visibilis principatus non habeat; si Christus grande redemptionis opus solo spiritu peregisset, nec corporaliter conuersatus esset in terris, sat esset solus Spiritus ad regendam ecclesiam per internum influxum, & inuisibilem, nec opus esset visibili aliquo capite, quod Christum in carne præsidentem, simulq; regentem redderet; at quia Christus in terris ecclesiam instituit visibilem, vsque ad consumationem sæculi duraturam, eiusque regimen per visibilem sui principatum disposuit, debuit hæc ipsa eodem modo, & visibiliter regi, ac visibilis principatus in ea continuari. Ascendens ad patrem, mundumque relinquens non Spiritum abstulit, sed corpus ademit, ac sensibilem præsentiam; hæc ipsa debuit restitui, & corporea compensari iactura, nec melius potuit id fieri, quàm substituendo Vicarium, qui absentem corpore Christum repræsentaret visibiliter, nec satis ad id præfecisse Petrum, nisi & abeunti Petro perpetuus in tanto munere daretur successor. Pontitificij primatus hìc sita est solida basis, eaq; firmanda impensiùs, roborandaq; vberiùs.

3 Factum D. Petrum à Christo Domino totius ecclesiæ pastorem, per solemnia illa verba, *Pasce oues meas*, iam probatum supponimus; pastoris nomen ordinarium munus in regendo grege indicat à mercenario distans, cuius opera temporaria est, ipseque delegatus gregi præficitur. Stabile ergo pastoris munus, & cum ecclesia duraturum, cui, cum vnius hominis vita non sufficiat, successio fuit adstruenda, vt per eam redderetur perenne, nec vnquam cessaret pascendi munus. Allusit huic successioni Dominus, dum Petro dixit, non simpliciter *Pasce*, sed *Pasce oues meas*; perinde ac si diceret tandiù pastor quamdiù oues; hæ duraturæ cum Orbe, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, & cum orbe duraturum pastoris munus, nec ab homine gerendum nisi per successionem, cum ad orbis durationem non valeat protendi vnius hominis vita visibiliter pascentis, ne ad Christum nunc inuisibilem per fallaciam arguendo habeatur confugium; datæ quidem claues Petro, ipseque accipiens ecclesiam sanctam significauit, vt inquit *Augustin. in can. quodcumq. 24. quæst. 1.* nec accepit tantùm pro se, sed & pro omnibus successoribus vsque ad sæculi finem, cum quo duratura est ecclesia, in cuius bonum data clauium potestas, hæcque perennare non posset in ecclesia, nisi deficiente Petro semper vnus succedat, qui potestatem hanc in ecclesiæ ædificationem sustineat. Quidquid ordinarij muneris in Apostolis fuit institutum, ità fuit ipsis datum, vt post eorum obitum in ecclesia perseueraret, ideòque dati ipsis successores. *Pro patribus tuis nati sunt tibi*

Matt. c. 28

Psalm. 44. 17.

tibi filij, id enim ratio ordinarij magistratus exigebat, vnde & Apostolis substituti Episcopi; neque enim fas erat, vt Apostolicus gradus in sui primordio deficeret; instituto igitur principatu ecclesiæ in Petro, debuit hic idem esse in ecclesia perennis; minor censenda quando non est Dei dilectio in ecclesiam suam post obitum Petri, quàm fuerit viuente Petro; & si eo superstite voluit regi gregem ab vno, & post eius obitum volet regi ab vno iuxta institutam ecclesiæ politiam. Illationes hæ sunt, quibus plaudit Sanctorum Patrum auctoritas; *Cyprianus* enim qui inter prima ecclesiæ sæcula floruit *Tamen* (inquit,) *vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit*. Per hunc Petrum intelligit, cui antea dictum obseruauerat, *Pasce oues meas*. Si ad vnitatem in erumpentis ecclesiæ primordijs necessaria fuit vnitas capitis, haud minùs hæc ipsa est necessaria ad eandem in progressu conseruandam; nec aliter sæculorum lapsu hæc vnitas capitis potest haberi inter mortales homines, quàm successionis beneficio, quæ vnum alteri substituendo gradum ipsum perennat. Idem *Cyprianus* ad Cornelium; *Hoc enim vel maximè (frater) & honoramus, & laborare debemus, vt vnitatem à Domino, & per Apostolos nobis successoribus traditam quantum possumus obtinere curemus*. Agnouit hanc successionem in Petri primatu, & ecclesiæ principatu *Leo Magnus*, nec vnquam perorauit in assumptionem suam, quin successionem in Petri Pontificatum, & gradum attolleret; sed quàm disertè ecclesiæ firmitatem exaggerans subdit demùm post plura: *Stabilitas enim illius fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est, & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ità permanet, quod in Petro Christus instituit*: & ne de modo perseuerantiæ, & durationis liceat ambigere, adijcit inferiùs idem disertissimus Pontifex; *Cum ergo cohortationes nostras auribus vestræ sanctitatis adhibemus, ipsum vobis, cuius vice fungimur, loqui credite*. Petri successori preiuit, haud minùs apertè *Chrysostomus*; *Quoniam eadem de causa idem ille (nempe Christus) sanguinem effudit suum certè, vt oues eas acquireret, quarum curam, tum Petro, tum Petri successoribus committebat*. Adstipulantur *Augustini*, *Ambrosij*, *Isidori*, *Origenis*, & aliorum Patrum sententię, qui in Petro auctoritatem accipiente à Christo agnoscunt ecclesiam; *Baronius* in annalibus suis, vbicumque exigit occasio, hanc ipsam successionem confirmat.

Lib. de simpl. Prael. & vnit. eccles.

Lib. 1. epist. 10.

Serm. 3. de Assumpt. sua.

Lib. 2. de Sacerdot.

Ep. ad Generos. 166.

In Psalm. 108. tract. 50. in Ioan. & trac. 124 in Psal. 38.

In Allegor. tract. 1. in Matt.

Tom. 1. Annal. anno 34.

4 Displicet nihilominus hæc Petri, & primatus eius successio ijs, qui in ecclesia omnia vellent æqualia, & sine ordine ab vno, vt Summi Pontificis Romani maiestatem deijcerent; huc enim tendit aristocraticum, quod somniant, regimen, huc monarchiæ detestatio: & quamuis controuersias noster non admittat stylus, haud pigebit tamen, quid *Neotericum* moueat, referre, qui scripsit post Cardinal. Bellarminum, & in ecclesia primatum oppugnauit: eòque dirigitur eius intentio, vt paritatem omnimodam inter Petrum, & reliquos Apostolos probet, exceptis nonnullis, quibus tanquam personalibus à cęteris distinguebatur.

Vrget igitur; quod omnia fuere paria inter ipsos, omnes æquè Apostoli, omnes æque Episcopi, cum inter Apostolatum, & Episcopatum exigua admodum, eaque accidentalis differentia vigeat; quod si verba *Ioan. c. 20.* illa Christi Domini attendas, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; hæc non magis dicta Petro comperies, quàm reliquis Apostolis, & quæcumque per ea fuit tradita potestas, eadem data omnibus, ac in Episcopos successores suos transmissa, quo factum, vt æquè reliquis Apostolis succedatur, ac Petro, cui non sit assignanda singularis successio. Excurramus primam illam Episcoporum ordinationem ab Apostolis factam non ideò quidem, vt singuli succederent, ac post cuiusque obitum eius locum vacantem assumerent, sed quicumque ab Apostolis Episcopi fiebant, eandem cum ipsis in solidum auctoritatem acquirebant; sicque vniuersalem in habitu, ac illimitatam, in actu verò determinatam, prout varia obibant loca, & alicubi consistere ipsis iniungebatur, alioqui nulli certo loco erant addicti, vt de Barnaba, Paulo, & reliquis omninò fas est ex sacra historia colligere; nacti ergo eandem potestatem cum Petro in solidum Petro dici poterant succedere quicumq; fiebant Episcopi, & qui nunc fiunt, omnes Petro succedunt, nec est cur singularis aliquis sit ipsi statuendus successor; indeque factum, vt Sancti Patres, *Cyprianus*, *Hieronymus*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Ephrem.*, *Chrysostomus* Episcopos Petri successores appellent, & præsertim *Petrus Blesens.* ità scribit ad Episcopum Bathoniensem. *Recolite Pater, quia B. Petri Vicarius estis. Vobis in eo quandoque dictum est, si diligis me, pasce oues meas*; haud absimiliter, & ad Episcopum Vingoniensem *Christi Villicus es, & Vicarius Petri*. Quicumq; igitur Episcopi Apostolorum successores ijdem & Petri; neque enim credendi Episcopi ità Apostolorum successores, vt vnicuique Apostolo suus succedat Episcopus, id namque nec numerus Episcoporum, qui incomparabilis cum numero Apostolorum duodenario, nec ecclesiæ vnitas patitur, quæ facilè per schisma scindi posset, si ex indiuiduali successione quisque dicere posset *Ego Pauli, ego Cephæ*, sed ità, vt omnes in eorum officio succedant, quod erat omnibus commune, & succedant omnibus in solidum omnes. Fuerunt Apostoli vnà cum Petro pastores vniuersales, & in hac vniuersali potestate succedunt Episcopi omnes non solùm in genere, sed etiam singuli; sicut ergo datur successio Petro in potestate illa vniuersali, ità in eadem debet dari & alijs Apostolis; quare Romanus Episcopus succedit Petro? quia succedit primo Episcopo, qui Romanæ ecclesiæ fuit datus à Petro; idem de cœteris Episcopis; Episcopus enim Corinthi succedit primo Episcopo, qui fuit à Diuo Paulo datus Ecclesiæ Corinthi; Episcopi aliarum ecclesiarum primo Episcopo, qui fuit datus ab aliquo Apostolorum; succedunt itaque Episcopi Apostolis in apostolatu, in episcopatu, & auctoritate illa, quæ erat eadem in omnibus in solidum, sicque habent omnes Apostoli successores, & non Petrus solus.

Lib. 4. epist. 5. epist. 1.
Lib. 12. Thesauri c. 13.
Ephrem. de laudib. Basil.
Lib. 2. de Sacerdot. in princ.
Epist. 148.
In Canon. Episc. versus fin.

Nec differens admodum est consideratio alia; nam Apostoli cœteri legationem quidem, & digni-

gnitatem Apostolicam acceperunt, sed personalem, quæ cum ipsis expirauit, nec in ea habuere successores; ergo nec Petrus in apostolatu suo successorem habuit; esto enim, quod primatum aliquem gesserit inter Apostolos, & principatum acceperit aliquem ad tuendam ecclesiæ vnitatem, & concordiam fouendam, nulla tamen maior ratio successionis reperitur in illo, quam in Apostolis reliquis; aut ergo æquè succeditur omnibus alijs Apostolis, aut singulariter nulli, sicque nec Petro; quæ sane est tota fusioris, imò fusissimæ disputationis summa, quæ à Neoterico accerrimè instituitur.

5 In hac disputationis, & rationum serie duo supponuntur, quæ si distinguantur, & elucidentur, corruet facilè tota moles, & innotescet tota inductionis fallacia. Primum quod supponitur est; Apostolos omnes parem, & æqualem imò, & eandem cum Petro accepisse potestatem. Alterum, apostolatum ab episcopatu exigua, eaque accidentali differentia distare, vnde infertur Apostolos ęquè fuisse, & Episcopos, ac proinde eis succedi pariter in vtroque gradu, & in vtraque potestate, nec magis Petro, quam alijs. Incedamus distinctè, & plana omnia fient. Agnoscimus in Petro communem, & æqualem cum reliquis Apostolis potestatem tunc collatam, cum omnibus æqualiter dictum *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. At verò cum hac in Petro aliam suspicimus, & ad alios actus, qui non tanquam Apostolo, sed tanquam supremo capiti, ac Summo Pontifici competebant; hæc fuit ordinaria, ac suprema tanquã magistratus in ecclesia perseueraturi, ac in successores transmittenda pro eiusdem ecclesiæ dirigendò regimine, ac vnitate tuenda; quam verò habuere Apostoli reliqui potestatem, vtcumque in substantia non diuersa esset à Petri potestate, at certè in modo planè fuit alia, fuit enim extraordinaria, & delegata, ac personalis legatio quædam cum eorum persona extinguenda; amplissima, sed non suprema, quandò subiecta, ac subordinata Petro; extensiuè ęqualis, at non intensiuè. Necessaria fuit hæc potestatis æqualitas inter omnes Apostolos, sed cum subordinatione ad vnum; cum enim propaganda esset ecclesia per omnes fines terræ, eadem cuique propaganti adesse debuit potestas, at subordinata ad vnum, vt cum vnitate ampliaretur ecclesia, & ne tot fierent Pontificatus, quot ecclesiæ, vt vnicuique consideranti patere facilè potest.

Ioan. c.20.

Quod verò attinet ad suppositum secundum, quo exigua, & merè accidentalis statuitur differentia inter Apostolatum, & Episcopatum, vt inde fiat fallax ad intentum illatio, extenuatur nimis ipse gradus Apostolatus, quo post illam Petri, nulla maior dignitas in ecclesia, cuius vmbra, & figura præcessit apud Hebræos, vt notauit *Baronius*, penès quos Apostoli dicebantur, qui assidebant summo Sacerdoti, & assiduè cum eo versabantur consulendi gratia referentes ipsi, quæ ad legem spectarent; à summo Sacerdote legabantur ad mores componendos, ad synagogas instituendas, errores corrigendos, & ad redigendos in ordinem ministros, qui non se gererent ad legis præscriptum. Cessauit hoc munus Arcadij, & Honorij Imperatorum æuo, vt indicat *tex. in l. 14. C. Theodos. de Iudæis. lib. 16.*

Tom. 1. anno 32.

lib. 16. vbi obſeruare licet Apoſtolos dictos, qui mittebantur ab eorum Patriarcha ad exigendum aurum à ſynagogis, & exactum ad Patriarcham reportandum, vt eruditè notauit ad eandem legem nouiſſimè *Gothofredus*. Vmbram, & figuram ad veritatem, & rem tranſtulit Christus Dominus, ac perfectiſſimo modo apoſtolatum inſtituit, dum hoc ipſo titulo duodecim elegit, qui mundo falſæ religionis tenebris obuoluto veritatis lumen accenderent, & eeclefiæ,quam moliebatur, fundamenta ponerent. Notabile eſt, hoc nomen Apoſtoli deriuatum à græco verbo ἀποστέλλω, quod mittere ſignificat, ſed non ſimpliciter, at cum mandatis, & auctoritate, nec cenſendum munus nudi, & ſimplicis miniſterij, ſed honorabilis cum poteſtate, ac dignitate coniuncti; rem hanc ipſam vnus eloquatur *Chryſoſtomus*. *Apoſtoli munus res bonis infinitis exundans, gratijs omnibus maius, & dona omnia complectens. Quid enim amplius dixerimus, quàm id, videlicet Chriſtum cum nobiſcum dum verſaretur feciſſet, hoc ipſum illis commiſiſſe, ac ſic demùm à nobis abijſſe? id, quod Paulus exclamans, Apoſtolorumque dignitatem extollens, ait, pro Chriſto legati ſumus, tanquam Chriſto per nos conſolante, hoc eſt Chriſti vice.* Præuidit infinita Chriſti ſapientia futuros aliquandò, qui apoſtolatum cum epiſcopatu niterentur confundere,quem ipſe in eeclefia ſua ſtatuebat, ideò in ijſdem gradibus conferendis eos, nedum diſtinxit, ſed & diuiſit, vt planè diuerſos ſpectandos obijceret. Primò namque ex diſcipulorum numero duodecim elegit Apoſtolos, præmiſſa per totam noctem oratione in exemplum, & vt auſpicatò eccleſiæ ſuæ fundamenta poneret; nomen eis indidit, at poteſtatem nullam, nullamue iuriſdictionem dedit, ſed ſolam virtutem in dæmonia, & in languores; *Et conuocatis duodecim diſcipulis ſuis dedit illis poteſtatem Spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Sacerdotes ordinauit in vltima cœna. *Hoc facite in meam commemorationem*. Epiſcopos demùm completo paſſionis, ac redemptionis opere poſt reſurrectionem data illis ligandi, atque ſoluendi poteſtate, ſimulque remittendi peccata, quæ omnia à Chriſti ſanguine vim, & efficaciam ſunt mutuata. Cumulata ergo hæc tria fuere in Apoſtolis, apoſtolatus, ſacerdotium, & epiſcopatus, ſed ità, vt remanſerint inconfuſa, ac diuerſo omninò iure cenſenda. Apoſtolatus dignitatem demùm compleuit per verba illa *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, per quæ Apoſtolicam legationem pleniſſima iuriſdictione in totam eccleſiam decorauit, poteſtatemque contulit ad regendam eccleſiam ipſam,ſed extraordinariam, & cum ipſorum vita terminandam; inde igitur emicat, quanta ſit apoſtolatus prærogatiua, & quàm ſupra epiſcopatum, & ſacerdotium emineat, quamque ridenda ſit differentia illa, quam, vt vnicam, legimus excogitatam inter apoſtolatum, & epiſcopatum ad oppugnandum quoquo modo Romani Pontificis primatum, quod ſcilicet apoſtolus is ſit, *Qui Chriſtum prædicat tanquam teſtis oculatus ab ipſomet Chriſto immediatè miſſus*; Epiſcopus verò, *qui eundem prædicat tanquam teſtis in-*

In comment. ad Cod. Theodoſ.

Hom. 1. in ep. ad Rom. circa prin.

Luca c. 6.

Matth. c. 10

Luca 22.

instructus, *& fide illuminatus*, *ac missus à Christi ministris*; sit quidem hæc differentia (qualiscumque ea sit,) sed non sola, quandò aliæ extant maiores, & intimiores; triaenim ad dignitatem apostolatus maximè spectarunt *Victoria* teste; auctoritas regendi populum fidelem, facultas docendi, & miraculorum potestas, quæ postrema cum Apostolis terminata est tanquam muneri tunc adnexa; aliæ duæ esto, quod remaneant, at non eodem modo, sicut nec certè tertia; nam duæ illæ fuere in Apostolis vniuersales pro tota ecclesia, qualem extra Summum Pontificem nunc in ecclesia non intuemur; sed præter illas habuere etiam alias, nec tamen in successores Episcopos transmissas, quales, auctoritas canonicas scripturas condendi, quod essent ecclesiæ fundamenta, vt eos appellat D. Paulus, quod eorum doctrina ex eo, quod apostolica, irrefragabilis esset, ac veluti sacra; Apostoli nomen esset nomen Patris *Augustino* teste, quod apostolus quilibet licèt vnus potuit Episcopum ordinare sicut D. Paulus Titum, Timotheum, & aliòs ordinauit solus; Apostolis demum omnis paruit ecclesia indistinctè tanquam vniuersalem potestatem gerentibus licèt extraordinariam, quæ tamen dotes Episcopis licèt Apostolorum successoribus non competunt, imò totidem inter Apostolum, & Episcopum constituunt discrimina.

1. Relect. de pot. eccles. n. 9.

Ad psal. 44

6 Successerunt quidem, & succedunt Episcopi Apostolis, succedit & Summ. Pontifex Petro, at ratione, & modo longè diuerso. Dicuntur Episcopi Apostolorum successores, & Pontifex Petri, sed successione alia, & alia; succedunt Episcopi, at non cum ea potestate, quam habuerant Apostoli, nec cum iurisdictione eadem, quæ fuit ipsorum personalis, extraordinaria, & intransmissibilis legatio; at succedere dicuntur Apostolis Episcopi, tum ratione ordinis, tum ratione gradus analogia seruata, sicut enim Christo in terris regnante primum, & proximum gradum post ipsum tenuerunt Apostoli, & post eos septuaginta duo discipuli, ità post Summum Pontificem sunt Episcopi, & post eos presbyteri, nec Apostolis vlla debetur successio, quoad potestatem, & iurisdictionem, quæ in ipsis fuit extraordinaria; at Petro tanquam ordinario, & perpetuo pastori vtiq; datur successio; succedunt Episcopi Apostolis, at non ità, vt Episcopus vnus vnicuiq; Apostolo, sed Episcopi omnes omnibus Apostolis, & non cum eadem iurisdictione.

Dictum quidem Apostolis à Christo, *Sicut misit me Pater*, *& ego mitto vos*, quæ verba sicut non eandem expositionem, & intellectum admittunt, vtpote variè à patribus accepta, ità nec transmissionem omnimodæ potestatis arguunt; *D. Gregorius* solam amoris similitudinem in ijs verbis agnoscit; *Ea vos charitate diligo* (inquit) *cum inter scandala*, *& persecutiones mitto*, *qua me charitate Pater diligit*, *quem venire ad tolerandam passionem fecit*; cui adnuit & *Petrus Chrysologus*. *Chrysostomus* offitij, & ministerij similitudinem. *Quarè hoc dicit? eorum animos erigit*, *& suam proponit auctoritatem*, *siquidem suum eis relicturus erat ministerium*. *Cyprianus* demùm similitudinem in potestate, *& quamuis omnibus Apostolis post resurrectionem suam parem*

Hom. 26. in Euang. in princ.

Serm. 84.

Hom. 85. in Ioan.

De vnit. ecclesi.

rem potestatem tribuat, *& dicat*, *sicut misit me Pater*, *& ego mitto vos*; quam, & probant alij Patres *Theophilac. Cyrill. Alexandrin.* solam similitudinem, & identitatem commissæ potestatis in ijs verbis admittens; sicut itaque non omnem, quam ipse habuit Christus Dominus Apostolis tradidit potestatem, (habuit namque intransmissibilem aliquam potestatem, qualis illa, quæ dicitur excellentiæ,) sic quamuis succedant Episcopi Apostolis non tamen succedunt in totali, & extraordinaria illa, ac intransmissibili potestate, quæ fuit necessaria in prima ecclesiæ fundatione, non item vbi ea iam fundata est. Hocque iacto doctrinę principio, vindicatur singularis Petri successio, & per partes satisfiet obiectioni. Fuere igitur Petrus, & reliqui Apostoli æquales, sed in Petro non personalia aliqua tantùm (vt assumit obiectio) eminuere; fuere omnes æquè Apostoli, æquè Episcopi, sed quid sublimius adhuc in Petro spectandum, in quo, & tria distinguenda inuicem accidentaria, ratio scilicet capitis, apostolatus, & episcopatus; per primum Petrus omnibus fuit superior, etiam Apostolis, per secundum ijsdem fuit æqualis, per tertium inferior; respectu habito ad apostolatum, qui erat gradus superior, & facta sola collatione graduum, qui inter se diuersi. Vt caput ius habuit in omnes etiam Apostolos; vt Apostolus potuit in omnes fideles id omne, quod reliqui; vt Episcopus proprio sibi credito gregi ius dixit; Apostolatus fuit in Apostolis munus extraordinarium, Episcopatus ordinarius; ille, vtpote personalis legatio, cum ipsis expirauit, episcopatus in successores transijt; at in Petro omnia fuere ordinaria; & ideò in omnibus ipsi succeditur, ac Petri successor, & caput ecclesiæ est, & apostolica auctoritate, & episcopali fulget, ac pollet; fuere quidem verba illa omnibus dicta, *Sicut misit me Pater*, *& ego mitto vos*; at Petro separatim ab alijs, & singulariter dictum, *Pasce oues meas*, indeque constitit in ipso ratio capitis, quæ omnibus præeminet, quæque vt necessaria semper ad ecclesiæ politiam in solo Petro non stetit, sed adsuccessores migrat, ne ecclesia connaturali suo destituatur regimine, quod vnius est; apostolatus verò in alijs Apostolis expirauit, cum fundata iam ecclesia non esset necessaria extraordinaria legatio cum vniuersali potestate, qua opus erat in ecclesia fundanda, & propaganda; eoque attento discrimine inane est asserere omnes Episcopos non magis Apostolis alijs, quàm Petro succedere, nec esse cur Petro proprius, & singularis constituatur successor; succedunt siquidem Episcopi Petro, & Petri vices gerunt in ea parte, quam à successore Petri recipiunt, at non in ea parte, qua Petrus caput est ecclesiæ, cui credita tota ecclesiastici regiminis summa, & in qua vnus tantùm succedit cum potestatis plenitudine, cum reliqui Episcopi ad partem vocentur solicitudinis. Neq; vltra probat allatum Pauli, & Barnabæ exemplum, quod proponebatur in argumentum, quod electi ab Apostolis eandem cum ipsis consequerentur potestatem, nam non fuere simplices Episcopi ab Apostolis electi, sed Apostoli veri, quibus Spiritus Sanctus potestatem concessit per verba illa, *Segregate mihi Saulum*, *& Barnabam in opus*, *ad* *Act. c. 13.*

quod

quod assumpsi illos, quod dici nequit commune alijs Episcopis, qui ordinabantur ab Apostolis. Appellauit Petrus Blesensis Episcopos Bathoniensem, & Eboracensem Petri Vicarios, at non rectè inferas successores, qui differunt longissimè inter se; successor enim vacantem locum supponit, quem ingrediatur, siue per mortem, siue per resignationem, siue priuationem; at Vicarius supponit eum præsidere, cuius vices gerit, & quoties Vicarium vocat singularem aliquem Episcopum, de ea intelligit portione, quam gerit, non de tota illa potestatis amplitudine, in quam præter vnum alius nemo succedit, & ideò nequeunt dici Episcopi absolutè Petri successores, quod illud potissimum erat, quod contorquebatur contra successionem in Petri primatu. Claudamus tandem, quod cum vnius regimen ità sit institutum à Christo Domino, vt perenne in ecclesia sit, hæcque perennitas inter mortales homines haberi non possit, nisi per successionem, ideò Petro, quem ostendimus ecclesiæ caput, & vnum, qui toti ecclesiæ præest, succedi debet, idque satis, & necessariò hucusque probatum.

CAP. II.

Quis in Primatu Successor.

1 *Romanus Episcopus Petri successor, & vnde hoc illi latè.*

2 *Obijciuntur plura ex Neotericorum impugnationibus; & soluuntur.*

3 *Paulus quomodo ecclesiæ Romanæ fundator, at non Episcopus.*

4 *Vnde Romana ecclesia omnium ecclesiarum caput; & Petri intentio in erigendis ecclesijs.*

5 *Obiecta contra Romanæ ecclesiæ amplitudinem.*

1 STABILITA Petri successione inquirendum se exhibet, quisnam sit hic Petri successor, penès quem cum eadem potestate tota chistianæ rei summa resideat. Peruagandum longiùs non est, nec admodum anxiè scrutandum, vt detur quæsito responsum: præmissa etenim hucusque de successione Petri in Summo Pontificatu totius ecclesiæ iam nos instruunt, vt dicamus Romanum Episcopum Petro succedere in Summo Pontificatu, ac eo ipso, quo Romanus Episcopus est, hoc etiam habere, vt primatum in ecclesiam vniuersam, vt alter Petrus, imò vt ipse Petrus, sustineat. Succedi in primatu iam probauimus; eo enim ipso, quo Christus Dominus instituit ecclesiam suam per vnum, & monarchicè regi, necessariò voluisse censetur & successionem, quandò inter homines nisi per successionem possit hæc regiminis forma continuari. Quare autem hæc gradus sublimitas Romanæ ecclesiæ præ cęteris obuenerit, ratio aliunde petenda non est, quàm ex ipso facto Petri ità, vt sedes illa, & Episcopatus, in quo Petro succeditur, successionem etiam in primatu, ac Summo Pontificatu se-

ſecum fęliciter ferat: hæc autem alia non eſt, niſi ſedes Romana, & Romanus epiſcopatus, in quo, & per quem ſucceditur Petro; certum enim eſt, quòd Petrus, qui non ſolùm fuit Apoſtolus ſicut & alij, ſed inſuper omnium ſupremus nulli extitit addictus eccleſiæ, vel potiùs nullam ſibi aſſignatam epiſcopalem ſędem habuit, ſed primùm in Antiochena eccleſia ſedem ſibi delegit, & in ea epiſcopalem cathedram ſibi conſtituit; ſedit per annos ſeptem, indeque Romam tranſiens, vt eam Vrbem, quæ caput erat totius Orbis, in caput etiam totius eccleſiæ attolleret, ibique cathedram ſibi ſtatueret, in ipſa vſque ad finem vitæ ſedit, eamque glorioſo martyrio ſuo decorauit. At verò ſedes Epiſcopi dicitur illa, non in qua primùm ſedit, ſed ad quam translatus in ea etiam vitam clauſit; ideò non Antiochia, quæ fuit ſedes prima, & quam dimittens in ipſa ſucceſſorem reliquit Ignatium, ſed ſedes Romana dicenda eſt ſedes Petri, quo vita per martyrium functo, qui ſucceſſit in Romana ſede ſucceſſor etiam Petri factus eſt. Potuiſſet Petrus primatum ſuum in eccleſia tenere, nullamque ſedem particularem ſibi eligere, ſicut primis quinque annis feciſſe compertum eſt: potuiſſet fundata Antiochena eccleſia, ſedem, quam in ea elegerat, vſque ad mortem retinere, & ibi præeſſe, quo caſu Antiochenus Epiſcopus ipſi ſucceſſiſſet; at quia Antiochenam dimiſit, & Romam in ſedem ſibi aſſumpſit, inde eſt, quòd Romanus Epiſcopus ipſi ſuccedat: ex eo enim, quod Petrus Summus Pontifex ſedem Romæ fixit, factum eſt, vt Romanus epiſcopatus euectus ſit ad culmen Summi Pontificatus, ſicuti ſi eccleſia aliqua epiſcopalis erigatur in Archiepiſcopalem, vel Patriarchalem, qui ſuccedit in hac eccleſia tanquam Epiſcopus ſtatim conſequitur, vt ſit, & Archiepiſcopus, & Patriarcha, ità qui ſuccedit in Romano epiſcopatu, & in Summo Pontificatu ſuccedit, qui quamuis ex natura ſua nulli ſit alligatus ſedi, attamen ex facto Petri ſtatuentis perpetuam ſedem in eccleſia Romana, non ſine Diuina diſpoſitione euenit, vt qui epiſcopatum regendum ſuſcipit, & Summum Pontificatum tanquam Petri ſucceſſor obtineat, idemque ſit & Epiſcopus Romanus, & Pontifex ſummus. Quæ ratio eſt, vt nullus hucuſque ab obitu Petri ſe eiuſdem ſucceſſorem aſſeruerit niſi Romanus Epiſcopus, & Antiochenus; ſed Antiochenus non ſucceſſit Petro in Pontificatu totius eccleſiæ, nam non ſucceditur alicui niſi aut morienti, aut cedenti, aut depoſito, ſeu priuato. Petrus autem adhuc viuens, & pontificatum gerens Antiochenam eccleſiam dimiſit; relicto ſibi ſucceſſore, & Romam migrans ibi ſedem ſuam poſuit, ibique deceſſit: ideò qui ſucceſſit ipſi per mortem in Romano epiſcopatu, ſucceſſit etiam in vniuerſali pontificatu; nam ſi Antiochenus ſucceſſiſſet, primus etiam omnium fuiſſet habitus, & tamen videmus *in Can. 6. Concil. Niceni* ipſum tertio loco adnumerari, & primum dari Romano; Romanus ergo in Summo Pontificatu ſucceſſit, & ſuccedit. Neque fas eſt comminiſci effugium, quod ſcilicet cum pontificatus ſit diſtinctus ab epiſcopatu Romano, non ſit tutum arguere à ſucceſſione epiſcopatus Romani

ad

ad successionem summi pontificatus, cernimus Petrum dimisisse episcopatum Antiochenum non dimisso pontificatu, & habuisse quidem successorem in episcopatu Ignatium, at non eundem in pontificatu; cur & suspicari non liceat idem factum, & in Romano episcopatu? ad eneruandam illationem à succcessione in episcopatu ad successorem in pontificatu.

Nam occuritur facilè: quia non est quæstio, quid fieri potuerit, sed quid re ipsa sit factum: de facto autem non minùs est certum, primum successorem Petri ipsi successisse in pontificatu totius ecclesiæ, ac successerit in episcopatu Romano. Vnica enim persona semper Petro successit, nec vnquam aliter traditum aut ex historijs, aut ex patribus legimus; ideò necessarium est, vt qui successit Petro in Romana sede, successerit & in vniuersali pontificatu, aliàs enim dicendum esset pontificatum extinctum esse sine successione, cum tamen esse perpetuum vsque ad durationem ecclesiæ iam sit certum: quidquid sit de ea disquisitione, an possit primatus ab ecclesia Romana separari; hoc certum, quod hæc separatio à Diuo Petro facta non fuit, vnde per eius obitum remansit coniunctus pontificatus Romanæ sedi; & qui hanc succedens habuit, & pontificatum cum ea obtinuit. Hæc Petri successio historiarum attestationibus vnanimi Patrum tum Græcorum, tum Latinorum consensu suffulta, ac perpetua in Ecclesia traditione transmissa vulnerat, ac prosternit eos, qui Summi Pontificis primatum venenato odio & prosequuntur, & impugnant, & ideò plura contra ipsam contorquent obiectionum tela, inter quæ planè desperatum videtur illud, quo negant Petrum Romæ mortuum, imò & vnquam Romæ fuisse, eò dementiæ adacti, vt deserendum sensum propter rationem credant, vel suadere velint, ac præferendas cauillationes, & tricas sensatæ historicorum narrationi, imò fermè oculatæ inspectioni. Designatur enim adhuc, & ostenditur Romæ locus martyrij Apostolorum Petri, & Pauli traditione perpetua in hominum fidelium conseruatus memoria; spectatur adhuc locus, vbi obuium habuit Petrus Christum dum & ab eo fuit ad martyrium animatus; coluntur loca, in quibus vtriusque Apostolorum conditi cineres, & ossa, cum tamen nusquam aliundè legatur facta translatio, & tamen contra euidentia adeò testimonia cauillari adhuc audent homines insensi. Hoc obiectum in mero facto consistens diluêre hactenus Card. Bellarminus, & si qui alij, qui controuersias tractarunt, apud quos & alia obiecta soluta adæquatissimè est videre; vnde circa hæc ipsa immorandum non est, ne actum agere videamur. Hanc eandem veritatem de Petri successione in Romana ecclesia agitauere acriter alij scribentes post Bellarmini obitum, ideò si quid allatum singulariter est, breuissimè citra controuertendi intentionem afferemus, & ponderabimus, ac subinde rem nostram prosequemur.

2 Consideratur ergo. Esto quòd Petrus fuerit Romanus Episcopus; certè fuit etiam Antiochenus, imò & aliarum plurium ecclesiarum, quas fundauit, in quibus actu suum exercuit Apostolatum; & Episcopatum; ergo non minùs erit Petri suc-

cessor Antiochenus, & alij, quàm sit Romanus. At quàm inconsulta sit obiectio iam supra allata satis, superque indicant. Fundauit quidem Petrus Antiochenam ecclesiam, ac in ea sedit ad annos septem; hanc eandem dimisit se transferens Romam, ac in Antiochena sede posuit Ignatium, siue Euodium; itaque sedente Petro Romæ, sedebat & Antiochiæ Ignatius, vel Euodius; Petrum igitur Antiochenum Episcopum non amplius dicere licet; Petro moriente Antiochenum Episcopum succedere quis dicere audeat? successit semel Ignatius Petro, cum Antiochenam sedem relinqueret; at fundata noua sede in Vrbe Roma, eaque per annos vigintiquinque administrata, quis dicat post mortem ei succedere Episcopum Antiochenum? sic etiam quod instituerit, aut fundauerit alias ecclesias non inducit, aut inducere potest rationem successionis, nisi sedes Episcopalis ibi figatur, & regatur; itaque in sola Romana ecclesia habuit Petrus successorem, in qua reliquum vitæ impendit, & in qua decessit, vitam martyrio claudens. Haud impar & ea est obiectio. Nam ex hac successione, quæ prætenditur Petro in episcopatu Romano ad inducendum Pontificium primatum, primatus ipse Petri videtur omninò destrui; si enim Petrum ipsum specialem Episcopum Romanum facimus, necesse est, vt dicamus, Petrum, vt fieret particularis Episcopus, apostolatui suo vniuersali renunciasse, & se obligasse Romanæ sedi, quæ esset sedes eius propria vsque ad mortem; igitur, si primatum vniuersalem in Petro sustinere velimus, alligare ipsum non debemus episcopatui Romano particulari. Vnum supponit hæc consideratio, quod planè falsum est, vnde subtracto fundamento corruit, & quidquid superstruitur. Supponitur implicare, vt vniuersalis Pontificatus cum singularis ecclesiæ episcopatu concurrat, & cumuletur cum eo, adeòq; pugnare Petrum Romanum Episcopum esse, & simul Pontificem Summum ità, vt assumens episcopatum teneretur necessariò tanquam incompatibilem dimittere pontificatum, quasi scilicet æquè implicet Imperatorem propriam aliquam phalangem ducere, eique peculiariter præsidere, & simul Imperatorem esse; Metropolitanus, *Primas*, Patriarcha proprium singularem episcopatum habent, neque implicat cum Metropolitico, aut Patriarchico iure, sicut nec implicat singularis episcopatus cum apostolatu; Iacobus enim fuit Apostolus, & tamen idem Hierosolymorum Episcopus, & singulari huic episcopatui addictus, sicut Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus confirmant. Corruit ergo implicantia, quæ assumitur, & cum ea tota obiectio.

Instatur adhuc; cum Petrus plures habuerit sedes, quid requiritur, vt aliqua ex ipsis præceteris fieret, & facta sit Papalis? aut enim requiritur factum solum Petri, aut intentio sola, aut factum & intentio simul. Non factum solum, vt S. Petrus sedem fixerit, & in ea vitam finierit, quia, vel concedente Card. Bellarmino, merè accidentatale fuit, vt Petrus Romæ vitam finierit. Non intentio sola sine præsentia, quia si hanc sufficere velimus, etiam Antiochena ecclesia poterit esse Papalis, nec certi sumus,

mus, an non sit, quia quamuis Petrus ipsam deseruerit, potuit tamen intentionem habere, vt nihilominus remaneat papalis, sicut absentia corporalis ab Vrbe Roma toties secuta impedire non potuit, quò minùs ipsa semper remaneret Papalis. Non demùm factum, & intentio simul, quia vtcumque de facto Petri erigentis ecclesiam in episcopalem, ibique sedem figentis possimus esse certi, ità de intentione non possumus nisi diuinari, vnde nec possumus nisi tanquam incertum assumere Romanum Episcopum Petro in Summo Pontificatu succedere. Leuis argutia, quæ partium enumerationem conficiens ea separat, quæ naturaliter coniuncta semper coniuncta creduntur, donec separatio euidenter, & concludenter probetur. Itaque factum Petri integrum, atque totale sat est, vt ex eo sedes Papalis denominetur, & constituatur; factum integrum erit, vt Petrus Antiochena sede relicta, eique tanquam vacanti successore constituto, ad Romanam se contulerit, in ea episcopatum erexerit, & gesserit, per 25. annos in ea sederit, quod nunquam animo dimittendi ab ea recesserit, nec eam mutauerit, & demùm quod vitam in ea finiuerit. Vbi de facto hoc integro, & perfecto constat, inane & inuidiosum est de intentione ambigere, & disputare, quæ ex facto probatur, & ex constantia ipsius facti præsumitur facto conformis, & ideò nec adeò facile potest asseri fuisse merum accidens, quod Petrus Romæ diem obierit, quando intentio eius præsumitur, vt constituens Romæ sedem, ibique permanens, mori etiam ibi intenderit, hoc est per totam vitam sedem illam retinere, & non mutare, sicut de facto non mutauit; vnde accidens, quidem dici potest, absolutè loquendo, quod Romæ Petrus obierit, quia potuit & alibi mori, si aliò profectus esset, at non accidens respectu intentionis Petri, quæ ex facto ea probatur, vt sedem non mutandam Romæ figens ibi etiam vitam claudere intenderit; inanis ergo est separatio facti, & intentionis, & cauillosa planè obiectio iam soluta. Vltimò demùm obijcitur; esto quòd danda sit successio Petro in Romana ecclesia, ità tamen danda est, vt Paulus, etiam non excludatur; æquè enim laborauit, ac Petrus in illa Ecclesia fundanda, & vterque æqualiter fundator dici debet, & ideò iactent quidem Pontifices Petri successionem, sed simul & Pauli, quem & Principem Apostolorum videmus appellatum non minùs, quàm Petrum, à *Hieronymo*, & à Nicolao I. ac Ioanne VIII. Summ. Pontif.

Lib. 1. cōmēt. in epist. ad Galat. in proœm. *Ep. 7.* *Ep. 45. 75. & 77.*

3 Verissimum est, Petrum, & Paulum simul Romanam ecclesiam fundasse, idque maioris gloriæ est eidem ecclesiæ; at fallax, & captiosa illatio, arguere inde ipsos etiam fuisse eiusdem ecclesiæ Episcopos, sicq; duo capita in ecclesia adstruere. Duplicem siquidem ecclesiæ fundationem cum SS. Patribus agnoscimus: alteram per christianæ fidei, ac Euangelij prædicationem, iuxtà quam tunc primùm dicitur ecclesia fundari, cum populus ab errore ad verum lumen, & Christi fidem reuocatus conuertitur, & de infideli fidelis, ac veri Dei cultor efficitur. Alteram verò cum populo iam conuerso, & Christi fide iam recepta, nouus episcopatus ibi erigitur, & Episcopali sede ibi posita populus,

&

& ecclesia à suo Episcopo regitur, & administratur. Prima fundationis species, loquendo de Vrbe Roma, tam D. Petro, quàm D. Paulo potest competere; vterque enim Romæ prima Euangelij semina iecit, vterque in perducenda Romana Vrbe ad Christi fidem laborauit, quamuis prior Petrus tantum opus aggressus fuerit, & ideò in hunc sensum vterque Romanæ ecclesiæ fundator dici potest, & in hunc ipsum Patres loquuntur, qui Petrum, & Paulum æquales in Romanæ ecclesiæ fundatione dicunt, vt *Ireneus*, Lib. 3. c. 3. *Fundantes* (ait,) *& instruentes Beati Apostoli ecclesiam &c.* In hunc sensum Romani Pontifices Petrum, & Paulum Romanæ Ecclesiæ auctores agnoscunt, diplomata, & Bullas vtriusque nomine condunt, sanctiones vtriusque nomine muniunt, sigillum sub vtriusque vultu affigunt, & in omni Pontificali munere Petrum, & Paulum coniungunt, nec vnquam in offitijs separant, quia scilicet hosce duos Romanæ Ecclesiæ per prædicationem, doctrinam, & labores, adde & martyrium, auctores contestantur gloriantes. At secunda fundationis specie solus Petrus Romanæ Ecclesiæ fundator extitit, quia ipse sibi Episcopalem cathedram erexit, solus vt Episcopus administrauit, & solus iure suo vniuersum christianum Orbem, totamq; ecclesiam indè rexit: cum tamen ex opposito Paulum Romæ Episcopum nunquam legamus, imò nec alicuius alterius certæ ecclesiæ; nullibi enim commemoratur ecclesia aliqua, cui singulariter Paulus, tanquàm Episcopus, præfuerit. Episcopum fuisse extra omne dubium est, Cap. 14. cum in actibus Apostolicis apertè habeamus Paulum, & Barnabam constituisse per singulas presbyteros, quod sanè Episcoporum est; dubitatur quidem inter auctores, quandò Paulus fuerit ordinatus, at in re ipsa omnes conueniunt, nec dissentit aliquis, quin fuerit Episcopus; nulli autem ecclesiæ, nulliue certo loco fuisse addictum iam satis probatum videtur, ex quo nullus locus assignatur; at suadet præsertim elogium, quod in ipsius Pauli vocatione, & electione ex Dei ore prodijt. *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel*, Act. c. 9. & vtcumque generalis potestas omnibus Apostolis sit tradita, Paulo tamen adhuc singulariùs fuit expressa; imò progressus vitæ ipsius Pauli testimonio Dei respondet, nam præ cęteris Apostolis peragrauit, plures omnibus fundauit ecclesias, & vt inter alios Apostolos, sorte diuisæ sint prouinciæ, Paulus nullam certam obtinuit, sed semper in motu, semper in itinere fuit, & inde Apostoli nomen per excellentiam est adeptus, quod scilicet dignitas apostolatus magis, quàm episcopatus in eo præluceret; ipseq; curam suam indefinitam contestatur dum scribit. *Instantia mea quotidiana solicitudo omnium ecclesiarum*, 2. Ad Corinth. c. 11. quamuis esset Episcopus, apostolatum tamen magis exercuit, cuius generalitas singularitatem Episcopatus respectu certi loci impediuit, licèt munus episcopale vbique extraordinariè cum apostolatu exercuerit; ex qua consideratione facilè soluitur quæstio, an Paulus Romæ fuerit Episcopus, ad quam nos traxit obiectio successionis Summorum Pontificum non solùm Petro, sed

etiam

etiam Paulo; nam functum Paulum munere illo Episcopi, quod extraordinariè à quolibet Apostolo vbique poterat exerceri, indubium est, nec potest negari: at fuisse ità Episcopum Romæ, vt ibi veram, & propriam sedem habuerit, hoc negandum omninò, & consequenter nec succedere Summum Pontificem Diu. Paulo asserendum; exercuit Episcopalem auctoritatem Romæ, quatenus in fundanda ecclesia in Vrbe, quæ erat caput Orbis, necessitas exposcebat, at non fuit Episcopus eiusdem Vbis, sed fuit solus Petrus, cui & succeditur tanquam ordinario pastori. Ex qua ponderatione concidunt omnia, quæ pro Pauli episcopatu afferuntur, & præcipuè quod obijcitur, Paulum æquè dici Principem Apostolorum, ac Petrum; nam dicuntur æquè principes, non ratione tamen eadem; Petrus enim dicitur princeps Apostolorum ordinarius tanquam pastor ratione potestatis, & iurisdictionis, Paulus verò, quia munus apostolicum excellentissimè exercuit, & notabile est, quod Petrus, & Paulus dicuntur simul principes, at non separatim; imò in titulo separatim omninò distinguuntur, nam si dicas simpliciter, ac nomines *Principem Apostolorum*, nemo intelliget Paulum, sed Petrum, cum verò dixeris simpliciter *Apostolum* intelliget Paulum, quasi in eo, & verè, apostolatus prærogatiua prævaluerit, tum quia nulli fuerit affixus sedi sicuti apostolatus ipse generaliter ferebat, tum etiam quia in explicando apostolatus munere, missionum amplitudine omnem alium excelluit: communicatur autem vtrique coniunctim principatus nomen, quia in ecclesia Romana fundanda, quæ est caput omnium ecclesiarum, ambo æquè laborarunt, vnde æquè principes dicuntur, qui pares, & æquales partes in erigenda omnium principe Ecclesia habuerunt.

Quod autem in imaginibus pingatur à dextris Paulus, & Petrus à sinistris, solidum argumentum maioritatis non præbet, neque episcopatui, aut primatui Petri quid vel minimum adimit; non enim primò fuisse perpetuum, vt Paulus semper à dextris Petri collocaretur in antiquis imaginibus, obseruat *Bellarminus*, & si Paulo dextera datur in diplomatibus, in nunismatibus datur sinistra, vt ex hac varietate se habere duos hosce Apostolos, vt excedens, & excessum indicaretur, & si Petrus potestate, & iurisdictione preualet, & Paulus sapientia excellit, vt elegantissimè *S. Leo*, postquam præmisit duos hosce Apostolos esse mystici corporis geminos oculos, subdit, *De quorum meritis, atque virtutibus nihil diuersum, nihil debemus sentire discretum, quia illos, & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales*. Meritò igitur in situs prærogatiua quòad ipsorum imagines variatum, vt salua primatus præeminentia in Petro, in reliquis emicaret çqualitas. Secundò quia dexteræ datæ imagini Pauli variæ afferuntur, & excogitantur rationes: quando enim duo simul incedebant, quorum alter & senior, & dignior esset, hic ad læuam illius ambulabat, & aliquantulùm præcedebat, iuniore subsequente in obsequij, & cultus argumentum. Vnde & tegere latus dicebatur; secundùm quam obseruationem efficitur, vt latus læuum esset dignius, atque nobilius; licèt hanc opinionem, & aucto-

Lib. 1. de Rom. Pont. c. 27.

Serm. 1. in natali Apostol.

Lib. 2. elect. c. 2.

auctoritatibus, & rationibus suffultam improbauerit Lipsius; secundùm ipsam rationabile est cæpisse depingi Paulum tanquam iuniorem, & minorem ad dexteram Petri, ac eadem ratione cœpisse & in diplomatibus ad dexteram eius poni, vt eum tegat, & præcedat in argumentum obsequij in Paulo, & dignitatis in Petro, subinde creditum hoc esse in honorem Pauli, vnde factum, vt cæperit pingi honoris causa ad dexteram Petri, nam videmus in omnibus alijs Petrum Paulo præferri, sicq; quod erat obsequium, à pingentibus factus est honor; nec immeritus quidem; primò quia plus Petro videtur ipse profuisse ecclesiæ, plures enim ex gentibus ad ecclesiam perduxit; secundò plures prouincias peragrauit, & tertiò plura scripta, eaque vtilissima reliquit, ideòque nil mirum, si honoris hoc exiguum in concursu Petri ei tribuatur, & eò rationabiliùs, quo Petrus Romæ est Episcopus ordinarius, sedemque fixam habet, & in diœcesi sua locum, & latus dexterum præbet Paulo extraordinario legato, at certè de eadem ecclesia optimè merito, vt quod non habet ex sede, consequatur ex præcedentia; non consideramus rationem illam, quod si in bullis signatis Paulus est dexter, in sigillo ferreo, quo fit impresio, est sinister, hæc enim leuior videtur, quàm vt sit in ea sistendum. Cum igitur tot habeamus rationes huius prælationis Pauli respectu Petri nihil imminutum de eius primatu dici potest, nec inferri, quod ipse vnus, & solus non fuerit Romæ Episcopus, cui à Summo Pontifice Romano, & in episcopatu, & in pontificatu vniuersali succedatur, sicque monarchicum regimen à Christo Domino institutum ab ipso sustineatur.

Et de hac Apostolorũ comparatione doctissimè, ameratiõe(?) differit P. Macedo de clauib. Petri lib. 1. c. 1

Ex eo itaque quod Romana ecclesia fuerit sedes, & cathedra Petri, qui & in ea vitam terminarit, cum sit factum, quod Episcopus Romanus non solùm in Episcopali sede, sed & in Pontificatu vniuersali totius ecclesiæ succedat, ecclesia ipsa Romana eò sublimitatis est euecta, vt caput, & mater omnium ecclesiarum & dicatur, & sit; planè consequenter ad hucusque præmissa, & probata. Si enim Romanus Pontifex ob potestatem à Deo in totam ecclesiam acceptam Pater, & Caput ecclesiæ vniuersæ & creditur, & est, iam decuit, vt Romana ecclesia tanquam sponsa fulgens radijs, & honore viri, ac sponsi, ijsdemque gaudens titulis ecclesiarum etiam omnium Mater, & Regina vocetur; hucque collimasse prudenter Petrum nactum à Christo totius ecclesiæ principatum facilè potest suaderi, si initia, si progressum ecclesiarum per ipsum erectarum breui ex cursu ponderemus. Petrus igitur vniuersum Orbem sibi tanquam gregem pascendum creditum cernens ecclesiasticam iurisdictionem, & administrationem disponere necessariũ nouit, vt quisq; statutos sibi agnosceret fines, & inuidiosa impediretur confusio, quæ facilè nimis erumperet. Terram ergo vniuersam mente lustrans & diuisam in tres partes intuens Europam, Asiam, & Aphricam, in qualibet parte eminere Vrbem aliarum magistram obseruauit, Romam, Alexandriam, Antiochiam, quarum prima totius Orbis tunc regebat habenas, aliæ verò duæ populi numero, ac pomærij amplitudine vix concedebant, vt testatur *Iosephus*, & *Theo-*

Lib. 5. de Bello Iud. c. 14.

Theodoret. Hist: lib. 1. cap. 1. & *Theodoretus*. Statuit itaque Petrus supremam sedem suam ita partiri, vt in singulis hisce Vrbibus fulgeret, idque ad summam totius christianæ reipublicæ vtilitatem. Romę ideò, & Antiochiæ ipse sedem fixit Alexandriæ verò per Marcum discipulum, Vicarium, & legatum suum; adeò, vt non tam ipse fundator sedis, quàm Petrus censeretur, sedesque ipsa Antiochenæ præiret, & consilium firmauit, ac probauit euentus; Alexandria enim post Romam omnium nobilissima habebatur, ac Antiochia ipsam amplitudine excellebat, sicque in tripartita Orbis diuisione tripartita ecclesiastica administratio emicuit, Antiocheno enim Præsuli subiecta fuit Asia, Alexandrino Aphrica, & Europa Romano. Verùm ad ecclesiæ vnitatem, quam cum primis spectandam Petrus nouerat, caput fuit statuendum, quod tanquam totius regiminis, & auctoritatis apicem, reliquæ ecclesiæ suspicerent, hicque Pontifex Romanus fuit, iusta sanè ratione, vt quæ Vrbs magistra erat erroris, cultrix fieret veritatis, Idolatriæ sedes, thronus veri Diuini cultus, caput Ethnici Orbis, apex Orbis christiani, *& latius præsideret* (vt inquit *S. Leo Magnus*) *religione diuina, quàm dominatione terrena*, sicque fieret, vt sicut diecęsani vniuntur in Episcopo, Episcopi in Metropolita, Metropolitæ in Patriarca, sic Patriarcharum ternarium in vnitate Summi Pontificis, terminaretur, ad quod culmen Romanum Episcopum Petrus euexit Patriarcharum patrem, & Principem præficiens, vt in Romana sede in trinitate vnitas, & in vnitate emicaret trinitas; hanc in sedium trinitate vnitatem firmant, & agnoscunt SS. Patres, at vnus omnium instar *Gregorius*, *Quum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est; ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est, ipse decorauit sedem, in quam Euangelistam discipulum misit, ipse firmauit sedem, in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit; quum ergo vnius, atque vna sit sedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc Episcopi præsident, quidquid de vobis boni audio mihi imputo*. Meritò ait *Gregorius auctoritate Diuina*, quando directus D. Petrus ad Romanam sedem à Christo Domino, non humano commento, sed Deo ipso auctore Romana Ecclesia primatum in omnes alias fœliciter est adepta. Iam itaq; fontes Romanæ auctoritatis supra cœteras ecclesias facilè intueri, ac recensere licet. Primus, idemque cęteris principalior est ipse Christus Dominus, qui Petrum suprema Pontificali auctoritate decorauit, voluitque eundem ad Romanam sedem conferre ecclesiam, vt suas ei dotes, ac prærogatiuas impertiret. Fons secundus est ipse Petrus, qui adeptus ab eodem Christo Domino in vniuersam ecclesiam imperium hanc Supremi prærogatiuam Romanæ ecclesiæ ità communicauit tanquam sponsæ suæ, vt sicut ipse omnium fidelium Pater dicitur, & ipsa omnium ecclesiarum mater credatur, tanquam sponsa vocata in communicationem totius Diuini, & humani iuris. Duæ ergo causæ magnitudinis, & celsitudinis Romanæ ecclesiæ

Serm. 1. in natali Apo. in princip.

Lib. 6. epist. 37.

ecclesiæ Christus, & Petrus, quæ vtcumque non excludant, sed secum patiantur rationes alias, quas aduersantium liberalitas largitur, vt sunt, fœcunda ecclesiarum proles, Vrbis potentia, & magnitudo, conseruatio puræ, & Apostolicæ doctrinæ, sed per aliquod tempus, vt ipsi delirantes volunt, fidelium tutela ab hæreticorum persecutionibus, hospitalitas insignis, & demùm secularis principatus ex largientium Imperatorum pietate adeptus, at causæ istæ constitutiuæ non sunt, imò duabus illis exclusis, omninò nullæ; iure igitur Diuino data vni Romanæ sedi, & Vrbi *exors quædam* (vt inquit Hieronymus aduersus Luciferianos) *& ab omnibus eminens potestas*, qua omnium ecclesiarum mater, & magistra iustissimè nuncupatur, imò & vniuersalis nomine donatur; epitheton, quod ab influxu capitis in reliqua membra non vna ratione aptatur; sed cum moderamine, & sensu illo, quo hunc ipsum vniuersalis titulum Summi Pontificis discretio non respuit; iure (inquam) Diuino, idq; egregiè confirmat Constantini Imperatoris assertio in edicto suæ donationis, quod quamuis suspectum habeat Baronius tanquam à schismaticis confictum, attamen ab hac nota vindicauere alij auctores grauissimi, sunt enim Constantini verba sedem Imperij in Orientem transferentis. *Quoniam vbi principatus Sacerdotum, & christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem*; Pudeat igitur illos, qui tantam celsitudinem Romanæ ecclesiæ toruè intuentes aliundè, quàm à Christi, & Petri fonte ipsam deriuant, aut impudenter negando in totum nituntur ipsam adimere, cauillantes primò.

5 Quod ecclesia Romana sit vna particularis ecclesia sicut & alia quælibet, vnde & prisci illi Romani Pontifices veluti in simpliciori æuo se etiam simpliciter Romanos Episcopos nominarunt, sicut & antiqui Patres, ac vetusta Concilia Romanum Episcopum non alia prærogatiua, alioue ampliori titulo designarunt, quàm Episcopi Romani; sicut etiam Liberius Pontifex ad Athanasium scribens Episcopatum suùm episcopatum Vrbis Romæ appellat. Atqui mera cauillatio hæc est seiungere contendens Summum Pontificatum à Romana sede, cum tamen ijdem vnitus, vt semper fuit, & nunc (an separabiliter non inquirimus modò) operetur, vt imò eo ipso, quo Romanum Episcopum & legimus, & dicimus Pontificem Summum & intelligamus, & designemus. In hunc sensum scripsit & Liberius, nec aliunde repetendum testimonium mentis suæ, quàm ex primis Epistolæ verbis, in quæ scribit; *Olim, & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem pro vniuersali ecclesia*. Episcopi Romani appellatione quanta venerit semper amplitudo nemo ignorat, & attestatur Prætextatus ille, qui D. Hieronymo teste ludens dicebat; *Facite me Vrbis Romæ Episcopum, & ero protinus christianus*. Solam Romanam Diœcœsim certè sic loquens non concipiebat, at maximam illam sibi augurabatur potestatem, quam in Romano Episcopo intuebatur, etiam Tom. 1. epist. Decretal. Sum. Pont. p. 1. pag. 113

etiam extra fines Orbis Romani, quidquid de opibus fortasse imaginaretur. Itaque quicumque siue Patres, siue Concilia Pontificem Summum Romæ Episcopum appellarunt, non per hoc exclusisse Summum Pontificatum credendum vllo modo est, at potius eo nomine summum ipsum Pontificem semper indigitasse. Verùm vbi Romanæ sedis amplitudinem dissimulare non possunt, causam saltem tantæ præeminentiæ obscurare, ac velare nituntur asserentes, Romanæ Vrbis temporalem dignitatem, ac Imperij in ea residentis magnitudinem plurimùm inseruijsse diuina iuuante prouidentia, & effecisse, vt Romana ecclesia tantò faciliùs, tantòque latiùs Christi fidem extenderet, & fecundior prole mater fieret magna, & magna magistra filiorum. Vrbis magnitudini addunt & Imperatorum potentiam, quorum auctoritate ecclesia supra alias sese extulerit. Aduocatur Baronius ad partes, qui causam inquirens, cur Alexandrina ecclesia, vtcumque erectione posterior, attamen præferatur Antiochenæ, in ea verba ipsam reddit. *In primis illud* (exemplum scilicet) *haud longè petitum de sede Antiochena, quæ quantumlibet à Petro ante Alexandrinam fuerit instituta, tamen quoniam præfectura Alexandrina Augustalis dicta ab Augusto eo nomine insignita, magnificentissimè præ cæteris ab eodem fuerat nobilitata, longè præstabat Syriæ præfecturæ: ea de causa factum apparet, vt quamuis sedes Antiochena ante Alexandrinam à Marco nomine Petri erectam fuerit instituta, tamen illi postposita habeatur. Sic etiam quoniam inter omnes Orien-* [Annal. to. 1 anno 39.] *tales Syriæ proconsulatus præstabat, cum eius prouinciæ Metropolis esset Antiochia, inde etiam accidit, vt prima omnium Antiochena ecclesia haberetur &c.* Moxque comparat ipsam cum Hierosolymitana, & hanc ob res in ea peractas alioqui præferendam, & origine vetustiorem, attamen eadem causa fatetur postpositam. Et quis ergo neget conscendisse Romanam ecclesiam supra omnes alias ob gradum sibi factum ab Imperij sede, ab Vrbis dominio in reliquas, & ab ipso Orbis Imperio? Vnde sit facta ecclesiarum mater Romana ecclesia tanquam à causa formali, & constitatiua, iam ostensum, Christo scilicet, & Petro; cum duabus hisce subalternis causis, quæ demùm sunt vna, concurrisse, & alias rationes verè congruas nec ambigimus, nec excludimus; vnde congruum primò, & rationabile fuit, vt ibi collocaretur suprema ecclesiæ sedes, ac principatus supremus, vbi supremus sæculi Imperator thronum suum constituerat, & inde in totius Orbis ecclesias emineret potestas, vnde in totius Orbis regiones promanabant iura. Huc respiciunt decantata toties S. Prosperi Aquitanici Carmina.

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris [De ingratis]
Facta Caput Mundi quidquid non possidet armis
Religione tenet, &c.

Pulchrè *Sedes Petri facta caput Mundi*. Interpretetur quispiam hoc ideò sedi Petri tributum, quia ab ipsa, & Roma, in vniuersas Mundi partes sint diffusi pastores; at sic se exponi non patitur S. Prosper, qui eleganti paraphrasi carmina sua explicat. *Quamuis gratia* [Lib. 2. de vocat. gent. c. 6.] *Chri-*

Christiana non contenta sit eosdem limites habere, quos Roma, multosque iam populorum sceptro Crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit, quæ tamen per sacerdotij Apostolici principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis. Non ergo pastorum diffusio per totum Orbem, sed Apostolici sacerdotij Principatus Romanam sedem in caput Mundi euexit. Ab Hierusalem in vniuersas mundi plagas disseminatum fuit Euangelium, ab Hierusalem non Petrus tantùm, & Paulus, sed & omnes Apostoli in omnes terrarum partes missi, ab Hierusalem cępta tota ecclesiarum Christi propagatio, & tamen nunquam ipsi datum, vt ecclesiarum diceretur mater, vt audit Roma. Aliunde ergo & tantæ præeminentiæ alia ratio, & alia origo. Non Vrbis splendor, & magnitudo, non Imperialis potestas Romanam Ecclesiam euexit, sed Petri suprema sedes; profuerint illa, iuuerint, sed non euexerint, splendorem dederint, sed non auctoritatem. Nec patietur aliò se trahi accuratus Baronij zelus dum prælatam Alexandrinam Ecclesiam Antiochenæ scripsit ex sola Vrbis præstantia ob Augustalem præfecturam; occasionem siquidem illam agnoscit eius erigendæ ecclesiæ, cum alibi rationem, propterquam Alexandrina sit prima post Romanam, & Antiochenam præcedat, ipse tribuat Petri voluntati, & auctoritati; imò nec concludit Alexandrinæ exemplum, quando certantibus Alexandrina ecclesia, & Antiochena, vtraque à B. Petro erecta, & pari gaudente prerogatiua originis, Alexandrina ob Vrbis splendorem, & magistratus eminentiam præfertur; non enim euincitur inde ratio præcipua prælationis, quando ea consideratur ex suppositione erectionis à Petro factæ, qua circumscripta neutiquam debuisset Alexandrina ecclesia Antiochenæ præferri, imò nec vlla insurrexisset contentionis ratio. Non itaque Vrbis Romæ magnitudo Romanæ Ecclesiæ amplitudinem dedit, at potiùs amplitudinem recepisse Romanum Imperium, & Romanum nomen ab Apostolica sede, dicendum est, & latiùs fuisse propagatum religione, quàm legionibus; vtcumque enim caput Orbis Roma diceretur, attamen Orbis pars maxima Romanum dominatum adhuc nesciebat. Nunc verò quæ adeò est remota regio, quò Romanæ Pontificiæ sedis auctoritas non peruadat? sunt Reges, sunt principes penès quos nullus christianæ fidei cultus; sunt, qui suaue catholicæ religionis iugum excussere, & tamen in eorum regionibus sunt homines, qui Romano Pontifici parent, qui vitam priùs effundere sunt parati, quàm à Pontificiæ sedis cultu, & obedientia, vel minimùm recedere; sit ergo in Romanæ, & ecclesiæ, & sedis maiestate hæc verissima series; Christus fuit causa, & auctor instituendo, Petrus transfundendo, & transmittendo. Et quia non desunt, qui à Patribus ecclesiæ exaltationem Romanæ sedis, & Imperatorum priuilegijs, & principum velint, demus & patres, & principes ad tantum celsitudinis opus contribuisse, patres docendo, & celebrando, Imperatores, & principes custodiendo, & propugnando; dum tamen stent immutabiles, & inconcussi duo illi primordiales fontes, & causæ,

Tom. 1. Annal ann. 45 & 64.

causæ, Christus, à quo id habuit Romana Ecclesia, vt esset Orbis caput, & omnium Ecclesiarum mater, & magistra, attestante in ea verba Constantiensi Synodo, *Romana sedes instituente Domino caput est omnium ecclesiarum*; Petrus, à quo tanquam à visibili capite in ecclesiam tanquam in corpus omnis potestas transfunditur. Verùm hæc Romanæ sedis prærogatiua, qua caput, mater, & magistra omnium ecclesiarum laudatur, & colitur, impetitur adhuc telo, quod nouatorum contorsit inuida curiositas, eoque arctari, & constringi intra certos limites, & fines credunt Pontificiæ, & Romanæ sedis auctoritatem, & non extra illos, ac per totum orbem diffundi: telum est, in quo repellendo insudarunt celebriora huius æui ingenia, & planè dignum quod examinetur, & ponderetur, quàm graue sit, quàmque pungendo penetret. Is est Canon sextus magnæ Nicęnæ Synodi, cuius ea sunt verba, ex *tom. 1. Concil.*

CAP. III.

De Nicæni Canonis VI. intellectu. Excursus.

1 *Summa obiectionis ex Canone.*
2 *Canonis expositiones variæ.*
3 *Quatuor respectus in Romano Pontifice.*
4 *Ecclesię diuisio in Orientalem, & Occidentalem.*
5 *Verus Canonis intellectus.*
6 *Expositio alia non spernenda.*
7 *Interpretatio iuxta Rufini traductionem, & Anonymi expositio.*
8 *De voce* Suburbicaria, Vrbana, Vrbica, Vrbicaria.
10 *De Italica Diœcesi.*
11 *Suburbicaria dupliciter.*

1 ANONIS sexti ex Nicęno Concilio sunt ea verba ex vulgata editione in *tom. 1.* Conciliorum. *Antiqua consuetudo seruetur per Egyptum, Lybiam, & Pentapolim.* Vel, vt legit alia translatio. *Mos antiquus perdurat in Egypto, vel Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium potestatem habeat, quandoquidem & Episcopo Romano parilis mos est, similiter autem, & apud Antiochiam, cęterasque prouincias honor suus vnicuique seruetur ecclesiæ.* Totidem verbis legitur, & apud Gratianum *Canon. mos antiquus 65. dist.* & cum exigua verborum mutatione, sed eodem penitùs sensu, apud Balsamon. & Zonar. græcos Canonum interpretes. Sumpta ex hoc Canone obiectio exercuit eruditissima huius æui ingenia; sed auxit difficultatem *Ruffinus* presbyter, qui eundem Nicęnum Canonem sextum compendiosis, adeòque obscurioribus verbis retulit, addito etiam, quod altiori inquisitioni viam aperiret, & in profundiorem indaginem compelleret. Sunt ergo Ruffini verba. *Vt apud Alexandriam, & in Vrbe Roma vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Egypti, vel hic Suburbicarum ecclesiarum solicitudinem gerat.* Summa obiectionis ea est. Tantum abest, quod Nycenus iste *Hist. ecclef. lib. 1. c. 6. n. 6.* Ca-

Canon supponat, aut admittat Romanæ Ecclesiæ præ omnibus alijs præstantiam, & amplitudinem, aut Romani Pontificis auctoritatem, & potestatem toto Orbe diffusam, quod imò vtramque ad certos reuocat fines, certisque restringit, ac definit limitibus, non secus ac illa Antiocheni, & Alexandrini Patriarchæ certis definitur arctata, imò strictiùs angustat Ruffinus, dum surburbicarias ecclesias exprimit, quarum ambitum non liceat excedere. At ingenuè, & citra liuorem acceptus Canon, vel minimùm lædit Romanæ Ecclesiæ excellentiam, aut Pontificiæ auctoritatis illimitatam amplitudinem, ac proinde iuxta lecturam vtramque cum communem, tùm Ruffini ipsum expendemus, idque partitè, & distinctè; non est autem omittendum tanquam notabile; desiderari scilicet in vulgato Nycæno Canone verba nonnulla, quæ vim ingentem habent, & in ipsius Canonis germanum intellectum mirificè influunt. Lectus siquidem fuit hic ipse Canon in celebri Synodo generali Chalcedonensi, & in eius exordio pręmissa verba nonnulla, quorum defectus iustam mutiliationis suspicionem inijcit. Actione siquidem sexta Chalcedonensis Concilij sic legitur. *Paschasinus vir Reu. Episcopus Vicarius sedis Apostolicæ recitauit. Trecentorum decem, & octo Patrum Canon sextus. Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Moxque prosequitur. *Teneat autem Egyptus &c.*, quæ verba fuisse legitima ex duobus coniectari licet. Primò enim si de huiusmodi verbis exorta esset contentio Paschasinus cuius zelus, & accurata vigilantia, ex actis Concilij passim emicat, nec cessisset, nec acquieuisset; secundò credendum omninò est, verba illa Nicæno Canoni primitùs adfuisse, quando nouella Iustiniani apertè testatur, Chalcedonense Concilium primatum, ac principatum suum Romano Pontifici tribuisse. At quidquid sit de adiectis, aut deficientibus verbis.

2 Iam ad Canonis intellectum accedamus. Expositio prima est, quæ tribuitur *Nicolao I.* scribenti ad Michaelem Imperatorem. Alexandrinum scilicet Episcopum debere regere prouincias ibi descriptas, quia Romano Episcopo parilis mos est, hoc est, quia Romanus Episcopus ità consueuit, nempè quia Romanus Episcopus ante omnem Conciliorum definitionem consueuit permittere Episcopo Alexandrino regimen Aegypti, Lybiæ, & Pentapolis, siue consueuit per Episcopum Alexandrinum prouincias illas gubernare. Plura sanè sunt, quæ hanc expositionem turbent, & cui tanquam extortæ vix aures, necdum animus potest acquiescere; sed præsertim notabilis est variatio illa; Canon siquidem non vtitur hoc verbo *consueuit*, quod quidem intentioni aliqualiter alluderet, *sed parilis mos est*, quæ phrasis id intendit, vt idem gerat Romanus Episcopus, quod gerit, & Alexandrinus non circa easdem prouincias, sed quisque circa suas; neque enim vlla vigeret parilitas, aut similitudo, si Romanus Episcopus proponeretur tanquàm causa, qua Alexandrinus suum gereret regimen. Non ampliùs auditum, quod primigenij Patriarchæ illi Alexandrinus, & Antiochenus vices Summi Pontificis gererent, nec tam iure suo, quàm beneficio alieno, ac velu-

Epist. 1.

veluti præcario dignitatem illam tenuerint. Leo, & Gregorius æquè Magni, ac Sanctissimi Pontifices augustiùs de geminis hisce Patriarchis, & eorum maiestate & sentiunt, & loquuntur, quàm de Vicarijs Romanæ sedis, & Vicaria dignitate; apertè nimis assumit Canon tanquam exemplar, regulam, & normam Romanam sedem, super qua similitudinis relatio à Canone intenta fundetur, non autem tanquam principium, & causam, cum qua non adeò certa similitudinis, & parilitatis consistit relatio. Laudandus sic exponentium zelus, & sensus alius inquirendus, qui literæ magis aptetur; neque enim curamus, quid contra hanc Canonis expositionem excogitauerit liuor; certè ipsa Canonis condendi occasio, quàm describit *Baronius* profecta à Meletiano schismate satis confirmat, componi inuicem Romanam, & Alexandrinam sedem, neque hac de re ipse Canonis contextus nos sinit ambigere. vnam scilicet in alterius exemplum, non vt principium, aut causam assumi.

Tom.3.Annal. anno 325.

3 Ad adstruendum intellectum adæquatiorem, & euidentiorem quatuor respectus in Summo Romano Pontifice inuicem distincti sunt recensendi hierarchica serie dispositi. Alius enim est respectus, qui consurgit, prout Summus Pontifex est; alius prout Patriarcha; tertius vt Metropolita; quartus vt Episcopus. Pontificatum si excipias, qui supra omnem comparationem est, ac verè extra genus, in reliquis gradibus Summum Pontificem componere cum proportione potes apta similitudine. Patriarchatus, qui proximus est post Pontificatum gradus, æuo præsertim Nicænæ Synodi, quatuor præcipuis actionibus explicabatur; primò enim sibi subiectos Archiepiscopos, siue Metropolitas, & Episcopos aut ordinabat, aut confirmabat; secundò subiectarum sibi prouinciarum Synodos, & Concilia pro negotijs earum definiendis conuocabat; tertiò latæ sententiæ, siue à Metropolitis, siue à prouincialibus Synodis ad Patriarcham deuoluebantur; nihil enim poterat Metropolita in Metropolitanum, sed Patriarcharum fuit summa potestas, totaq; auctoritas, ijque gemini tunc post Romanum Pontificem; & demùm vices suas alicui Metropolitano, aut Episcopo Patriarcha nonnunquam committebat, tuncque is, cui creditæ vices, in prouincijs sibi iniunctis patriarchali munere fungebatur; & ideò in prouincijs Patriarchæ subiectis nil graue inconsulto eo licebat, indeque frequentes fiebant relationes, prout grauia sese offerrent negotia, per Epistolas Patriarchæ, & præcipuè in Occidente Romano Pontifici, quamuis & sublimiori nomine ei possent relationes fieri, imò & debeant factæ præsumi.

4 Nec ab re erit hìc addere notandum, vel in ipso Nicænæ Synodi primordio vniuersam ecclesiam, tanquam corpus quodam, fuisse diuisam in Orientalem, & Occidentalem, quæ regiones, vt situ Orbis diuisæ erant, ità emergentia negotia distinguebant, vt nefas esset ex inolita consuetudine ea confundere, ac Orientalia Occidentalibus, & Occidentalia Orientalibus admiscere. Frequentissima est huius diuisionis obseruatio in Epistolis Summorum Pontificum Liberij, Damasi, Siricij, Innocentij, & apud ecclesiasticos scri-

scriptores; at celebris est confirmatio ex Concilio Aquileiensi, quod ex solis Occidentalibus Episcopis constabat, qui Imperatoris iussu eò conuenerant. Cum enim Palladius Episcopus Arianæ hæreseos postulatus recusaret iudicari in eo Concilio, quod plenum non esset, ex quo non aderant Orientales Episcopi, subterfugienti respondet Ambrosius. *Quia superioribus temporibus Concilium sic factum est, vt Orientales in Orientis partibus constituti haberent Concilium; Occidentales in Occidente, nos in Occidentis partibus constituti conuenimus ad Aquileiensem Ciuitatem iuxta Imperatoris præceptum: denique etiam Præfectus Italiæ literas dedit, vt si vellent conuenire in potestate haberent; sed quia scierunt consuetudinem huiusmodi, vt in Oriente Orientalium esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium, ideò putauerunt non esse veniendum &c.* Diuisus igitur ecclesiasticus Orbis in eas partes debuit regi, & administrari, idq; factum à tribus Patriarchis; Antiochenus enim præfuit Orienti, at non toti, sed pressius sumpto ità, vt quindecim tantùm prouincias contineret. Nouem Prouinciæ suberant Alexandrino, qui Aegypto præerat. Occidentalis verò vniuersus tractus non alium habuit Patriarcham, quàm Romanum Pontificem, qui cęteris Patriarchis, & in eò maior, quòd sibi credita portio omnibus alijs esset amplior, atque diffusior: hunc Patriarchatum asseruit Romano Pontifici Concilium Chalcedonense, dum Leonem Summum Pontificem *Patriarcham veteris & magnæ Romæ* pronunciauit, nec negare ausi schismatici, ham Theod. Balsam. [margin: Act. 3]

ad hunc ipsum Nicænum Canonem ait: *Romanus Episcopus præest Occidentalibus prouincijs*; sed tamen non exclusa adhuc sublimioris gradus prærogatiua; vt omittamus *Hadrianum Papam. 1. Epistola sua*, *Nicolaum I.* pariter iure suo Patriarchali prouincias auulsas à Bizantino Episcopo vindicantes; Hadrianum secundum Bulgariam similiter repetentem, quæ causa in Octaua Synodo examinata fuit tunc, cum Ignatius Sanctus Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsidebat, & Photius erat pęnitens, vnde Orientalis ecclesia Summum Pontificem tanquam caput totius ecclesiæ obseruabat; sicque non de Pontificio iure (de quo nulla poterat esse controuersia) sed de Patriarchico disquisitio erat, in quo per varia tempora varia passus est detrimenta, prout successiuè actuus est ambitus Constantinopolitani Patriarchæ. In Patriarchatu hoc suo Vicarios habuit Romanus Episcopus plures, qui de causis maioribus vice sacra iudicarent. At verò vtcumq; vterentur Summi Pontifices in totum Occidentem Patriarchico hoc iure, non tamen ipsum regebant hoc ipso nomine, & titulo, quem Summi Pontificatus augusta maiestas obumbrabat; Apostolicæ sedis sublimi titulo auctoritatem suam decorabant, factaque à sublimiori, & excellentiori denominatione omnes gradus eminenter in eo contentos hoc vno titulo expressisse credebant; sic enim D. Gregorius agnoscens Summi Pontificatus culmen omnia sibi subiecta intueri, nec minùs Orienti, quàm Occidenti pręesse, & in vtrumque patem se gerere potestatem Patriarchæ titulo nunquam fuit vsus, quamuis in Occiden-

[margin: Tom. 11. Ep. Decr. Epist. 3. To. 3. Ep. 2.]
[margin: Ep. 78. 79.]

dentales Diœceses Patriarchico iure se vti optimè sciret; quod ipsum obseruauit, & *Innoc. III. in cap. graue. de præbend. & dignit.* semper enim ac de quatuor Patriarchis loquitur ità commemorat, vt Romanam sedem ab ipsis separet tanquam supremam, imò Patriarchas ipsos serie ordinata disponens eandem Apostolicam sedem ab ea serie exemptam supponit tanquam omnem ordinem supergredientem, & à qua, tanquam à capite, pendeat omnis ordo.

5 Quæ sic præmissa planè genuinum, ac facilem admouent Niceni Canonis sexti intellectum, & explicationem. Aduocatur igitur in exemplum, ac velut mensura, & regula Romanus Episcopus, ad cuius amussim reliquorum Patriarcharum dirigatur auctoritas. Comparatio fit inter Romanum Episcopum, & Alexandrinum Patriarcham, at non quà Romanus Episcopus Summus Pontifex est, sic enim supra genus est, & nemo cum eo potest componi; sed quà Patriarcha est Occidentis, cuius, & alterius cuiuscumque Patriarchatus, quæ sint munera iam supra ad quatuor recensuimus, inter quæ præcipua Episcoporum sibi subditorum ordinatio, quæ ex facto Meletij schismatici occasionem sexto Nicæno Canoni tribuerat; Meletius enim Lycopolis Episcopus, qui schisma in Aegyptum inuexerat Arianis adhærens, & factionem suam augere studens per Episcoporum, ac aliorum inferiorum graduum ordinationes, cui fraudi, vt occurreret Alexander Episcopus Alexandrinus, petijt sibi dari à Meletio indiculum omnium, quos ordinasset, *ne mendacio quotidie* (inquit *Athanasius*) *nouos* *tanquam à se creatos subijceret*, ideò opportunè tunc editus Nicænus Canon sextus, quo ad dirigenda Antiocheni, & Alexandrini Patriarchatus iura statutum, vt quemadmodum Episcopus Romanus, qui & Patriarcha occidentis est, omnes sui Patriarchatus Episcopos consecrat, & confirmat, Concilia conuocat, de Metropolitarum, Synodorúq; prouincialium sententijs iudicat, vices suas pro occurrentibus negotijs committit, nihilque nouum, aut arduum Occidentales Episcopi aggrediuntur eo incunsulto, ita mos ille antiquus seruetur, quo neque Asiatici, vel Aegyptij Episcopi aut ordinentur, aut graue quidpiam audeant inconsulto Patriarcha suo, Paraphrasis hæc est ipsius Canonis, quæ non minùs adæquatè, nilque immutato sensu, ità potest contrahi: quam habet Episcopus Romanus potestatem vt Patriarcha in prouincias Patriarchatus sui, eandem habant in Patriarchatu suo Alexandrinus, & Antiochenus Episcopus, idemque omninò seruent. Quid igitur imminutum de Summi Pontificatus amplitudine, aut de celsitudine demptum per Canonem sic ex historia intellectum? exemplum fas sit addere. Consideremus hominem, cuius anima sensitiuam, ac vegetatiuam habet potentiam, quæ tamen in brutis, & plantis, respectiuè, sunt animæ propriæ; sæpiùs sanè instituitur comparatio inter hominem, & bruta, qua parte sensitiua potentia vtrique communis est. Non tamen per hoc dixeris, hominem bruto æqualem, nec sensitiuæ animæ operationes excedere, quia quoad sensus pares vtrobique intueamur operationes; eminet nihi-

Apolog. 2.

lòminus, imperat, ac dominatur intellectus, quamuis nihil sit in sublunaribus, quod cum eo possit componi, & comparatio semper non supra genus, sed intra genus est. Qua expositione nulla videtur adæquatior, & literæ Canonis, & occasioni eius condendi magis arridens.

6 Nec tamen omittenda expositio alia; ait *Canon: antiqui mores obtineant; qui sunt in Aegypto, Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, nam ea quoque est Romano Episcopo consuetudo*; hoc voluere Nicæni Patres, & perinde ac si dicant, id feruetur in vniuersa Alexandrina Diœcesi, quod ex antiqua consuetudine inductum est, id probetur, quod ex vetere vsu in ecclesia inualuit; apposita, nec improbanda expositio; sed vt minùs historica, ità & minùs literalis, ac fortasse nimis remota. Ademisset difficultatem redditus iam Canonis intellectus, nisi augeret adhuc Ruffini translatio, siue traductio eiusdem Nicæni Canonis, quæ & excitauit, & torsit præclara ingenia, quorum zelus, & ardens cura in obiectione soluenda ab ea traductione desumpta maius pondus eidem addidit, ac telum magis fortasse acuit. Verba Ruffini subdamus iterum, quæ sunt ex *Lib. 10. hist. eccles. capit. 6. num. 6. Vt apud Alexandriam, & in Vrbe Roma vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum solicitudinem gerat*.

7 Hactenus Ruffinus. Quæ quidem, si translatio est Nicæni Canonis, infidelis est, nec exemplari proliè respondens. Si explicatio, plausibilis non est, vel si superficiem inspicias, & ideò variè de Ruffino iudicatum, & per censuram itum ad extrema. Auxit difficultatem circa hunc Canonem Anonymi cuiusdam explicatio, qui suburbicarias Ruffini ecclesias eas intellexit, quæ essent in suburbicarijs regionibus, & per suburbicarias regiones totum illum tractum accepit, qui sub iurisdictione Præfecti Vrbis continebatur, quæ non vltra centesimum ab Vrbe lapidem protendebatur; robur assertioni suæ mutuatus ex *l. Manichæos 62. C. Theodos. de hæret.* qua Theodos., & Valentinian. Cæss. abigendos quoslibet hæreticos statuunt ab aspectu Vrbis Romæ, & expellendos vsque ad centesimum lapidem, qui erat limes iurisdictionis Præfecti Vrbis, addens ex Optato Mileuitano, & Hieronymo de Donatistis Aphrica expulsis, sancitam schismaticorum pœnam, vt pellerentur extra terminos diœcesis sui Episcopi, à cuius communione excidissent, eòque demum hæc omnia tendunt, vt arctetur Pontificis Romani iurisdictio ad centesimum ab Vrbe lapidem, ijque sint fines, is ambitus eius diœcesis. Inde excitata inquisitio circa suburbicarius regiones quænam essent; quæue ecclesiæ suburbicariæ, quid ea *Suburbicarij* voce voluerit sibi Ruffinus, indeque censorum varia de eo prodiere iudicia. Alij fidem eius eleuant, & auctoritatem ipsius insuper habentes, non tanti facienda eius dicta admonent; alij obscurè, imò & malè locutum carpunt; alij demùm ab eloquio laudant, & à prudentia, & varia huius vocis (*Suburbicaria*) acceptio, varia hæc

hæc de Ruffino promouit iudicia.

8 Synonymę sunt voces *Suburbanum*, *Suburbicum*, *Suburbicarium*, *Suburbicanum*, & singulæ cum respectu ad Vrbem, itàvt quæcumque Vrbi vicina sunt, atque subiecta, eadem adlusione hisce significentur terminis, qui tamen omnes differunt à vocibus *Vrbana*, *Vrbica*, *Vrbicaria*, quæ latiùs patent, & indicant id, quod quoquo modo ad Vrbem refertur, indeque discrimen inter Vrbicarias, & suburbicarias prouincias, illæ namque has continent, non item hæ illas, & Vrbicariæ fuere multò plures suburbicarijs; quod vt innotescat, obseruabimus, diecęsim Italiæ Præfecto Prætorij Italiæ subiectam à Constantino Magno in duas partes fuisse diuisam, duobusque assignatam Vicarijs, qui eam regerent.

9 Pars prima dicta est Italia, sicque Italia in Italiam diuisa, vniuersalior in magis specialem, & tota in partem connominem, eaque septem complexa prouincias; Venetiam, Istriam, Aemiliam, Liguriam, Flaminiam, & Picenum annonarium, Alpes Cotias, Rhetiam primam, Rhetiam secundam, & Vicarius Præfecti Prætorio eas regens dictus Vicarius Italiæ, sed specialis, ad differentiam alterius Vicarij Italiæ, & Vicarius iste specialis Mediolani residebat. Altera pars Italiæ decem constabat prouincijs, quæ erant, Campania, Tuscia, Vmbria, Picenum Suburbicarium, Sicilia, Apulia, Calabria, Brutij, & Lucania, Samnium, Sardinia, Corsica, Valeria; huic portioni Italiæ præerat Vicarius Vrbis, & prouinciæ ipsi subiectæ, vt distinguerentur à prouincijs Italiæ specialis ex eo, quod subessent Vicario Vrbis prouincię Vrbicariæ dicebantur, & ex tunc prodijt in vsum hæc vox *Vrbicaria* diuersa à voce parùm dissimili *Vrbana*; quæ enim ad Vrbem, aut Vrbanos Magistratus spectabant Vrbana dicebantur, nusquam Vrbicaria, quæ vox excogitata fuit tunc, cum assignatæ Vicario Vrbis prouinciæ, ne facilè confunderetur alterutrius vocis acceptio; quo nomine factum, vt cum prouinciæ, quæ cis Rubiconem erant, non prouinciæ, sed regiones dicerentur, si Vrbanæ appellatæ essent, potuissent facilè confundi cum quatuordecim regionibus Vrbis, (prouinciæ siquidem nomen erat omninò insuetum in Italia adeò, vt ius Italicum iuri prouinciali opponeretur) ideò non Vrbanæ regiones, sed Vrbicariæ dicebantur. *l.* 1. *C. Theod. de Calcis Coctor. & ibi Gothofred.* Ex hoc Vrbicariarum prouinciarum nomine manauit & appellatio Suburbicariarum siue Suburbanarum regionum, sic enim appellantur in *l.* 13. *C. Theod. de accusat.* quæ quidem, vbi de administratione Præfecti Vrbis agitur, alię non erant, nisi quæ intra centesimum lapidem continebantur, qui erant fines iurisdictionis eiusdem Præfecti Vrbis. Quod tamen non ità absolutè accipiendum, vt audita Suburbicaria regione continuò credatur esse intra centesimum lapidem, nam & extra hos limites erat, Tuscia Suburbicaria, & Suburbicarium Picenum, quæ vtraque erat extra centesimum lapidem saltem quòad aliquam sui partem, eo nomine tamen dictæ, vt à Piceno, & Tuscia annonarijs distinguerentur; hæc autem nomina Vrbicarij, & Suburbicarij ità disponuntur, vt vnum alterum

Notitia Imperij Occid. c. 57.

Notitia Imperij Occid. c. 48.

rum contineat tamquam magis vniuersale, minus vniuersale; Vrbicariæ enim continebant Suburbicarias, at non hæ illas; vnde sub Præfecto Vrbis sunt tantùm Suburbicariæ, at sub Vicario & Suburbicariæ ipsæ, & Vrbicariæ tanquam eas complectentes, sicque Tuscia inter Auctores limitum & Vrbicaria dicitur, & Suburbicaria tanquam species sub genere, nisi fortè mendosè legatur Vrbicaria pro Suburbicaria. Vt autem ab his præmissis ad Ruffini mentem propriùs accedamus, hoc suburbicarij nomen pro diuerso respectu potest & latiùs sumi, & pressiùs: Vrbs enim, cuius respectu suburbicarium dicitur, per excellentiam Romam significat,& cum hac relatione in sublimiori significatu Suburbicarium dicemus, quod Romæ sub est, ad quam respiciendo diuersimodè ecclesiæ possunt conferri; vnde distinguemus Paræciam, prouinciam, diœcesim, & Patriarchicum Orbem; Orbis namque absolutè sumptus, cui par est Summus Pontifex, Suburbicarij nomine venire non potest. Igitur quatuor gradibus possunt Patriarchæ comparari cum Summo Pontifice in episcopatu, Metropoli, Primatu, & Patriarchatu, quibus respondent Paræcia, Prouincia, Diœcesis, Orbis patriarchicus, & secundùm quatuor hosce gradus potest Alexandrinus Patriarcha cum Romano Pontifice comparari; nam Pontificatus Summus supra omnes istos gradus est, nec cum alio quocumque comparabilis, & secundùm hanc ipsam comparationem Ruffini intentionem, & venabimur, & adaptabimus. Si ergo Ruffinus Aegyptum pressiùs sumptam, quæ dicitur Delta Magnum, siue Aegyptus inferior, vel Aegyptus absolutè, quæ tres prouincias continebat Aegyptum scilicet ipsam, Thebaidem, Lybiam, contulit cum Romana prouincia, congruit adæquatè collatio: sicut enim Pontifex Suburbicarias ecclesias, & specialem prouinciam regit, ità Alexandrinus Aegyptum inferiorem, qui Alexandriæ prouinciam continebat, & per hanc collationem nihil deteritur de Romani Pontificis amplitudine, neque per Romanam prouinciam credi debet pars illa, quæ Præfecto Vrbis est subiecta, & intra centesimum lapidem continebatur, ac Suburbicarias regiones inuoluebat pressè, & strictè sumptas; sic enim Romana prouincia esset qualibet alia angustior, cum tamen fuerit longè diffusior. Successiuè considerando potest Aegyptus ampliari, & semper fieri comparatio cum Romano Pontifice singula singulis congruè referendo, prouinciam scilicet cum prouincia, patriarchatum cum patriarchatu, non autem patriarchatum cum prouincia, vel prouinciam cum diœcesi. Sed demùm potest fieri comparatio iuxta Ruffini intentionem inter Aegyptum latissimè sumptam, & Suburbicarias ecclesias pariter latissimè sumptas, & conferri Patriarcatus Occidentis cum Patriarchatu Alexandrino, ad quam comparationem respexisse Ruffinum plura testantur. Certum siquidem primò est, Canonem sextum Nicænum de Patriarcharum iure agere, & eorum priuilegia confirmare, vnde consequens fit per Aegyptum, & suburbicarias ecclesias patriarchicas diœceses intelligere Ruffinum, & comparationem instituentem patriarchatum cum patriarchatu componere;

nere; confirmat idipsum secundò, quod huius Canonis duæ sunt partes, in prima singulare quidpiam confirmat, ac decernit Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, quod non potest impleri in alijs comparationibus inferioribus, puta si comparetur paræcia cum paræcia, Prouinciç hæ enim cum omnibus alijs Episcopis, & Archiepiscopis sunt communes, qui & paræcias suas, & prouincias regunt, vnde cum hisce inferioribus facta censeri non debet comparatio, eòque minùs, quò in secunda parte Canonis de Metropolico iure agitur, idque euidenter insinuat, in prima parte comparationem fieri inter Patriarchatum, & Patriarchatum remisso Metropolico iure in partem secundam. Demùm, & tertiò latissima eademq; proprijssima huius vocis *Suburbicariæ* acceptio, intentionem Ruffini & detegit, & confirmat; nam ab Augusto Cæsare vsque ad Constantinum Magnum totus Orbis Suburbicarius fuit, hoc est Romanæ Vrbi subiectus, quæ prima, & principalis est huius vocis *Suburbicaria* acceptio; cum enim Roma per excellentiam Vrbs fuerit dicta, nullaque tunc esset Vrbs, aut regio à Romano Imperio diuisa, vnde & Orbis Romanus dictus, iam quidquid Romæ subiectum erat, Vrbicum, siue Vrbanum dici poterat, & aptiori, ac grauiori allusione suburbicum, siue suburbicarium, quo sensu Luc. Flor. Siciliam Suburbanam Prouinciam Populi Romani appellat. *Lib. 2. hist. cap. 2.* Translato Byzantium Imperio per Constantinum, eoque inter filios diuiso, ac subinde iterum inter Valentinianum secundum, & Theodosium primum, ac inter Theodosij filios Arcadium, & Honorium, quo æuo scripsit Ruffinus, constitit diuisum Romanum Imperium in Orientale, & Occidentale, duoque facti Orbes, & ideò, qui Orbis antea totus erat Suburbicarius, dimidio mulctatus, quoad Occidentem tantùm suburbicarius remansit, isque erat tempore Ruffini, quem per suburbicarias ecclesias nil aliud voluisse asserendum est, quàm Occidentalis Diœcesis Ecclesias Romano Pontifici, tamquam Patriarchæ subiectas, cum quo compositus Alexandrinus Patriarcha idem ius seruare debeat, eundem morem, & eandem regendi rationem, quo intuitu, inquit Ruffinus, *Vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Aegypti, vel hic Suburbicariarum ecclesiarum solicitudinem gerat*; enque collatum Patriarcham cum Patriarcha, diœcesim cum diœcesi sine vllo Romanæ Pontificiæ amplitudinis dispendio, cum nemo imaginari vix possit per ea verba factum Patriarcham Alexandrinum æqualem Pontifici Romano.

Iustinianus Cęsar impensissimè affectus in Achridum patriam suam, *Nouell. 11. apud Cuiac.* quam & Iustinianam primam attitulauit, & (quæ tunc erat Græcorum Imperatorum licentia, qua & abusus ipse Iustinianus) Archiepiscopali dignitate donauit, statuit, *Nouel. 131* *Vid. Inf. lib. 2. c. 16. in princ.* Archiepiscopum ipsum eadem iura super Episcopos sibi subditos habere, quæ sedes Apostolica Romæ super sibi subiectos; nec tamen per hoc æquatos Papam, & Archiepiscopum primæ Iustinianæ dixeris, cum Iustinianus in eadem constitutione præmiserit, *Sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium sacerdotum*. Non igitur an-

angustauit Ruffinus Romanæ iurisdictionis amplitudinem, dum Episcopum Romanum Suburbicariarum ecclesiarum solicitudinẽ gerere scripsit, quia per vocem *Suburbicarias* iurisdictionem Præfecti Vrbis, & eius limites ad centesimum lapidem non indicauit, sed aut insuper habito discrimine, quod inter *Vrbicarias, & Suburbicarias regiones* obseruatum est, indistinctè eas nominauit, aut totam Romani Episcopi diœcesim expressit, vtcumq; latissimam ità, vt fuerint Ruffino suburbicariæ ecclesiæ, quæ Hieronymo ecclesiæ sedis Apostolicæ, dum ad Vigilantium scribens, ac respiciens ad trium Patriarcharum Diœceses ait, *Quid facient Orientis ecclesiæ*, hoc est Diœcesis Antiochenæ? *Quid Aegyti*? Alexandrinæ scilicet, *& Sedis Apostolicæ*? hoc est Occidentalis Diœcesis? qua triplici Diœcesi vniuersus ecclesiasticus Orbis compræhenditur. Neque attendenda obiectio iam facta ex *l. Manichæos 62. C. Theod. de heret.* ex qua relegatis Hæreticis ad centesimum lapidem arguebatur Diœcesis Romani Pontificis ad centesimum lapidem restricta, quia nihil certi inde potest desumi, cum in hac hęreticorum damnatione variatum videamus, sicut triplici exemplo probat *Gothofred. ad dict. l. 62.*, neque ex damnatione ad centesimum lapidem rectè inferas cuiuslibet Episcopi eos fuisse limites. Hinc laudandus Ruffinus, qui in comparatione Romani Episcopi, & Alexandrini agnouit ità extrema distinguere, vt non in omnibus, sed intra terminos habiles comparatio consisteret, eodemque iure Alexandrinus Episcopus præesset Aegyptiæ Diœcesi, quo Romanus Vrbicariam regeret, quam eleganter expressit Suburbicarij nomine, dum suburbicarias ecclesias nominauit; quæ decem prouincijs suburbicarijs continebatur; pro eodem enim accipi suburbicarias regiones, & vrbicarias non vna auctoritate ex *Theod. Cod. probauit Cuiac.* sicut, *Lib. 2. Obs. c. 14.* vrbicarias, & suburbicarias ecclesias, in quibus pręcipuè, & synodi, & ordinationis, ac plenæ administrationis ius Romanus Episcopus exercebat, sicut Alexandrinus in Aegyptiaca, Antiochenus in Orientali, quem intellectum probat & *Philip. Berter.* Vnde Canonem *Pith. Diatriba 2. c. 5. in fin.* vulgatum generaliter loquentem, & obscurè adeò, vt non constaret, in quo Alexandrini, & Romani, fieret collatio, & in quo Romanus constitueretur norma, & exemplar, Ruffinus exprimendo suburbicarias ecclesias ità illustrarit, vt & paritas, & æqualitas appareret cum Alexandrino, & salua constaret Romani celsitudo, ad quam redimus ab effectibus eam magis, ac magis confirmaturi.

CAP. IV.

Asseritur adhuc Romanæ Sedis amplitudo.

1 *Ab effectibus arguitur, quorum primus* νομικώτερα.
2 *Secundus appellationum ius.*
3 *Ius relationis.*
4 *Obiectio aduersus ius appellationum ex Concil. Carthaginiensi.*

5 Sol-

5 *Soluitur eadem obiectio.*
6 *Prærogatiua eximia, vt Romanus Pontifex à nemine iudicetur.*
7 *Obiecta contra eandem.*
8 *Eadem soluuntur.*

1  VINDICATO Romanæ Sedis Principatu, eiusque propugnata amplitudine contra Nicæni Canonis VI. oppugnationem, redimus ad eandem amplitudinem confirmandam, arguentes ab effectibus illis, qui non nisi ab vniuersali causa possunt oriri, & à potestate planè suprema, tanquam immediati eius actus, pendere. Omnium primus, & à quo tota Reipublicæ salus, erit νομοθεσία, legum scilicet ferendarum potestas vniuersaliter obligantium; actus veræ maiestatis index, & potestatis supremæ certissimum argumentum. Hunc exercuit semper Summus Pontifex tanquam ecclesiæ caput, huncq; agnouit, ac approbauit legitimum *Valentinianus Cæsar* constitutione sua tunc temporis edita, cum Hilarius Arelatensis Episcopus inordinatis Episcoporum ordinationibus zelū Leonis Magni Romani Pontificis in se concitauit, simulque pietatem Valentiniani, qui plura attigit in Apostolicæ sedis firmanda auctoritate, at potiora delibasse sat erit: *Cum igitur Apostolicæ sedis primatum Sancti Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem sedis istius illicitum præsumptio attentare nitatur, tunc enim demùm ecclesiarum pax vbique seruabitur, si rectorem suum agnoscat vniuersitas.*

Nouell. Valent. in C. Theodos. tit. 24. de Episcoporum ordinat.

Iacto hoc primatus fundamento ad legum ferendarum potestatem, infert Imperator subdens *Verùm ne leuis saltem inter ecclesias turba nascatur, neque in aliquo minui religionis disciplina videatur hac perenni Sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum prouinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ Vrbis æternæ auctoritate tentare; sed illis, omnibusque pro lege sit quiquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ sedis auctoritas.* Hæc Valentinianus; qua piissimi Cæsaris constitutione neutiquam credendum largitam fuisse primitus Romanæ sedi facultatem quasi antea non competentem; manarunt enim longè pridem Romanorum Pontificum decreta, & sanctiones subiectos fideles & præsules obligantes, obedientiam, & statutorum executionem exigentes. Obuiæ, eæque frequentes vniuersales Epistolæ vetustissimorum Pontificum, Liberij decreta Ariminensis Synodi damnantis, Leonis Magni, Siricij, Innocentij, Gregorij non ad certam aliquam prouinciam scribentium, aut diœcesim Patriarchico iure, sed ad omnes prouincias, quaquà interest Christianæ fidei germanum eius cultum seruari, qui quidem vt vniuersali ecclesiæ præsidentes generaliter etiam ijdem consulere non destiterunt; est enim hæc eadem illa ipsa potestas, quæ à Christo Domino tradita Petro ad perpetuum ecclesiæ regimen, & à Petro in successores transmissa semper viget, ab omni vsurpationis labe immunis, sed vero, ac iusto innixa titulo, vtcumque vsurpationem me-

ram asserere audeant Nouatores, eamque à Gregorio VII. cæptam, ex eius dictatis planè leue, & fallax indicium desumentes, contrarium insuper asserentes ecclesiastico instituto, vt vnus Episcopus pro tota ecclesia leges condat, quod proprium Episcopalis cœtus scripsit *Photius in Nomocan. Quod non ab vno Episcopo (inquit Photius) sed a Communitate Canones edentur. Basily Canon. 47. circa fin. Gregorij Nisseni. Can. 6. circa med.* Addunt; sit quidem illud, vt sine Romanæ Ecclesiæ sententia Canones ecclesijs non præfigantur, vt passim ex *Socrate*, *Sozomeno*, *Theodoreto*, *Euagrio* legimus Ecclesiastico Canone constitutum; at non ex eo legis condendæ in ecclesia potestatem penès vnum Romanum Pontificem rectè arguas. Aliud enim est habere ipsum legis ferendæ consortium, aliud ei affigere vnicum, ipsumq; absolutum arbitrium. Hæc quidem passim à Nouatoribus iactata, at parùm fideliter; omnia enim mox supra tacta non de suprema legis ferendæ potestate Summorum Pontificum loquuntur, sed de inferiorum Præsulum, ac Synodorum auctoritate, penès quos eatenus generaliter statuendi facultas, quatenùs Romani Pontificis accedat auctoritas. Verùm non inde arguas, supremam nomothesiam penès ipsum non esse.

Lib. 1. c. 5. & c. 13. *Lib. 2. c. 22.* *Lib. 5. c. 10.* *Lib. 3. c. 9.* *Lib. 2. c. 4.*

2 Nomothæsiæ haud impar accedit appellationum ius, quod illi ipsi innititur potestati, quæ à Christo Domino tradita Petro, tanquam ecclesiæ capiti in successores migrauit semper, & migrat, ac proinde ab omni ecclesiæ æuo ante quemcumque Conciliorum Canonem perenni vsu obtinuit, tanquam impertitæ supremæ auctoritati, & ecclesiasticæ traditioni innixa. Excommunicatus enim Marcion ab Episcopo Ponti confugit ad Pium Romanum Episcopum, & fuit auditus, licèt non receptus in clerum, obsistente eius patre Episcopo, qui ipsum eiecerat, vt ex *Epiphanio* *Baronius*, & cum eo Spondan. Fortunatus, & Fœlicissimus à Cypriano Carthaginiensi depositi appellarunt ad Cornelium Romanum Pontificem, nec reiecti ab eo fuere *Cypriano* ipso teste. In Hispania depositus Basilides ad Stephanum Papam appellat, vt scribit idem *Cyprianus*. Athanasius à Concilio Tyri spoliatus dignitate sua appellans confugit ad *Iulium* Romanæ sedis Episcopum, & ab eo restituitur. Gallicani Episcopi damnati à Coepiscopis suis ex Canonum præscripto prouocant ad supremum Apostolicæ sedis iudicium, & innocentes probati Pontificia auctoritate consueuerunt restitui, vt tradit *Gregor. Turonens.* quorum recursuum aliqui antecesserunt Sardicense Concilium adeò, vt cum constet de titulo, & vsu, de iure competenti non liceat ambigere; diximus recursuum, ne appellationis terminus cauillandi ansam præbeat; fuerunt enim hi recursus ex causa iudicij, & pro iudicio, adeòque appellationes re ipsa; sed de hoc appellationum iure vberiùs in tertia parte, vbi de Ecclesiasticis Iudicijs,

Tom. 2. Annal. an. 146. n. 111. *Ep. 55. ad Corn. Pap.* *Epist. 68.* *Theodoret. hist. lib. 2. c. 4.* *Lib. 2. hist. c. 1. & lib. 10. c. 31.*

3 Appellationi haud absimilis, & summæ potestatis haud obscurior index est relatio, qua in arduis, & ambiguis ecclesiæ negotijs sedes Apostolica tanquam infallibile Oraculum consulebatur. Exiguum sanè est inter appellationem, & relatio-

lationem discrimen ; nam appellatio à partibus defertur ad Magistratum ; relatio à iudicibus , eaque alia re vera non est, nisi consultatio Iudicis ad Principem, vt inquit *Cuiacius* ; eiusque vsum insinuat *Symmachus*, & sæpiùs à se adhibitam testatur *Plinius* Iunior. Non tamen adeo proprium Apostolicæ Sedis hoc relationum ius, quin etiam alijs maiorum Sedium Antistitibus competeret, indicat Hieronymus conquerens cum Ioanne Hierosolymorum Episcopo circa errores Origenis, qui plurimùm in Palestina serpebant; ait enim ; *tu, qui regulas quæris Ecclesiasticas, & Niceni Concilij Canonibus vteris responde mibi ; ad Alexandrinum Episcopum Palestina quid pertinet ?* moxque inferiùs ad rem ; *Aut igitur ad Cæsariensem Episcopum referre debueras, aut si procul expetendum iudicium, erant Antiochiam potiùs dirigendæ literæ &c.* Sed nihilominùs stabit adhuc discrimen inter Apostolicam Sedem, & reliquas maiores, siuè Patriarchales, ad hasce enim ex sola sua Diœcesi Patriarchali obueniebant relationes, ad Romanam Sedem à toto vndique Orbe deferebantur, siue de controuersa fide, siue dubia disciplina ageretur, immò nec solæ magistratuum, sed & Synodicę consultationes tàm ab Oriente, quàm ab Occidente ad eam deferebantur. *Hieronymus* ad Ageruchiam ; *Cum in Chartis Ecclesiasticis iuuarem Damasum Romanæ Vrbis Episcopum, & Orientis, ac Occidentis Synodocis consultationibus responderem.* Prostant inter Conciliorum acta Synodicæ literæ, quibus Patres de rebus in Synodo gestis Romano Pontifici relationem faciebant ; Concilij Arelatensis ad Sylnestrum, Sardicensis ad Iulium, Chalcedonensis ad Leonem, & ex hac relationum obseruatione per subsequentia tempora semper custodita manauit moles illa voluminum, quæ Summorum Pontificum decretales dicuntur, & corpus approbatum Iuris Pontificij constituunt. Verùm de hoc relationum & iure, & ritu latiùs cum de rescriptis agemus ; hìc attigisse satis, vt appellationes, & relationes ad Apostolicam Sedem frequentatas ab exordio Ecclesiæ indicaremus in supremæ & amplissimæ potestatis argumentum.

In paratit. ad Pand. ad tit. de appel. & relat.

Lib. 10. Ep. 41. & Ep. 44.

Epist. 61.

Epist. 11.

4 At verò Ius appellationum concutere videtur factum illud celebre in Concilio Carthaginensi, & Apostolicæ Sedis in hac parte præeminentiam deijcere, quod quidem vrgent, & vetustiores, & recentiores ; obiectio, quæ vlteriùs non videtur differenda, ipsique præstruenda historia, quæ facem admoueat. Missis tribus legatis suis in Africam Zosimus Romanus Pontifex commonitorium ipsis dedit, quod tria continebat. Primò, vt seruaretur Niceni Concilij Canon ; quà damnato cuilibet Episcopo in sua Synodo Ius appellandi ad Romanam Sedem statuit, & ad Summum Pontificem, qui, consulere poterit, aut iudices dando ex vicinis Episcopis, aut Legatos à latere suo mittendo. Secundò : ne Episcopi ad comitatum, seu Principis aulam pergant fine Synodi, aut Metropolitani literis cognita antea profectionis causa. Tertiò : de appellationibus Sacerdotum, & aliorum Clericorum admittendis à suorum Episcoporum sententijs ad Synodos prouinciales.

Legatis receptis cum commonito-

nitorio Africani Episcopi, qui tunc in Concilio erant, consuluerunt statim Nicænos Canones, nec eos inuenerunt, quos supponebat Zosimus Summus Pontifex in commonitorio suo, tuncque dixit Augustinus Hipponensis Episcopus legatus Prouinciæ Numidiæ, *& hoc nos seruaturos profitemur salua diligentiore inquisitione Concilij Niceni*. Consensit Synodus vniuersa, & idipsum rescripsit Romam, eiusque literæ receptæ fuerunt à Bonifacio Zosimi interim defuncti successore, scripseruntque Patres Concilij ad Cyrillum Alexandrinum, & Atticum Constantinopolitanum Episcopos, vt integros Nicænos Canones transmitterent, idque expresserunt & Romano Pontifici in literis, pollicentes intereà se Nicænos Canones obseruaturos. Paulò post deferuntur literæ Cyrilli, & Attici cum viginti Nicænis Canonibus è græco in latinum translatis, ijs receptis certiorem fecerunt Cœlestinum Romanum Pontificem demortui Bonifacij successorem in ijsdem canonibus nihil reperiri ex eo, quod fuerat à Zosimo suppositum, de appellationibus Episcoporum ad Romanam Sedem; nisi quod sancto Nicæno Canone statuitur, vt qui fuerint à proprio Episcopo fidelium communione exclusi à nullo alio Episcopo recipiantur, nisi causa ad Synodum per appellationem deuoluta secùs fuerit indicatum; *Ideò* (addunt Africani Patres) *impendio deprecamur, ne deinceps ad vestras aures hinc venientes faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos vlteriùs in communione velitis accipere, quia hoc à Niceno etiam Concilio definitum facilè aduertit Venerabilitas tua*. Rem hanc totam narrat, & tractat luculenter *Baronius*. Quid ad hæc responderit Cœlestinus non constat. Ex hac autem historica serie mutuantur Nouatores tela aduersus Romanæ Sedis præeminentiam appellationibus præcipuè confirmatam; considerant enim, & dicunt primò; Vt quid Zosimus Romanus Pontifex ius Apostolicæ Sedis de appellationibus in Nicęnorum Canonum auctoritate fundat, si aliunde, & à Christo Domino tradita auctoritate potuisset inniti? Ad ius Diuinum non se recipit, igitur hoc ius appellationum aliunde agnoscit, & ideò Africani Patres eatenus se huic appellationum iuri delaturos protestantur, quatenus inter Nicęnos Canones reperiatur. Secundò suggillant Zosimum Romanum Pontificem, qui pro appellationum iure allegauerit Nicęnos canones, cum tamen inter canones transmissos ab Attico Constantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino ad Synodum Carthaginensem, nusquam huiusmodi Canon apparuerit. Tertiò demùm infertur, Aphricanam Ecclesiam Primatum in Romana nec agnouisse, nec probasse, ex quo huic iuri appellationum restitit; immò ipsum D. Augustinum, tanquam Africanæ Ecclesiæ vnum, restitisse huic Romanæ Sedis primatui, cum consenserit & ipse in datum nomine Concilij responsum ad Romanum Pontificem, & in Canonem 72. eiusdem Concilij, qui Canon ita loquitur; *Quicumque non communicant in Africa si in transmarinis ad communicandum obrepserint, iacturam Clericatus excipiant*. Per transmarinas autem appellationes nil aliud certè volunt

Tom. 5. Annal. Ann. 419.

lunt Africani Patres, nisi appellationes ad Romanam Sedem.

5 Hæc autem ingenuè ponderata facilè concidunt. Quod enim Pontifex Romanus Zosimus Nicæno potiùs Concilio nitatur, quàm Diuino iure in asserenda sibi appellationum auctoritate non arguit eam à Concilio potiùs, quàm aliunde agnoscere; facultatem siquidem diuinitùs habet: an autem, & quatenus ea vti expediat, statutum à Concilio allegat, quod iuris diuini facultatem pro casuum exigentia, & recto Reipublicæ regimine potuit determinare. Neque sine causa fuit opus Nicæni Concilij definitione, cum primis illis Ecclesiæ temporibus meritò dubitaretur, an liceat, aut expediat, indistinctè appellationibus vti. Nàm si indistinctè concedantur, legitima iudicia reddentur inutilia, & eludentur, vixque relinquetur Prælatis inferioribus regendi modus; hincque frequentes Sanctorum Patrum *Cyrilli*, & *Bernardi* querelæ de appellationum nimia facilitate, & frequentia, à qua innumera in Ecclesiam mala. At verò si appellationes omninò tollamus; Vnitas, quam tantoperè in Ecclesia Christus commendauit, fatiscet, & nexus laxabitur membrorum cum capite; Aegrè se habebunt particulares Ecclesiæ, in quibus facilè nimis, vbi absoluta essent iudicia, pro iudicijs oppressiones exercerentur, & esto, quod eò non perueniat hominum malitia, zelus ipse, qui quò feruentior, eò est grauior proborum, & spiritualium hominum tentatio, redderetur intollerabilis, nisi moderamen inijciat superioris auctoritas, ad quam confugere liceat per appellationem. Inter hasce syrtes versante appellationum vsu, quem ius Diuinum Apostolicæ Sedi iam concesserat, generale Concilium Sardicense eum expedire declarauit, ac debitum hunc honorem Romanæ Sedi expressit, & confirmauit; neq; enim credendum est hanc facultatem à Synodo primùm indultam, cum longè antea interpositas appellationes ad Sedem Apostolicam constet. Ideòque prudenter Zosimus Romanus Pontifex apud Africanos Patres ius appellationis asserere studens non Diuino iure, sed Nicæno Concilio nititur, vt non tam competere hoc ius appellationum ostenderet, quàm conuenire, & esse è re Ecclesiæ, quando generale Concilium id etiam nouisset, ac declarasset; immò secundùm eundem tenorem responderunt, & Africani Patres, qui è contra expedire credebant Ecclesiæ suæ, vt impediretur hic appellationum vsus, quem tamen auferri in totum, aut in totum impediri non debere apprimè sciebant, ac proinde Nicæni Concilij profitentur lubentes obseruationem, quod expedire appellationum vsum iam declarauerat, cum tamen non omitterent subiectionem suam erga Apostolicam Sedem contestari per Synodicam epistolam acta Concilij renunciantes, fatentes mandata se recepisse, & rogantes demùm, ne adeò de facili appellationes admittat, aut recipiat, & Nicænos Canones se obseruaturos pollicentes, non autem insolenter protestantes se obseruaturos, quatenus Nicæni Canones statuant. Nam vel ab ipsa Africanæ Ecclesiæ fundatione obtinuerat consuetudo, vt Clerici, Diaconi, & Presbyteri ad transmarina iudicia non possent conuolare,

Lib. 1. ep. 3. & 4. Lib. 3. de consid.

Can. 3.

uolare, at verò Episcopi vtique: tolerabilis consuetudo iustis innixa rationibus, & quæ per concessam Episcoporum appellationem Romanæ maiestatis ius non minueret.

Neque imputandum Zosimo, fraudisque ipse arguendus, quasi Nicænos Canones pro Sardicensibus obtrudat, ac viam sibi sternere studeat obtentu celebrioris Concilij ad subigendam Africanam Ecclesiam. Nil enim per fraudem egit Zosimus; tum quia (vt plerique volunt) Nicæna Synodus id re vera statuerit, licèt canones eius omnes non habeantur, suppressi, & expuncti ab Arianis, qui eos solos viginti reliquerunt, quos sibi negotium facessere non censebant, qui tamen remanserunt in Romana Ecclesia, & eius exemplaribus, ex quibus optima fide potuerit Zosimus allegare; tum etiam quia Sardicensis Synodus fuerit semper habita vna, & eadem cum Nicæna, eiusque credita appendix, maxima enim pars eorundem Patrum vtrobique interfuit, eadem fidei causa vtrobique fuit iudicata, vnde factum, vt quamuis Sardicensis Synodus fuerit generalis, numerum tamen generalium Synodorum non augeat, tanquam accessoria Nicænæ cum in archiuijs Romanæ Ecclesiæ vnum corpus vtraq; Synodus constitueret, vtriusque canones promiscuè potuit Zosimus allegare; fuit error Africanorum Patrum potiùs, sed excusabilis, quandoquidem nullam nouere Sardicensem Synodum, aut habuere, in qua Canones à Zosimo citati legerentur, nàm Concilio Carthaginiensi VI. interfuit *Diuus Augustinus*, qui tamen contra Crescon. nullum se agnoscere fatetur Sardicense Concilium nisi Arianorum, qui fecedentes fallere nisi sunt sub falso nomine, & per canones peruersos; & si alicubi in eodem Carthaginiensi Concilio memoratum legatur Sardicense, suppositità id factum existimandum est irreptione à margine in textum facta; fuere immò Nicæni Canones vsque ad octuaginta præsertim ex Arabico, vt consentiunt Auctores grauissimi, inter quos nouissimè *R. P. Cabassutius*, & ante *Bellarminus*, idque prosequi fusiùs omittimus. Vnde sine vlla fraudis nota potuit Zosimus Nicænos Canones pro Sardicensibus allegare. Nil autem magis à veritate alienum proferri potest, quam Africanam Ecclesiam primatum Romanæ nunquam agnouisse, sed semper retudisse, ex quo præsertim hoc ius appellationum Africani Patres detrectarunt, ac inter eos præcipuè huic ijdem primatui restitisse Ecclesiæ Catholicæ lumen S. Augustinum. Aegrè quidem tulisse Africanos Episcopos appellationum frequentiam, & facilem nimis vsum negari non potest, at impugnasse eos Romanæ Ecclesiæ primatum nunquam concedendum, testatur enim rei gestæ supra relata series, eos omne obsequium, & obedientiam submissè pollicitos, siue legamus epistolam ad Bonifacium missam, siue ad Cœlestinum Ramanos Pontifices, in qua modestissimè in ea verba exordiuntur. *Præfato debitæ salutationis officio impendiò deprecamur, vt deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis.*

Deprecari, rogare vtentem iure suo non est superiorem non agnoscere, aut appellationes ad Romanam Sedem non admittere, cum obser-

Lib. 3. cap. 34.

Sc lomen. lib. 3. Hist. cap. 10. & 11.

In notitia Concil. Diatriba vnic. post Nicæn. Can.

Lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 25.

obseruare fas sit, Episcopos quamplures ex Africa eo ipso quo ad Romanam Sedem appellantes; diligentiam exposcunt in causarum examine, at neutiquam appellationem excludunt; ideòque non sine Dei singulari prouidentia factum obseruat *Baronius*, vt dum hæc de appellationibus tractaretur in Africa, quidam Antonius Episcopus Fursalensis, vrgente in eum ipso Diuo Augustino, deponeretur ab Ecclesiæ suæ administratione, relicto nudo eiusdem Ecclesiæ titulo, hicque appellaret ad Bonifacium Zosimi successorem, qui cautè, & prudenter rescripsit, vt obseruat *Baronius*, prostatque epistola *D. Augustini* ad Bonifacium in eadem causa scribentis, neque de sententia D. Augustini fas est ambigere, qui Principatum Romanæ Ecclesiæ toties est contestatus. Nullum igitur schisma confecerunt Africani Patres, in eo tantùm arguendi, quod consuetudinem, & vsum appellationum Sardicensis Concilij decreto confirmatum in dubium reuocarent ex eo, quod in Nicænis Canonibus tale quidpiam non legerent, quamuis generaliter consuetudines Ecclesiarum ea Synodo essent confirmatæ, inter quas certè, & hæc ipsa appellationum. Nil itaque minuit factum Concilij Africani appellationum ius ad Apostolicam Sedem, quod non immeritò hucusque expendimus, & quod præcipuum est argumentum iuris supremi, quod in totam Ecclesiam gerit Romanus Pontifex. At hac de re alibi fusiùs.

Tom. 5. Anno 419.

Epist. 161.

6 Cui adstipulatur & aliud argumentum primatus Romanæ Sedis eximium, quod scilicet ipse Pontifex cunctis superior à nemine iudicetur, aut possit iudicari. Arridet prerogatiuæ tantæ expositio, quam Græci interpretes tribuunt communi ore celebri dicto illi *Vlp. in l. Princeps ff. de legibus*. *Princeps legibus solutus est* inquit Vlpianus, accipiunt enim de legibus pœnalibus, eaque potissimum ratione, quia Princeps iudices non habeat; vt & hanc ipsam expositionem laudauit *Cuiac.* Quod quidem sicut de sæculi Principe verissimum est, & ampliant latini interpretes ad omnes omninò leges, ità longè faciliùs, & firmiùs credendum est de prima Sede in Ecclesia, & Summo Romano Pontifice, quem Deus in Supremo Ecclesiasticæ Reipublicæ gradu ita constituit, vt solum ipsum Deum agnoscens superiorem neminem videat in terris, cui subijciatur, aut possit subijci, dum tamen rectam tueatur fidem, sine qua nec Dei vices potest sustinere.

Cuiac. lib. 15. obs. cap. 30.

Lib. 15. obseru. c. 30.

Euincit hanc Romanæ Sedis, & Summi Pontificis prærogatiuam ipsa regiminis Ecclesiastici ratio, quam vnius, & ab vno iam fundauimus; qua enim ratione supremus quilibet Princeps legibus solutus esse debet, quia nullum habeat iudicem, cuius censuræ subijci valeat, hac ipsa & Romanus Pontifex ita omnes supergreditur, vt à nemine iudicetur: Ratio enim supremi id exigit, cum qua pugnat qualiscunque subiectio; Vnde eleganter *Glossa* ad illud Psalmi; *Tibi soli peccaui. Rex enim omnibus superior à solo Deo puniendus, solum Deum iudicem habet*; Peccat quis de populo, & Deo peccat, & Regi, quem vtrumque suspicit superiorem; Rex verò vni Deo peccat, ijdem vni rationem redditurus. Hucque respiciens

Psalm. 50.

ciens Dauid, vtcumque dolens, at gradum suum Regium agnoscens vnum agnoscit Iudicem Deum, ac proinde, ait *Tibi soli peccaui*. Quod ipsum, & de Romano Pontifice asserendum, qui aut non est supremus, quod nefas dicere, aut neminem habet, quem agnoscat iudicem, cui debeat subijci, is enim aut sæculari pollere debet potestate, aut Ecclesiastica; non sæculari, quia cum spirituali nulla subordinatio, nulla proportio, ac proinde nulla subiectio; vt elegantissimè Nazianzen in *Can. suscipitis* 10. *Dist.* & octaua Synodus generalis *in Can. Difinimus* 22. *dist.* *Psal. 50.*

Non Ecclesiastica, quia id maximè esset Generale Concilium, at verò, quantacumque sit eius auctoritas, Ecclesiæ Capite non est superius; Aristocraticam enim politiam ab Ecclesia iam exclusimus, & Monarchica firmata, capite nemo est, aut esse potest superior, nisi Christus ipse, cuius vices Pontifex gerit in terris; hunc igitur habere potest Iudicem, at in terris prætereà neminem; idipsum professi Sancti Patres Ecclesiæ, sic Bonifacius in *Can. si Papa* 40. *dist. Innocentius in C. Nemo* 9. *q.* 3. *Symmachus in Can. sequenti*; idipsum Summi Romani Pontifices Gelasius, Hadrianus, Innocentius, Eusebius; idipsum Decretis, & Canonibus suis sacra approbarunt Concilia; Romanum sub *Syluestro Can. Vlt.* vulgatissimum est effatum illud Sinuessanę Synodi in causa Marcellini Summi Pontificis; *Tuo ore iudica causam tuam non nostro iudicio; prima Sedes à quopiam non iudicatur. Can. nunc autem, & Can. seq.* 21. *Dist.* quidquid credatur de actis huius Synodi, quæ suspecta habentur tanquam à Donatistis conficta, at certè antiquitatem redolent, & vel eo nomine suspicienda. Chalcedonense *in Can. tantum* 21. *Dist.* Romanum sub Symmacho *in Can. Alior.* 9. *q.* 3. Lateranense sub Alex. III. *in Cap. licet de elect.* quæ omnia ad stabiliendam hanc Romanæ Sedis præeminentiam pari nisu conspirant.

7 Nec infensorum latratus curant, qui Romanum Pontificem Imperatoriæ potestati ita subijciunt, vt Cæsarem habere iudicem non vereantur asserere. Quid enim (inquiunt) de Christi Vicario id dubitemus, si Christus ipse, cuius vices Pontifex gerit, vt homo in terris degens subiectus Imperatori extitit; vnde & Præsidi eum iudicanti apertè dixit; *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper*. Post Christum Petrus ipse fuit Imperatori subiectus tanquam Iudici ordinario suo. Hunc ipsum agnouit & Paulus, dum Cæsarem appellauit, eiusque tribunal, & si declinetur Cæsaris iudicium, euitari non poterit Vniuersalis Ecclesiæ auctoritas, quæ resistere Summo Pontifici poterit, vt restitit Paulus in faciem Petro, *qui repræhensibilis erat*, & qui ex circumcisione erant repræhenderunt eundem Petrum, quòd intrasset ad preputium habentes. Sit quidem supremus in Ecclesia Pontifex; at non certè Christo, non Petro maior, nec solus sine iudice, sine censore in terris. Iactet hæc liuor; sed hic error pridem in Ecclesia damnatus, & reijciuntur facilè congestæ auctoritates. *Marsil. de Padua in defens. pacis p. 2. c. 4.* *Ioan. 19.* *Ad Galat.*

8 Quod enim fuerit Christus subiectus Cæsaris potestati, & iurisdictioni, regulare non fuit, aut ordina-

dinarium, sed ex charitate assumptum ad redimendum genus humanum, *Oblatus* siquidem, *est, quia ipse voluit*; demissionis fuit, & humilitatis, quas sicut & alias consimiles virtutes, cum merito liberè, & spontè in exemplum nostrum exercuit. Nec ab re erit expendere, Christum Dominum tunc tanquam priuatum hominem delatum Pilato, non tanquam Pontificem summum coram Præside stetisse, ac proinde, ab eo exemplo subiectionem Summi Pontificis eius Vicarij non rectè argui, & inferri. Addidit quidem, *Non haberes in me potestatem nisi tibi datum esset desuper*. *Chrisostom. Hoc DATVM, in hoc loco permissiuum est; quasi diceret permisit hoc fieri*. Fuit hoc extraordinarium, nec transmittendum in successores. Ideoque nec magis Petrum subiectum Cæsari licet asserere, aut admittendum, fuisse omnes Apostolos in subiectione pares; cum enim in Petro esset supremus apex spiritualis potestatis, ipseque tanquam Christi Vicarius præ cæteris emineret, repugnabat magis eum subijci Cæsari, quàm Apostolos reliquos, qui in tanto sublimitatis gradu non erant constituti. Appellauit quidem Paulus Cæsarem, sed non tanquam iudicem suum, sed eius iudicis, à quo patiebatur grauamen, & iniuriam. Nec magis potest tantum auctoritatis sibi adrogare Vniuersalis Ecclesia, siue generale Concilium; abhorret id enim fundata iam supra Ecclesiasticæ politiæ forma, & constabit apertiùs, cum singulariter de comitijs Ecclesiasticis, & Concilijs agemus. Restitit quidem Paulus in faciem D. Petro, quasi esset repræhensibilis; at aliud est resistere, & se opponere, vel etiam arguere, & repræhendere, aliud iudicare, & imperare; illud præstare potest etiam inferior ex charitate, salua in superiorem reuerentia, at iudicare non item *C. Inferior. 21. Dist.* In facto D. Pauli spectare licet charitatem, & libertatem, in Petro humilitatem, at non inde arguere coercitiuam iudicandi potestatem. An autem fuerit error in Petro, & qualis error, non est hic examinandi locus; quod præstiterunt exactissimè *Bellarminus*, & *Baronius*. Nec magis iudiciariæ potestatis actus censenda est repræhensio facta Petro, vel veriùs, querimonia eò, quod ad gentes intrasset, quam ipse egregiè retudit ex ratione Diuinæ virtutis exponens, sicut ex Epiphanio considerat *Baronius*, & ex Gregorio Magno transtulit *Gratian. in Can. Petrus 2. q. 7.*

Supra omne igitur iudicium; & supra omnem censuram cunctis sublimior est Romana Sedes, ac ex ea Prȩsidens Romanus Pontifex, dum tamen veram, & rectam fidem seruet, à qua si (per possibile) excideret, iam & iudicio redderetur subiectus, quando & statim desineret esse Ecclesiȩ Caput, factus omnium infirmus sine fide, vt inquit *Diuus Thomas*, & meritò; amissa enim fide, per quam fit prima vnio ad Corpus Christi, quod est Ecclesia, membrum ipsius, adeòque caput amplius non est; subtracto namque fidei fundamento totum corruit ædificium, & cum eo Principatus apex. An autem re vera Summus Pontifex, vt priuata persona, possit esse hæreticus? disputatur à doctissimis Viris, qui demùm concludunt piè credi posse, Deum nunquam permissu-

[Margin notes: *Isaiæ 53. cap. 7.* — *Homil. 83. in Ioann.* — *Lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 18.* — *Tom. 1. Annal. ann. 51 latissime.* — *In 4. Dist. 19.*]

missurum, vt qui regula totius Ecclesiæ esse debet, à veræ fidei tramite deflectat, sed ita adiuturum, vt inflexibilis, & immutabilis in veritate consistat. Hæc disceptare nostræ non sunt partes, sed attigisse contenti, ad potestatem Summi Pontificis Romani accedamus; post fundatam hucusque Romanæ Ecclesiæ amplissimam præeminentiam.

CAP. V.

De Summi Pontificis Potestate.

1 *Pontificis potestas plena multipliciter.*

2 *Qualiter inferioribus Pontifice Præsulibus communicetur.*



CONNEXA sunt omnia hucusque pertractata, & rei veritate, & doctrinæ serie, & ab vno pendent principio, ac fundamento, monarchico scilicet Ecclesię regimine, quod residere in Summo Pontifice cum sit probatum, iam de eius potestate agere consequens est, & qualis, quantaue sit, ac præsertim qualiter diffundatur in Ecclesiæ administrationem, inquirere. Ad rem perappositè Ecclesiam Cælo non semel comparauit Gregorius, ac proinde petito à celestibus exemplo, Ecclesiæ ipsius potestatem ita institutam, ac dispositam fas est obseruare, vt quod in primordiali rerum opificio in statuenda luce operatus est Creator idipsum liceat spectare in potestate largienda. Creata enim primigenia luce, solem subinde condidit tanquam eius vehiculum (vt inquit *Magnus Basilius*) cui infixa, veluti è centro, in minora sydera, ac sublunaria cuncta vitali ope fulgeret, eaq; operaretur, quæ nusquam meliùs quam *Plinij* verbis possunt exhiberi de Sole ita scribentis; *Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras, hic reliqua sydera occultat, hic suum lumen cæteris quoque syderibus fænerat, præclarus, eximius.* *In Hexamer.* *Lib. 2. c. 6. Nat. hist.*

1 Idipsum spectamus in Ecclesiæ cœlo, cuius tota potestas in Summo Pontifice, ceu Solari orbe residet, à quo in reliquos omnes Ecclesię Præsules, ceu sydera, effunditur, & plenissima in ipso vitam, & operationes totti Ecclesiæ corpori tribuit; & meritò, ac rectè quidem; nam in qualibet hominum communitate publica, seu politia penes eum, qui supremus est, plena potestas esse debet, quæ ad omnia se porrigat necessaria pro Reipublicæ bono. Hanc habet in Ecclesia Summus Pontifex, tanquam supremus, aptam ad omnia Ecclesiasticæ Reipublicæ necessaria, verèque plenam. Primo enim Pontificis potestas totum permeat, totumque ambit terrarum Orbem, & cum amplitudine tanta dici debet meritò plena. Secundò per clauium vsum conscientiæ intima, & peruadit, & dirigit, omnesque casus, omnesque personas tangit, ideòque plena. Tertiò per clauium potestatem iudicia in foro exteriori exercet, tanquam totius Ecclesiæ iudex, & ideò plena. Plena est quartò, quia Summus Pontifex ipsam exercens Prælatos inferiores, & Episcopos ipsos deponit. Quintò Pontificiam potestatem excellit nemo, & aliam quamcumque ipsa excellit, & meritò ideò plena. *Barbos. Sum. Eccl. lib. 1. c. 2. n. 40.*

Demùm

Demùm Pontifex Summus, vtcumque regulariter per inferiores causas agat, attamen vbi exigit opus, ijs posthabitis agere ipse immediatè potest, & immediatè operari, vt *ex Gregorio ix. in cap. fin. de foro compet.* est namque Summus Pontifex immediatus Pastor totius Christiani gregis, & Romana Ecclesia Synodicas omnes constitutiones excellit Euangelica voce Christi Redemptoris adepta primatum; & quamuis Deus iuxta à se institutum naturæ ordinem per causas secundas agat, attamen vbi exigit prouidentia, suspenso causarum secundarum concursu operatur immediatè, ità & Pontifex Summus; quò respiciens *Innoc. III. in C. Antiqua De priuileg. Romana Ecclesia*, (inquit) *quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra*; vnde meritò plena. Septimò summa emicat Pontificis potestas legibus soluta, & ipsa supra leges, earumque vinculum, à quocumque sint, iuxta prudentiæ dictamen, & arbitrij discretionem dispensando soluens; vnde *Paschalis Summ. Pontif. in cap. significasti de elect. quasi Romanæ Ecclesiæ leges Concilia vlla præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in earum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas*.

Emicat tandem, quàm sit ampla Summi Pontificis potestas, in bonorum Ecclesiasticorum alienatione, ac distributione, *Can. Hadrianus 63. dist.* in Ecclesiasticorum officiorum assignatione, dum ea, quæ superiorum Ordinum sunt, inferioribus potest committere *C. peruenit. 95. dist.* Indulgentias indefinitè concedit, Sanctos fastis adscribit, eaque demùm omnia gerit, quæ quoquo modo ad Ecclesiæ regimen conferant, & ad quæ nequit nisi plena potestas attingere. Hæc illa potestatis plenitudo, sine qua non consistat Ecclesiæ vnitas; Hæc illa, quæ in sæcularis Reipublicæ supremo capite Maiestas dicitur, qua Princeps supremus, & leges subditas infra se videt, & quam qui habet, vnum supra se suspicit Deum præterea neminem; hanc habere debuit Pontifex, vt Summus Ecclesiæ Præsul sub alio nomine, vnde & plenitudo potestatis dicta; Hæc in Pontifice tanquam in centro; & sicut lux in sole, qui eam cæteris fæneratur astris; quo solis paradigmate vsus Diuus Cyprianus, vt Ecclesiæ vnitatem ostenderet. Quò peruadat, & quousque pertingat potestas tanta, quæ valeat, quæue non valeat ea pollens, vix est inquirendum, cum nullos agnoscat nisi recti fines, nullam admittat metam, at labijs digito compressis, suspensoque stylo submissè suspicienda est, & qualiter cæteris communicetur indicandum.

2 Triplicem potestatem aliàs in Ecclesia distinximus, ordinis scilicet & iurisdictionis, hancque bipartitam in foro interiori aliam, aliam in exteriori; Prima ad Sacramenta, & conficienda, & administranda dirigitur; secunda ad fidelium conscientias, & fideles ipsos in interiori foro regendos; tertia ad idem, sed in foro exteriori. De vtraque illa prima iam satis actum cum de Ecclesiæ potestate; Nunc de

de tertia, & inferioribus facta eius communicatione. Inferiores Præsules (petito semper à Cœlo exemplo) esse luminaria minora in Ecclesia, vel luminare minus reddere ex sæpius dictis iam constat, cui consequens omninò est à maiori eos mutuari lumen, & iurisdictionem obtinere. Si enim respiciamus ad primordialem Ecclesiasticæ iurisdictionis, & potestatis originem, eam ita à Christo Domino inductam intuebimur, vt vni tradita, & ab vno proueniens diffunderetur in plures; celebris Cypriani auctoritas à Gratiano translata *in Canon. Loquitur 24. q. 1. Loquitur Dominus ad Petrum*, ait Cyprianus, *Ego dico tibi*, inquit, *quia tù es Petrus &c. super vnum ædificat Ecclesiam, & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me Pater, & ego mitto vos, tamen, vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.*

In vnitatis fundamentum, & tutelam solem, caput, & fontem in Ecclesia considera, iam astra lumen, membra motum, vitam, influxum, riuos humorem inde mutuari necessariò agnosces. Profusus est disertissimus *Leo Magnus* analogiam hanc in se ipso Pontifice Summo sentiens, dum scribit ad Episcopos Viennensis Prouinciæ *Can. Ita Dominus 19. Dist. Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis Saluator instituit, vt veritas, quæ antea legis, & Prophetarum præconijs continebatur, per Apostolicam tubam in salutem Vniuersitatis exiret; Sed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summò principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij intelligeret esse Diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.*

Epist. 99. in princ.

Vt meritò obtenebretur sydus, cui non adfulgeat luminare maius, langueat membrum, in quod vitam caput non influat, arescat riuus, cui fons humorem non præbeat. Prolusit in vmbra Deus, cum aucto populo, & impari ad regendum Mose tulit de Mosis ipsius spiritu, deditque septuaginta viris, qui communicato spiritu regerent, eo in Mose non imminuto, futuram indicans veritate in figurato, veraque Ecclesia, vt ab vno vniuersa manaret potestas, & omnes vnum Caput impertitę sibi potestatis fontem agnoscerent. Indeque in pari Episcoporum dignitate, & ordine iurisdictionis inæqualitas, & Diœcesum, quoad amplitudinem, tam lata disparitas, iurisdictionis enim assignatio ab eo pendet, cui creditum totius Reipublicæ regimen, & qui ita distribuit, prout recta administrandi ratio videtur exposcere. Neque vrgeas, in Ecclesia Aristocratiam Monarchiæ admixtam, optimatesque adesse, qui iure suo, & non commissa Romani Pontificis vice, aut tanquam eius Vicarij, regant; Nam optimates esse debere in Ecclesia rectè quidem infers, at non à solo Deo iurisdictionem habentes, & non à Hierarcha supremo, qui non constituere optimates, aut iurisdictionem eis non elargiri nusquam potest; sed eos inde non consequi communicatam

tam

tam auctoritatem non rectè arguas, idque Hierarchiæ dispositio suadet, quam sic descripsit *Diuus Dionysius*, *Lux Diuinitatis hæc est, per prima media, & per media ultima illuminari*; Cui adstipulatus est Innocentius I. scribens ad Carthaginiense Concilium, & complexus rem totam paucissimis. *A Petro ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis huius emersit*. Alias enim facilè nimis conuulsa, & discerpta foret ecclesia, & laceraretur eius vnitas à Deo ipso impensè adeò optata, & commendata, si æqualitèr à pluribus posset ecclesiastica obuenire iurisdictio, ideòque decuit, vt sicut eius vnus est auctor Deus, & vnus sit dispensator ipsius Vicarius in terris, qui centrum, fons, caput, & sol denominatur, vt inde quid possit, & quousque possit, colligere liceat, absque eo, quod de singularibus simus soliciti, quæ meritò omittimus cum successione Episcoporum in locum Apostolorum aliàs declarata: sicut nec examinandam censemus opinionem illam, quæ Primatum Summo Romano Pontifici liberalitèr concedit, at potestatem supremam non item, sicque titulum sine re. Hucusque enim dicta satis superque eam confutant, & maximè dissertata supra à nobis circa subiectum, in quo resideat ecclesiastica potestas; ideò ad modum succedendi in Pontificatu, eiusque perennandi inter mortales accedimus.



CAP. VI.

De Electione Summi Pontificis.

1 *Modi successionis plures in Principatu.*
2 *Quare in Pontificatu non admissa successio ex stirpe, rationes plures.*
3 *Quare decessor sibi non eligat, aut destinet successorem, rationes.*
4 *Cur admissus modus successionis per electionem.*
5 *Quatenus receptum Populi suffragium.*
6 *Modus electionis altiùs repetitus, & successiuè redditus.*
7 *Quatenus se ingesserit Imperatoris auctoritas.*
8 *An ex concessione Pontificum data ipsis hæc auctoritas.*
9 *Confutantur Canones id asserentes.*
10 *Quandò primùm, & à quo redacta ad Cardinales electio.*
11 *Progressus vsque ad hodiernam electionis formam per reliquum capitis.*

1 Tcumque perennis sit in Republica Principatus, qui ea stante necessariò viget, at non item perennis esse potest, aut est, qui principatum gerat, ideòque deficiente ipso ex statuto naturæ ordine per mortem saltem (ne de alijs modis, quibus imperans deficere potest, loquamur, qui ad effectum, quem inten-

intendimus, in idem recidunt) modus inquirendus est, quo destitutæ capite suo Reipublicæ consulatur. Modi enumerantur quamplures, quibus vacanti Principatui prouideatur, eosque recensuit acuratè *Tholosan.* qui præcipuè sunt, per successionem generis, per electionem, per sortem, per contractum, per destinationem à decessore factam; At in Pontificatu summo tres tantùm veniunt considerandi, qui admittendi, aut excludendi fuerint, ijque sunt; Successio per sobolem, & generationem; Destinatio per decessorem sibi successorem designantem, & Electio, de quibus singulis partitè disserendum, & congruè. Primò itaque sese exhibet sanguinis successio, & ex stirpe, quam quidem ad principatuum, ac regnorum incolumitatem, immò & beatitatem omninò conducere plerique asserunt, nec meliùs, aut diutiùs conseruari regna, quàm ex eadem stirpe propagata successione. Sit quidem hoc in humano Principatu, neque enim id nobis inquirendum impensiùs, at à sacro Pontificatus principatu, Ecclesiæque regno ablegare, proculque abesse hanc prouidendi formam, & meritò, Deus statuit.

De Repub. lib. 7. c. 4. & seqq.

2 Primò enim noua omnia voluit, vbi Ecclesiam suam ad summæ perfectionis apicem perduxit. Noua apparuit Hierusalem, & noua contestatur se facere omnia. Decuit itaque, vt abrogata forma, qua Pontificatus in veteri lege per sanguinis successionem ex stirpe Aron deferebatur, alia substitueretur per electionem; *Translato enim Sacerdotio, & legis translatio fieri debuit*, inquit *Diuus Paulus*. Vnde, nec sine mysterio, humani generis Redemptor noui, ac veteris Sacerdotij institutor, idemque ipse Sacerdos, non ex Leuitica Tribu, cui pridem insitum Sacerdotium erat; sed ex tribu Iuda nasci voluit, vt omnem carnalis successionis vmbram à Sacerdotio suo expungeret, *In quo enim hæc dicuntur*, ait, *Diuus Paulus, de alia tribu est, de qua nullus altario præsto fuit*; eoque respexit *Diuus Hieronymus* relatùs *in Can. Moyses* 8. q. 1. & sanè decuit, vt Sacerdotium, quod gratia, & spiritu eminere debebat, ab omni carnis concretione defæcatum existeret, nec carnale quidpiam, vel minimùm, redoleret. Debuit, & secundò, abesse successio ab euangelico Pontificatu, vt Dei gratia nulli alligata respectui vniuersalior conspiceretur, & vniuersalis Sacerdos ex quacumque natione assumeretur, sicut Ecclesia ipsa sine discrimine omni generi benignissimè panditur; *Non est Iudæus, nec Græcus, non est seruus, nec liber*; & alibi. *Vbi non gentilis, aut Iudæus, circumcisio, & præputium, barbarus, & Scytha, seruus, & liber, sed omnia in omnibus Christus*. Quæ sanè non vigeret libertas, si vni generi addictum staret Sacerdotium summum. Fuisset, (& tertiò) rem maximi momenti, cuiusmodi est Regale Sacerdotium, à quo totius Ecclesiæ regimen pendet, fortunæ committere, ac summæ subijcere incertitudini, quandò non ijdem propagantur mores, non eædem dotes, & (quæ est humana infœlicitas) sæpiùs declinante natura sapientum soboles in stolidos, fortium terminatur in furentes exiguo graduum interuallo. Iuxta adagium, *fily hero-*

Apocalips. c. 21.

Ad Hebr. c. 8.

Ad Hebr. c. 7.

Ad Galat. 3. Ad Colossens. 3.

heroum noxa; non igitur debuit Ecclesiæ Principatus tanto sub discrimine & sanguinis successione deferri. Futurum tandem erat Ecclesiæ Regnum, charitatis, & amoris regnum; rationabile igitur, vt futurus eius Rector de consensu multitudinis, cui præesset, imperaret, vel superioris ordinatione; Sic enim *S. Leo Magnus in cap. in Nomine Domini 23. Dist. Nulla ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi; nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati*. Christus verò Dominus Ecclesiæ caput de Petro sanè ijdem Ecclesiæ prouidit, at non vltra; reliquit curam Ecclesiæ suæ, vt inquit *Anacletus*. *Electionem verò Summorum Sacerdotum sibi Dominus reseruauit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset*. *Can. Electionem 79. Dist.* & ideò exclusa carnali successione debuit Summum Ecclesiæ Caput constitui, quidquid in temporali regno conueniat, vt pluribus nituntur euincere, qui Regnorum successionem tanquam tutissimam prouidendi formam commendant.

Ep. 2. c. 2. Tom. 1. ep. decret. pag. 43.

3 Haud magis autem decere fuit visum, vt Pontifex sibi successorem constitueret, ac designaret; tum quia si hoc non formalem successionem, at saltem aliqualem successionis vmbram præseferret, quam tamen Ecclesia ipsa etiam abhorret, tum etiam quia graue adeò negotium labili hominis iudicio committere periculosum nimis esset, ac vni homini electionem summi Capitis Ecclesiæ credere; Verùm, dicis, non tantum videtur inferre Ecclesiæ discrimen, si Summus Pontifex sibi successorem nominet, ac designet, quando Petrus Clementem sibi in successorem nominauit, vt ex Ioann. III. indicat *Canon. si Petrus 8. q. 1. Linum enim, & Cletum sibi asciuit adiutores* (ait ibi tex.) *non tamen potestatem Pontificij, aut soluendi, & ligandi eis normam tradidit, sed successori suo S. Clementi, qui Sedem Apostolicam post eum, potestatem Pontificalem tradente sibi Beato Petro, tenere promeruit*. Sed hoc parùm officit; Esto enim quod Petrus sibi statuerit Successorem Clementem, sicut & Christus Dominus Petrum ipsum Vicarium post mortem viuens præfecit, attamen hæc extraordinaria sunt, nec in exemplum statim trahenda, plura siquidem Petro, & Apostolis quasi extraordinario iure competere poterant, quæ ad alios nequeunt, aut debent extendi. Addendum, quod etiam si Petrus Clementem sibi destinauerit successorem, attamen non est adeò certum, an destinatio hæc sortita fuerit effectum, & Clemens immediatè successerit, & vt non desunt, qui asserant; attamen longè plura extant testimonia, medios extitisse inter Petrum, & Clementem, Linum, & Cletum. *Irenæus & Hieronymus* idipsum testantur; Idque factum ideò, quia Clemens rem pernitiosissimi exempli in Ecclesia agnoscens, si decessor successorem sibi eligeret, abdicauerit spontè, abstinuerit, vnde in eius vicem Linus, mox & Cletus fuerint electi. Vel, vt ex Ceremoniali Romano colligitur, dici potest, Petrum ex omnibus presbyteris, & diaconis Romanæ Vrbis viginti quatuor elegisse, cum quibus, quasi cum

Lib. 3. edu. hæres. c. 3.

De Script. Eccles. in Clem.

cum Senatu suo, grauiora quæque Ecclesiæ conferret, ac deliberaret, qui viginti quatuor subinde à Syluestro Summo Pontifice Cardinales S. R. E. sunt appellati, eosque Summi Pontificis electores Petrus designauit, vt ex ipsorum numero Pontifex etiam desumeretur. *Can. opportebat. cum nonnullis seqq. 79. Dist.* Petrus itaque instare sibi martyrium præuidens inter hunc viginti quatuor cætum Clementem in successorem Pontificem nominauit; sed ità tamen, Si à Senatu eligeretur, qui agnoscens hanc Petri nominationem detrimentum Ecclesiæ allaturam, si in exemplum admitteretur, Clementem abdicauit, Lino primùm, mox & Cleto electis, & vacante iterum Sede elegit Clementem tunc, cum nominationis esset iam omnis expuncta suspicio, indeque claret Petrum non sibi iure suo statuisse Clementem successorem, sed nominasse potiùs, ac proposuisse eligendum *C. si Petrus 8. q. 1.* in quem sensum, & accipiendus *text. in C. si transitus 79. Dist.* quod postremum de electione perappositè arrideret, si fundamentum euidentius haberet in Ecclesiastica historia; siue igitur abdicauerit Clemens, siue fratribus proposuerit Petrus veluti cum ipsis deliberans, ac de successore optimo agens, vt voluit *Card. Iacobatius*, absonum non esse asserens, vt Papa cum Cardinalibus de successore differat, aliud enim est de successore differere, aliud verò successorem sibi veluti suæ dignitatis hæredem constituere; hoc ratum, quod Clemens Petro non successit, nec inde exemplum potest desumi, vt tanquam modus legitimus præficiendi Ecclesiæ Pontificem arguatur.

De Concil. art. 7. lib. 10. n. 106. Sol. V. adec. arg.

14 Posthabito igitur vno modo, & altero Pontificis constituendi per carnalem successionem, ac per decessoris destinationem, superest tertius à Deo ipso monstratus per electionem scilicet, quando nullus alius in tantæ dignitatis successione considerandus est, puta per sortem, aut si quis alius. Electio igitur meritò præponenda fuit, vtpote modus, qui precedente consideratione adhibitus, cæteris aptior, ac melior sit visus ad Principum creationem, nam, vt inquit *Plinius*, *Traianum imperaturum omnibus*, *eligi debere de omnibus*; iurique maximè videtur conformis hic modus, cum vniuersitate, & corpore, vel collegio constituto statim ius eligendi sibi Prælatum, & Caput consurgat; Decuit igitur, vt & Ecclesia hoc eodem iure eligendi sibi visibile caput gauderet, ac regimini suo per congruum medium consuleret; & electione certè nullum magis congruum, quam præcedit consultatio, & qua eligentes iustissimi, ac probissimi supra cæteros delectum habent. Vnde & sponsi excellentiam exagerans sponsa; *Dilectum suum electum ex millibus*, quasi in laudum cumulum, iactat; hancque ipsam Ecclesiæ vocem fas sit dicere.

In Paneg.

Cantic. cap. 5. 10.

15 Itaque post Petri obitum successionem in suprema Ecclesiæ Sede ita fuisse dispositam certum est, vt à Clero, & populi suffragijs electio fieret. Quod dicimus de populi suffragijs ita accipimus, non vt electionem à populo factam credamus, sed postulante ipso, aut acclamante; quo iure enim populo sublimis huius gradus dispositio competierit non discernimus. Supernaturalis siquidem tota est hæc potestas, & immediatè

diatè à Diuina manu excelsus hic gradus, ad quæ supernaturalia, ac Diuina nemo sibi ius, vel minimum, adrogare potest, nisi desuper sibi concessum habeat, & ostendat. Vbinam autem aut à Christo Domino, aut à Petro, aut ab Apostolis (neque enim huius concessionis alios licet comminisci fontes) populo tantum iuris concessum vnquam constat? præsentiam, & assensum ratio vtique suadet, ne inuitis quis præficiatur in eo principatu, in quo regnare cum primis charitas debet, testimonium etiam, & vt dignè collocetur dignitas, & vt populo ipsi sit aptè consultum; at eligendi ius neutiquam. Verùm de hoc populi iure ad sacrorum ministrorum, & Pontificum electionem alibi opportuniùs, & exactiùs. Nunc ad rem.

6 Quam igitur exhibuerat spectandam Ecclesiæ suæ primigeniam formam, hanc ipsam continuando imitatum & Diuum Petrum consentiunt scribentes: sicut enim Caput ipse Christus Apostolos habuit coadiuuantes, & discipulos, ita & Petrus, ex quo Apostoli ad fidem propagandam, & Ecclesias erigendas in varias Orbis partes erant dispersi, ex presbyteris, & Diaconis Romanæ Ecclesiç aliquos delegit, qui sibi assiderent, inter quos præcipui fuere Linus, Cletus, & Clemens, & tanquam senatores consilio, & opera adiuuarent. Ad hunc ergo Senatum in primordio Pontificis electio pertinuit. Verùm, vtcumque à Christo primo auctore, & Petro eius Vicario recens hic idem Senatus, humanum tamen quidpiam pati cępit adeò, vt paulò post Syluestri tempora (sub quo cępit Ecclesia & auctoritate, & temporalibus bonis gaudere) iurgia, ac dissidia inter hosce Senatores pullularint, ad quæ submouenda, & reliquus Clerus Romanus, & populi testimonium fuit adiectum in Pontificis electione, prout indicat *Can. factus 8. q. 1.* Vbi hæc ex Cypriano translata verba in Decretum, & Gratiani rapsodiam; *factus est* (ait ibi Cyprianus) *Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, de Sacerdotum antiquorum ac bonorum virorum Collegio &c.* Idque ideò primùm, vt compescerentur Clericorum dissidia; tum (& secundò) vt pluribus ad tantam electionem, sed ratione diuersa, concurrentibus, virtutes, & vitia ipsius eligendi, si quæ essent, detegerentur *Can. reliqui 67. Dist.* & demùm ne plebi inuitæ Pastor præficeretur; *Nullus inuitis detur Episcopus; Cleri, plebis, & Ordinis consensus, & desiderium requiratur in C. Nullus 61. Dist. ne Ciuitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit; legitur in C. fin. 63. Dist.*

7 Verùm, vt humana omnia vergunt in decliue, hoc ipsum, quod per plurium concursum fuerat electioni Summi Pontificis adhibitum in remedium, remedio indigere cœpit; vbi enim plurium concurrunt desideria, facilè nimis ad factiones, & tumultus res redigitur. Orto schismate tertio, quo Vrficinus Damaso legitimo Pontifici oppositus, Valentinianus Imperator vir religiosus, ac pius, partes Damasi iustè fouit, & Vrsicino ab Vrbe pulso, Damasum ipsum in Sede confirmauit, & ex tunc Imperatorum auctoritas sub recti specie in Pontifi-

cum

cum electione cœpit interponi: primò quidem (vt mox dictum) à Valentiniano inter Damasum, & Vrsicinum; mox ab Honorio inter Bonifacium, & Eulalium, quo reiecto ille Apostolicam Sedem pacificè retinuit: mox à Theodorico inter Symmachum, & Laurentium, qui cum expulsus esset, & stabilitus in Sede Symmachus, demùm Basilius præfectus Prætorio, & vices agens Odoacris Regis constituit, ne quis in locum demortui Romani Pontificis eligeretur sine ipsius consultatione, *Can. 1. 96. Dist.* quæ sanè constitutio, vtcumque ad quietem, & tranquillitatem directa, attamen quia pocessit à non habente auctoritatem in Ecclesiasticis, reiecta, & improbata fuit in tertia Romana Synodo, cuius constitutionis, quatenus & respiceret rerum Ecclesiasticarum alienationem, eodem inualiditatis nomine meminit *Innocent. III. in C. Ecclesia S. Mariæ. De Constit.* in ea tertia Synodo pleraque sunt constituta, quæ ad rectam Romani Pontificis electionem conferre videbantur, de quibus *Baronius*. Hucusque Sæcularium auctoritas in schismate colore promouendæ quietis in Romani Pontificis electione se ingessit; Verùm procedente tempore, & citra schisma, eandem auctoritatem sibi adrogare contenderunt Imperatores. Vnde Iustinianus primùm, vel eo volente Vigilius si Onuphrio Panuino credimus, constituit, vt secuta Romani Pontificis legitima electione, electus non ante posset consecrari, aut ab Episcopis ordinari, quàm ab Imperatore Constantinopolitano, vel eius Exarcho confirmaretur, ipseque literis suis facultatem electo Pontifici concederet;

Anno 499.

gliscentem enim Romani Pontificis auctoritatem verebatur Imperator, & timebat, ne noui alicuius Pontificis opera, distantibus præsertim ab Italia Imperatoribus, Vrbs, & Italia tota deficeret, finitimisque barbaris se dederet. Hinc apud Platinam commemoratum sæpiùs legimus in Pontificum electione iussum, vel iniussum Principis, vt præsertim in Pelagio II. Perdurauit mos iste vsque ad tempus, quo electus fuit Pontifex Benedictus II. Vir omni virtutum cultu ornatissimus, qui à Constantino Pogonato id obtinere meruit, exorante Clero, populo, immò & Senatu ipso, quod Sanctissimi eius Præcessores consequi non valuerunt, vt scilicet pristina libertas Ecclesiæ Romanæ redderetur, & qui in Romanum Pontificem esset electus statim posset consecrari, nulla ampliùs expectata confirmatione, aut approbatione Imperatoris.

8. Iterum verò Hadrianus huius nominis primus Summus Romanus Pontifex, ob egregia in Romanam Ecclesiam, & Catholicam Religionem merita, hoc ius eligendi Romanum Pontificem in Carolum Magnum Gallorum Regem, & Imperatorem transtulit, approbante Romana Lateranensi Synodo ex centum quinquaginta trium Episcoporum consensu, ratus, rem longè meliùs processuram, proculque à turbis, si per Summum Principem peageretur. Hanc concessionem ex Ecclesiastica Historia retulit *Gratian. in Can. Hadrianus 63. Dist.* cui postea renunciasse, eamque Romanæ Ecclesiæ restituisse Ludouicum Pium eius filium, & Imperatorem regerit idem *Gratian. in Can. Ego Ludo-*

Ludouicus. *Ead.* 63. *Dist.* Vnde mos hic vetus eligendi Romanum Pontificem per Romanam Ecclesiam apud eandem permansit vsque ad Leonem Octauum, qui electionem Romani Pontificis transtulit in Otthonem Primum Germanorum Regem, & Successores eius *Can. in Synodo.Ead.*63.*Dist.*

9 Cęterùm hos Canones, quos ex Gratiani Decreto retulimus, & per quos translatum probatur ius eligendi Romanum Pontificem in Imperatores, fundatè reiecit *Baronius*, ac deceptum Gratianum parùm considera tè rapsodiæ suæ inseruisse conuincit, auctorem imposturæ (sic enim eam appellat) detegens Sigebertum Monachum in sua Chronologia; qui viuens, & scribens tempore Henrici Imperatoris obliquum valdè se exhibuit in Gregorium VII. Sum. Pontif. cum quo tot dissidia extitere ob Ecclesiarum, & Episcopatuum inuestituras, quas sibi vindicare, & adrogare Henricus contendebat, cui vt placeret, in fine suæ Chronologiæ scripsit, Hadrianum Primum Summ. Pontificem concessisse Carolo Magno Imperatori Romani Pontificis electionem, & Episcopatuum inuestituras: hæc scripsit ipse anno 1112. post annos trecentos triginta octo à concessione huiusmodi facta; cum tamen ex Auctoribus eius æui nullus meminerit, quàmuis res esset valdè insignis, ac notabilis: tempore Caroli Magni non defuere, qui scriberent; descripta fuit eius vita, & tamen nec verbum de huiusmodi concessione; Eginarthus lateri Caroli semper adhæsit, & fuit ei à secretis, ac vitam ipsius scripsit, & tamen apud eum huius concessionis nullum vestigium. Prætereà commentitiam synodum illam Romanam euincit Baron. per coniecturas quamplures, sed præcipuè ex ea consideratione, quod si vera esset illa Synodus Romana, quam generalem fuisse asserit Sigebertus, iam non quater (vt scribit expresè Eginarthus,) sed quinquies Carolum Romam venisse dicendum esset, quod nullus auctorum scripsit; vnde fidere præstat pluribus auctoribus eius æui, quàm vni credere Sigeberto ad intentum suum quintum aduentum comminiscenti, quem etiam suspectæ fidei obseruauit Bellarminus de Scriptoribus Eccles. & mentitum testatur quamplura ob studium in Henricum Imperatorem, cui vt blandiretur, id audactèr excogitauit, quod nusquam antea legitur traditum. Nouatoribus placuit maximè hoc commentùm, vt sęcularis potestatis propriam assererent Romani Pontificis electionem; & post Baronij obitum erupit Melchior Goldastus in rationalibus Imperialium constitutionum, qui acritèr rem hanc pertractauit contra Baronium, pro quo stetit Iacobus Gretserus, qui tum respondendo, tum replicando rem totam confecit, & veritatem aduersus Goldastum propugnauit, ad quem lectorem remittimus. Mirum sanè Romanos decreti, & Gratiani correctores commentitium Canonem non vidisse; sed quandòque bonus dormitat Homerus; Eandem imposturam ostendit *Baronius* circa *Canonem in Synodo.Eadem* 63. *Dist.* quatenùs in eo à Leone VIII. eadem concessio facta legitur Otthoni, quam Hadrianus fecerat Carolo; sed commentitiam conuincit Synodum, commenticium decretum prout pluribus apud eum, nec enim omnia huc nobis

Tom.9. Annal. Anno 774.

Tom.9. Annal. Anno 774.

bis sunt transferenda. Sed esto, quod essent vera, quæ Sigebertus, & Gratianus de concessa Carolo Romani Pontificis electione scripserunt, (quod non concedimus) adhuc tamen competere Imperatori iure suo, non posset inferri, sed vtique beneficio alieno, quod subinde reuocatum constat, & libertatem suam Ecclesiæ restitutam. Hæc obiter; prosequamur Pontificis electionem.

10 Cum igitur turbæ adhuc, atque dissidia in Pontificis electione excitarentur, Nicolaus Secundus summæ Vir sanctitatis, & prudentiæ, vt quieti, & tranquilitati consuleret, Concilium Lateranense conuocauit, in quo legem condidit, de electione Romani Pontificis à Cardinalium Senatu peragenda, qua per Cardinales peracta, clerus reliquus, & Populus eam approbaret; Saluo tamen honore, & reuerentia Henrici Imperatoris, vt colligitur ex fusissimo *Can. 1. 23. Dist.*

11 Hæc eligendi forma durauit vsque ad Alexandrum Tertium Romanum Pontificem, qui & tempore suo schismata expertus fuerat, quæ passim exoriebantur; vnde statuit in Concilio generali Lateranensi, vt is demùm electus Pontifex censeretur, in quem partes duæ ex tribus Collegij Cardinalium consensissent, vt habetur *in Cap. licet. 6. de elect.* idque singulariter in Romano Pontifice statuere se protestatur, supra quem nullus est superior, qui valeat cognoscere; tex. apertissimus, & vulgatissimus est, nec habet opus explicatione maiori. Per hanc autem Alexandri constitutionem videtur fuisse populus ab electione Summi Pontificis exclusus; quamuis *Azor.* incertum, & obscurum valdè asserat, quandònam populus ab hoc iure fuerit explosus, cum, & post Constitutionem Nicol. II. *in C. In Nomine Domini* constat aliquos electos Pontifices à Clero, siue Clericis Cardinalibus cum assensu, desiderio, seu voto populi. Onuphrius verò censuit tempore Innocentij Secundi cum Populus Romanus tanquam Pontificis rebellis fuisset anathemate notatus, tunc primùm etiam fuisse ipsi ademptum ius concurrendi in electionem Pontificis ad solos Cardinales redactam; vnde Celestinus Secundus, qui proximè Innocentio successit, per solos Cardinales sine populi interuentu fuit electus; Attamen non fuit vnquam totalis populi exclusio, nisi vbi electio ad Conclaue fuit redacta, quod præstitum à Gregorio Decimo in Concilio Generali Lugdunensi ad euitanda diutinæ vacationis incommoda, & ad ambitum declinandum, cuius constitutio legitur *in C. Vbi periculum. de elect. in 6.* in qua tota forma electionis descripta diligentissimè habetur. Huic constitutioni plura adiecit Clemens V. in Concil. Vienens. & habetur *in Clem. Ne Romani. eod. tit. de elect.* aliqua Clemens VII. *in Constitutione sua*, quæ incipit *Cum Carissimus in Bull. nouo p. 497.* Paulus IV. *Constit. 16. in eod. Bull. tom. 1. p. 599* Pius IV. *Constit. 63. in Bull. nou. tom. 2. pag. 68.* incipit *in eligendis* & demùm Gregor. XV. *in Constit. sua 13.* quæ incipit *Aeterni. Bullar. tom. 3. pag. 291.* qua formam, & modum electionis in omnibus diligentissimè præscripsit, & *Const. 19.* quæ incipit *Decret. pag. 291.* Ceremoniale pro electione ipsa edidit,

Inir. mor. Tom. 2. lib. 4. c. 2. q. 4.

ex

ex quo tota forma electionis minutissimè habetur descripta; Hanc ipsam nouissimè confirmauit Vrban. VIII. *Constit. sua 45. tom. 3. Bull. p. 61.* eaque seruatur; sicut, dum hæc scribimus, factum videmus, vacante Pontificia Sede per obitum Sanctissimi Clementis IX. qui non respiciens carnem, aut sanguinem, verè Pater, verè Pastor rexit Ecclesiam: Verissima, licèt breuissima laus, (cum Tertuliano) de sui breuitate facunda.

CAP. VII.

De Sæculari Iurisdictione, & temporali Dominio Summi Pontificis.

1 *Quæ contra afferantur à Sectarijs, & eorum opiniones variæ.*

2 *Vnio vtriusque Potestatis compossibilis in eodem ostenditur à Mundi primordio, & successiuè.*

HVCVSQVE connaturali auctoritate, & potestate propria instructam Ecclesiam, ac munitum Pontificem summum exhibuimus; Iam nunc superadditā potestatem, aduentitiamque ditionem aggredimur, qua quidem sicut eminet Ecclesia, & pollet Pontifex, ita vtrique congruam, & competentem suspicimus, idque ipsum demonstrandum assumimus.

1 Pungit, immò altè vulnerat recentiores sectarios temporalis potestas, ac temporale dominium, quo vallatum Summum Pontificem vident, quasi non contenti impetijsse lingua, & stylo fiderent vi, ac impetu posse prosternere, si inermem, omnique temporali destitutum ope possent inuadere. At prouidè consuluit Deus Ecclesiæ suæ; nec satis censuit promisisse in Isaiæ vaticinijs nutritios, ac defensores Reges, *Cap. 49. 23.* nisi & eorundem Principum excitasset pietatem, qui regna, ac imperia grata liberalitate munerando tribuerent, vt fortior, adeòque augustior Ecclesiæ adoraretur Maiestas. Hanc toruo intuentur oculo sectarij (sed oderint, dum metuant,) & iniquis labijs in ipsam latrando consurgunt. Indignantur cumulari in vno, & eodem capite disparatas omninò, ac pugnantes inuicem potestates; sic enim præ cæteris Caluinus, qui nec asserere veritus, nedum in nouo, sed nec in veteri Testamento cumulatas vnquam huiusmodi potestates. Mitiùs de potestatum pugna, aut repugnantia sensere alij, nec tamen admittunt earum in eodem regente vnionem, sed vt virtute, ita & subiecto optauere disiunctas. Præiuit omnibus in ea sententia *Marsil. de Padua*, qui duas potestates distinxit *In defens. pac. p. 1. c. vlt.* spiritualem scilicet, & temporalem discretas adeò inuicem, vt & inuicem asseruerit independentes, indeq; intranquillitatis, & dissidij profiteatur originem, quod Summus Pontifex plenitudinem potestatis etiam in sæculi Principes sibi adroget; pugnare tamen inuicem potestates, vt voluit Caluinus, non asseruit, & inde nouus error sectarijs: Aliqui enim temporalem negarunt Pontifici, & spiritualem dedere Regibus, ac Principibus sæculi tanquam temporalis appendicem, ac planè con-

sectariam ad perfectum regimen. Nos singulis hisce posthabitis, vel dilatis, temporale dominium non repugnare Pontifici Summo, temporalemque potestatem ostendere pro viribus nitemur, Imperij altius, ac planè primordiale scrutantes, ac detegentes principium.

2 Post omnia condita iam deformando homine deliberat Deus, *faciamus hominem &c.* vixque meditatur tantum figulare opus, quod simul imperium, ac potestatem molitur ità, vt de manibus opificis Dei homo, & cum eo Principatus erumpat; *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestijs, vniuersæq; terræ.* Quàm latum Principatus ambitum, & amplam Imperij spheram! Variè in assignanda hac Dei imagine, ad quam conditus homo, sentiunt sacri interpretes; Verùm ad rem aptissimè, Basilius, Gregorius, Nyssenus, & præcipuè Chrysostomus imaginem Dei in homine de Principatu exponunt. Vnus pro omnibus *Chrysostomus* ipse. *Neque enim cum dixit, faciamus hominem, secundùm imaginem nostram, & secundùm similitudinem hìc sermonem finiuit; sed per ea, quæ adiungit, manifestum nobis facit, quo sensu nomen imaginis posuerit; quid enim dicitur? & dominetur piscibus maris, & volatilibus Cæli, omnibus reptilibus super terram. Imaginem ergo dixit de Principatu, & dominatione, non de alio aliquo, quia Deus fecit hominem Principem omnium, quæ sunt super terram, & nihil super terram homine maius est, & omnia sub potestate illius sunt &c.* Vix autem imaginari licet Principatum sine Imperio, vt inde agnoscamus eadem hominis, ac imperij cunabula; immo ipse Dei verborum contextus confirmat, cum enim dixisset; *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* quasi explicans, in quo ea sita esset, subdit, *& præsit piscibus maris, & volatilibus Cæli.* At verò non satis fuit visum, dixisse *ad imaginem,* sed additur adhuc, *& similitudinem nostram,* vt scilicet potestas imperio externo longè sublimior, & subtilior indicaretur concreata homini, qua sibi met ipsi (fas sit dicere) spiritualiter, & intrinsecùs anima imperaret; idem *Chrysostom.* elegantèr: *sicut imaginem dixit ob Principatus rationem, ita & similitudinem, vt pro viribus humanis similes fiamus, mansuetudine (inquam) & lenitate, & virtutibus Deo similes efficiamur, quod & Christus dicit; similes estote Patri vestro, qui est in Cælis. Nam quemadmodum in terra hæc spatiosa, & lata animantia alia mansuetiora sunt, alia ferociora, ita in latitudine animæ nostræ cogitationum aliæ sunt magis pecuariæ, & irrationales, aliæ ferociores, & agrestiores. Domandæ igitur illæ sunt, & rationis imperio magistrandæ &c.*

Genes. c. 1.

Homil. 10. de Homin. construc. Homil. de Creat. Hominis. Homil. 8. in Genes.

Homil. 9 in Genes.

En connata homini imperia, quorum alterum in res, animalia, & corpora, alterum in se ipsum, ac sui passiones exerceat; ex eo autem, quod de imperio in homines nihil dicatur, inferendum non est ab Imperio hominis homines ipsos excludi, quandò vel in ipso innocentiæ statu (si perdurasset) hominem homini imperaturum suadet ratio. Homo siquidem sociale animal, & ad conuictum naturæ instinctu procliues, multi-

multiplicato humano genere, in quocumque statu vitam communem & appetijsset, & elegisset, quo casu ad confusionem euitandam in ingenti multitudine ordo aliquis ex ratione recta fuisset instituendus, & subordinatio inferiorum cum superioribus, imperantium cum exequentibus imperata: si enim inter Angelos, qui homine longè præstantiores, hæc viget superiorum, & inferiorum series, qua superiores imperent, inferiores iussa capessant, nec impar erit in humana natura necdum corrupta, hoc ipsum imaginari imperium, & eius vsum. Quod enim vxor subiecta est viro, & filius patri naturæ fuisset ordo, quem innocentiæ status non excludebat, fuissetque Principatus in liberos homines voluntarius, & iucundus, non coactus, aut grauis veluti in seruos, isque qualem descripsit *Augustinus: Neque enim iusti* (inquit) *dominandi cupiditate imperant, sed offitio consulendi, non principandi superbia, sed prouidendi misericordia. Statim igitur ac conditus homo* (pulchrè *D. Basilius*) *etiam Princeps conditus est*; moxque inferiùs. *Prima nobis coelecta, & contributa imperandi facultas. Imperiale es animal ò homo!* Imperio igitur inauguratus eo ipso, quo conditus homo, auctorem, ac conditorem suum agnoscit, ac statim sacrificio subiectionem suam contestatur eodem inspirante, quo & conditore Numine, vt censet *Hugo de S. Victore*, & in eodem imperium, ac sacerdotium cumulante. Sacrificasse siquidem primum hominem pro indubio habet *Perer.* sacrificandi posteris suis primus etiam auctor, & doctor, quamuis sacrificij eius non meminerit scriptura, ne in eodem, & peccati, & sanctitatis, ac religionis spectaretur origo. Adæ succedunt filij duo, quorum alter primus etiam fuit vrbis conditor ciuibus imperaturus, & sanè sacrificat vterque edoctus à patre, vt corde dispari, ita & inæquali exitu. Pergamus, ac penè deleto humano genere reducem à catachlysmo intuebimur Noe superstitis familiæ, ac reliqui humani generis Principem, eumdemq; primum erigentem altare, & holocaustum sacerdotali auctoritate gratissimè incendentem. Ab vmbra iam ad clariora; & occurrit Melchisedech Rex Salem, idemque sacerdos Dei altissimi, qui in futurorum figuram panem, & vinum, quasi proludens futuro augustissimo Sacrificio, obtulit: neque hic curiosiùs inquirimus, vtra potior, & prior esset in eo dignitas Sacerdotij, an Regni? sat enim in eodem cumulatam vtramque quamuis ex Diuo Paulo, Christus Dominus Sacerdos solùm, non item Rex secundùm ordinem Melchisedech dicatur, nec immeritò; cum regnum non à Melchisedech, sed iure sanguinis ex tribu Iuda, cui non competebat Sacerdotium, haberet.

Progredientibus iam obuius Moses, qui populi Princeps sacrificia obtulit tanquam Sacerdos, & tanquam Pontifex Aaronem fratrem Pontificatu inaugurauit; vnita hæc omnia testatur *Philo Iudæus* vitam Mosis eo elogio disertissimè claudés; *Huiusmodi fuit vita, obitusque Mosis Regis, legislatoris, Ducis, & Pontificis, sicut sacris literis traditur*. Si variam Iudaicæ Reipublicæ politiam lustremus, hanc ipsam munerum coniunctionem spectabimus indi-

Lib. 19. de Ciuit. Dei c. 14.

Homil. 10. Hexamer.

In Genes.

Lib. 7. in Genes. in c. 4. vers. 2.

De Vita Mosis.

indiuisam. Iudicum tempore præfuit Heli, idemque sacerdos; Samuel vir Dei cultui addictus, nec minùs eius filij Ioel, & Abdias, quam vnionem, tanquam ex rectæ rationis dictamine, seruauere & Gentiles; vnde apud Virgilium.

Lib. 3. æneid. in princ. *Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.*

At quia nouit Deus futurum, vt abutentes exemplo, & re, & stylo assererent, Reges naturaliter ius habere ad spiritualia, politiam ad nauseantis populi votum immutans, Regem quidem dedit, at ab eodem sacra tractari abhorruit: & extincta demùm Regum serie, ad sacerdotes, & Pontifices redijt populi regimen, Nehemia reparante Hierusalem, ac præsidente operi inter Principes Sacerdote Eliasib. Ventum tandem ad Machabeorum æuum, quo depressa, ac penè expirans Iudæorum Respublica, quasi facta crisi, ægritudinis suæ (vt pulchrè considerat Salian.) modicis leuamentis cœpit reualescere; surrexit enim Mathatias non politicæ tantùm, sed & sacræ militiæ Dux, isque Pontificatum simul, ac Principatum gessit, idemque fecere cæteri vsque ad Herodem; Ex qua repetita serie à mundi primordio iam licet intueri, se compati fæliciter in eodem spiritualem potestatem, & temporale dominium, quandò, Deo inspirante, ac disponente, cum in lege naturæ, tum in lege scripta, vtrumque in eodem coaluit; nec minùs id decere in lege gratiæ, & in statu Euangelij perfecto, in quo nulla ab auctore Christo manauit prohibitio. Non pugnant inuicem spiritualis potestas, & temporale dominium, cum vtrumque à Deo, & bonum vtrumque, neque pugnam inde arguere fas est, quòd supernaturalis illa, naturale hoc; nam facit quidem hæc differentia diuersa, at non contraria; supernaturalia enim non perimunt naturalia, sed perficiunt, eleuant, & attollunt, sicut de charitate perficiente virtutes morales alias obseruauimus, & de gratia diuina naturalia non perminente compertissimum est, sed cum ijsdem se fœlicitèr compatiente; indeque licet concludere, quod si charitas, & gratia non pugnant ita, vt non possint in eodem consistere simul, nec pugnabit spiritualis potestas, quò minùs possit cum temporali dominio, & potestate cumulari; quod si non est implicantia ex natura rei, erit demùm ex Diuina constitutione, cum idem Deus vtriusque potestatis sit auctor, & fons, quod tamen hucusque factum non videmus, nec interdicentem diuinam aliquam constitutionem hactenus legimus: at quæ obijciant sectarij non pigeat audire.

Hugo Grot. de imperio Sum. Potest. ad Sacra.

1. Reg. c. 1.

Esdr. lib. 1.

Anno Mundi 3888. n. 4. in Epitom.

CAP. VIII.

Quæ contra temporale dominium, & sæcularem iurisdictionem Summi Pontificis.

1 *Arguitur ab exemplo, & verbis Christi Domini.*

2 *Soluitur gemina ex verbis Christi auctoritas.*

3 *Arguitur ex facto Christi, & Patrum dictis.*

TOR-


ORQVET infensos hæc tẽporalis amplitudo summi Pontificis, eorumque oculos miserè afficit sæcularis hic splendor, ac proinde ingenium acuunt, & quem viribus nequeunt deijcere, stilo, & sermone impetunt. Quidquid igitur fuerit in lege naturæ, vt potè rudi in ipsa Orbis infantia, quidquid in lege scripta non curant, legem enim vtramque compleuit, perfecit, ac emendauit lex Euangelica, & lex gratiæ. Cumulata igitur fuerint in vtraque lege sacerdotium, & Imperium, correxit hoc ipsum Christus, & sicut plura tunc licita perficiendo illicita reddidit, ita hanc ipsam sacerdotij, & imperij vnionem emendando expunxit, non quidem scripto aliquo, aut enunciato præcepto, sed (quod longè magis est) facto suo, quo nil magis abdicasse, aut respuisse videtur, quam Regnum, quàm dominatum, idque in suorum, & præsertim perfectiorum exemplum.

1 Quid enim apertiùs potuit in ea verba profiteri, quàm Regni abdicationem *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*; nec sine re hoc dictum apud Matthæum ex occasione filiorum Zebedæi petentium locum in Regno Christi, quasi deceptos argueret in eo, quod regnum, & temporalem ditionem sibi suaderent, à qua distare nimiùm, & regnum suum, & suam potestatem, & fratres ipsos, & discipulos docet; Nec minùs apertè, cum è turba erupisset quidam, ac ad diuisionem fratrem suum prouocasset Christum Dominum alloquitur. *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*. Huncque tanquam quid minùs proprium petentem reijcit Iesus dicens. *Homo; quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* vt temporale Regnum, & temporale munus non poterat apertiùs excludi.

Matth. c. 20. *Lucæ c. 22.* *Lucæ c. 12.*

2 At verò nimis est ex redditis Christi verbis reiectum deducere dominatum, exclusum omninò imperium arguere; primis namque Christi verbis modum potiùs, siue rationem regendi carpit, quàm regimen interdicat. Reges gentium proponit discipulis, vt eorum mores in regendo obseruantes ipsi è contra declinare eos studeant, & vbi cum fastu, pompa, & rigido imperio eos præesse cernerent, ipsi cum charitate, humilitate, & mansuetudine regant, tanquam pastores, & patres, non tanquam profani Reges Deum, & eius veram fidem ignorantes. Nec magis dominatum, aut publicum iudicandi munus exclusit, cum ait. *Quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Et meritò quidem; Pontificis enim partes principaliter gerens in Mundo iudicis, & diuisoris munus respuit. *Benè terrena declinat (inquit Ambrosius) qui propter Diuina descenderat*. Nisi velimus id maximè tunc intendisse, vt reges, maioresque Principes moneret, ne dimissis grauioribus curis, ad leuiores se demitterent, sed illas maximè procurarent; quod ipsum fuit monitum à Hietro Mosi iam fesso datum; vel lubeat considerare, Christo Domino in medio se comprimentium turbarum docenti discipulos, & grauioribus intento, ac de Dei prouidentia loquenti

Comment. in Luc. c. 12

quenti

quenti parùm opportunam fuisse visam diuisionem inter fratres petitam; *Non igitur quid petas* (subdit vbi supra *Ambrosius*) *sed à quo postules intuendum est*; *Nec coram maioribus intento animo putes minoribus obstrependum*; inopportunitatem ergo potiùs arguit, quàm munus recuset; sua omnibus congrua debentur momenta. Verùm, vt liceat verba Christi exponendo declinare, at facta non item eludere.

3 Tentauit populus facere eum Regem, & vitauit fugiens in montem; fuga abdicat Regna, & Pontifices Summi Christi imitatores regna, temporalesque ditiones accipient, ac iisdem se implicabunt? magis mouere debent exempla, quàm verba. At vbi exemplis consonant verba, ambigere nefas. Fugit Christus ab oblato, vel meditato sibi Regno, suumque aliunde, & alibi profitetur. *Regnum meum non est de hoc Mundo*; *Si esset Regnum meum de hoc Mundo Ministri mei &c.* Nedum autem Regno, immò & temporalibus, & quod magis est, necessarijs omninò caruit se ipso teste. *Vulpes foueas habent, & volucres Cęli nidos*; *filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.*

Ioan. c. 6.

Ioan. 6.

Ioan. 18.

Matth. c. 8.

Demùm Petrum in Ecclesiæ suæ perpetuum caput substituit; & quale ipsi tradidit, assignauitue Regnum? quales prouentus? quales opes? Nil aliud ei dixit. *Pasce agnos meos*; *Pasce oues meas*. Pastorem vnico verbo creauit, & qualem Pastorem si scire velis, *Chrysostomum* adi, & audi; *Bonus Pastor* (inquit,) *& talis qualem Christus vult, cum innumeris componi potest martyribus*; *siquidem martyr semel propter ipsum moritur*, *hic verò millies propter gregem*, *si modò talis sit Pastor*, *qualem esse oportet*, *talis enim Pastor singulis diebus mori potest.* I nunc; & ex commissa ouium pastura assignata Regna, credita sceptra argue. Vidit apprimè *Bernardus*, alloquens enim Eugenium pridem eius alumnum, moxque Pontificem, ait; *Interdicitur Apostolis Dominatus*, *I ergo tù*, *& tibi vsurpare aude*, *aut Dominans Apostolatum*, *aut Apostolus dominatum*. *Ab alterutro sanè prohiberis*, *& si vtrumque voles*, *vtrumque perdes*. At quid congerimus exempla, aceruamus testimonia? Summi ipsi Pontifices ingenui sanè testes, dum inter rubricas iuris, quod Ecclesiæ constituunt, eam inseruere; *Nè Clerici*, *vel Monachi sæcularibus negotijs se immisceant*: Legem, quam Clericali statui præscribunt, primi ipsi seruent; cum naturalis sit regula; *Quod quisque iuris in alium statuit*, *hoc & ipse vti debet*, *l. 1. ff. Quod quisque iuris.*

Homil. 29. in Epist. ad Roman. in fin. moral.

Lib. 2. De consideras. c. 6.

De Christi regno, & temporali Dominio. Excursus.

1 *De Regno Christi opiniones variæ.*

2 *Quod Regnum Christi dubium, & vt Dei filius, & vt homo Rex spiritualis.*

3 *Nullum ei temporale regnum, nullo-*

nulloque titulo, & enumerantur successiuè singuli.

4 *De Dominio Christi haud dissimilis inquisitio.*

5 *A quo titulo Christi Dominium.*

6 *Quale propriè Christi Dominium.*

7 *Dominij celebris partitio, indeq; Dominium Christi cum quolibet alio compossibile.*



ONTEMPTVM, ac declinatum à Christo Domino Regnum, aperta paupertatis professio, vel (si malis) confessio, de Regno, & Dominio eius iustam disquisitionem ingerunt, disputationemque excitant celebrem, & insignem. Esto siquidem, quod Christus Dominus in carne degens temporale aliquod non gesserit Regnum, adhuc tamen inquirere fas est, an ius saltem ad Regnum habuerit? hæcque de Regno Christi perplexitas varias excitauit sententias pro vario opinantium, & scopo, & studio.

1 Negarunt temporale Christi Regnum & Sectarij, & Catholici plurimi; hi veritatis studio, illi odio, & metu, ne semel admissum in Christo temporale aliquod Regnum, idipsum demùm in Pontificem Summum redundet, ac iusta serie descendat. Negarunt alij actuale regnum, & temporale dominium, at ius hæreditarium ad Regnum Israel asseruerunt, debitum iure sanguinis sustinentes, sicque Regnum quidem actu, & possessione negant, iure sanguinis, & successionis admittunt. Nos disputationem declinantes tangemus, quæ certa de Christi Regno, dubia disceptantibus relinquentes. Indubium igitur illud primum est; Christum tanquam verum Dei filium fuisse semper omnium creaturarum regem non secus, ac Patrem.

2 Est hoc Regnum æternum, Dei proprium, hominum regna non turbans, aut tollens, non Pontifici, non alij communicabile. Nec minùs certum, fuisse Christum, vt hominem, spiritualem Regem omnium hominum, ac proinde habuisse amplissimam spiritualem potestatem in omnes nedum fideles, sed & infideles respectu salutis æternæ. Exiftet hoc Christi spirituale regnum etiam post supremam iudicij diem sensibile, & apertum, cuius Regni gloria tunc cæpit, cum Christus ipse à mortuis resurrexit. Vtrumque hoc Regnum Christi solius proprium, nec eius Vicario communicabile; Huius Regni potestas ad omnia est peruia, omnibus adest, & de Regno tanto apposite *Ambrosius*. *Benè ergo Magnus, cuius virtus Mundum repleuit, qui vbique est, & erit semper, quia Regni eius non erit finis*, & supponit hoc Regnum resurrectionem.

3 Potuisset nihilominus, si ita ei fuisset placitum, & expedire fuisset visum, Christus Regnum temporale assumere, & Regiam cum eo potestatem, siue auctoritatem: at verò noluit, & ideò non solùm non habuit vsum, aut possessionem temporalis Regni, sed nec potestatem, vel auctoritatem, si enim habuisset, aut habuisset iure sanguinis, aut hæreditariæ successionis, aut electione, aut iure belli, aut demùm patris sui æterni munere, quorum nullum asserere possumus. Non enim habuit hæreditaria successione, quia non

non est certum, an Christus Dominus ita esset proximus gradu, vt Regnum Israel ad ipsum spectaret, cum alij essent plures, qui gradu ipsum possent antecedere; immò defecerat iam linea Dauid, & Regnum ex eius familia exierat, vaticinatumque iam fuerat ex Iecomia, neminem regnaturum; temporalem scilicet successorem, Christus autem ex hoc ipso Iechonia veniebat, aut igitur falsa prophetia, quod nefas asserere, aut Regnum Christus non obtinuit hæreditaria successione, vtcumque cum ex parte Sanctissimæ Virginis Matris, tum ex parte S. Ioseph putatiui Patris ex stipite Dauid originem traheret, vt in apparatu suo ad Annal. Ecclesiasticos scribit Baronius; vnde & quod prænunciatum fuerat per Angelum salutantem Beatissimam Virginem. *Dabit illi Dominus Sedem Dauid Patris eius, & regnabit in Domo Iacob in æternum*; De regno spirituali, & æterno accipiendum est, prout vnanimes accipiunt SS. Patres, & præsertim Augustinus. *Qui populus Regnum fuerat amissurus Christo Domino nostro non carnaliter, sed spiritualiter regnaturo*. Non igitur ex successione habuit Christus Regnum, quamuis ius habuisse ad Regnum Dauid, nec tamen exercere voluisse nouissimè probet, nec sine ad stipulantium auctoritate Reuer. Pater Fr. Franciscus Macedo à S. Augustino, Vir de Catholica Ecclesia, & Apostolica Sede optimè meritus, omnigena literatura fulgens, Patauinæ huius Vniuersitatis è Moralis Philosophiæ sede decus eximium in opere suo eruditissimo, quod inscripsit Medulla Ecclesiasticæ historiæ, vbi coniecturæ leguntur elegantissimæ, & auctoritatum ponderationes acutissimæ, quas sequi auspice tanto auctore meritò liceat, ac tutissimum sit. Non habuit ex electione: idque apertè innuit, dum fratri ad diuisionem prouocanti cum fratre suo respondit. *O homo, quis me iudicem constituit, aut diuisorem inter vos?* Immò fugiens declinauit electionem in Regem; *Cum cognouisset* (scribit Ioannes Euangelista) *quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus*. Nullibi inter sacra monumenta de huiusmodi electione mentio, nec decet igitur eam comminisci. Non iure belli; nam bellum cum regibus terræ gessisse Christum ad acquirendum, aut ampliandum Imperium, aut Regnum nusquam traditum. Bellum quidem gessit, ac triumphauit, at de Principe tenebrarum, D. Paulo teste, *Expolians Principatus, & potestates traduxit confidenter palàm triumphans illos in se ipso*. indèque partum ipsi Regnum in hominum cordibus spirituale per fidem, & gratiam, expulsa infidelitate, & reiectis peccatis, per quæ tenebrarum Princeps hucusque imperauerat.

Lib. 17. De Ciu. c. 7.

Luc. 12.

C. 6.

Ad Colos. c. 2.

Non demùm dono Dei speciali temporale aliquod habuit regnum, id namque testatur grauis illa responsio, quam roganti de Regno suo dedit Pilato. *Regnum meum non est de hoc Mundo*, & infra; *Regnum meum non est hinc*. Appositè *Chysostomus*, *quasi dicat Rex sum, non tamen qualem arbitraris, sed longè præstantior*. Adeòque longè diuersum à temporali, & *Ambros. Qui dicit non esse de hoc Mundo Regnum suum*, osten-

Ioan. c. 18.

Homil. 83. in Ioan.

Lib. 3. in Luc.

ostendit esse supra Mundum. Ità & erat Regnum eius, & non erat; Non erat in sæculo, erat supra sæculum: quarè inane est asserere, accepisse Christum Regnum, & Regiam potestatem, quam nunquam redegerit in actum, & nunquam exercuerit, cum immò non venerit ipse iudicare Mundum, & non ministrari, sed ministrare. Aequè igitur verum Christum Regem fuisse, & non Regem, & in Regno diuerso, Regnum habuisse æternum, & spirituale, non habuisse terrenum, & temporale, & ità sanè decuit, vt qui humilitatem præcipuè, patientiam, cæterasque sublimiores virtutes venerat exemplo suo docturus ab omni regio fastu & regni throno abesset, sed regnum haberet, quod humilitate ipsa, ceterisque virtutibus constaret, quale spirituale, & non adeò de facili temporale; Hoc itaque non habuit, non quia repugnaret, aut implicaret, sed quia sic placitum ei, & quia redemptionis opus, propter quod in Mundum venerat, cum omni humilitatis exemplo erat implendum.

Ioan. c. 12.
Matth. c. 20.

4 Disquisitioni hucusque habitæ de Regno Christi connexa omninò est inquisitio haud absimilis de eiusdem dominio, & an in carne degens dominium aliquod temporale habuerit: cum præsertim non videatur posse consistere cum summa illa, & planè exemplari paupertate, quam Christus ipse & professus, & confessus est ex allegata iam supra auctoritate. *Vulpes foueas habent &c.* Scrutemur igitur etiam in præcedentis maiorem illustrationem, & indagini per definitam assertionem viam sternamus. Dicimus itaque Christum, vt hominem, totius Mundi fuisse Dominum, nec spirituale tantùm habuisse dominium, sed & temporale: at quale; procedendo apparebit. Non congerimus hìc auctores grauissimos huius sententiæ ad stipulatores, verùm ad eam firmandam immediatè transimus. Quam sit frequens titulus Regis, & Domini Christo, vt homini tributus in Sacrarum Scripturarum monumentis notius est, quàm vt probatione indigeat; tangemus auctoritates non nullas insigniores. *Dixit Dominus Domino meo*: quæ verba de se ipso exponens accepit Christus apud Matthæum, & illud Dauid; *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, exposuit de Christo Diuus Paulus, & D. Ioan. in Apocalip. *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, vidit scriptum in fęmore, tanquam connaturale. D. Petrus De Christo. *Hic est omnium Dominus*; & demùm Christus ipse apud Mattheum. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra.* Indèque consequentèr rationem adstruunt assertores, id enim Christo tribuendum, quod eius dignitati, & auctoritati conueniens est; exposcere autem omninò videtur eius dignitas, vt esset, & sit supremus omnium Dominus: fuit igitur tale dominium ipsi tribuendum, etiam in temporalibus.

Matt. c. 8. 20.
Psal. 109.
C. 22. in fin.
Ad Hebr. c. 2.
C. 19.
Act. C. 10. 36.
Cap. vlt.

5 At scrupulum inijcit consideratio; quod Christus aduentum suum, & cuncta eius opera ad spiritualia direxit; vnde nam igitur, & ad quid tam amplum dominium? A redemptione, ac reparatione humani generis, in cuius gratiam corporalia omnia sunt condita, na-

ſcitur, & inducitur ampliſſimus tanti dominij titulus; Si enim Deus omnium Creator, ex hoc ipſo creationis titulo ſupremum dominium in omnia creata habet, & Chriſtus, qui collapſum, ac perditum Orbem reparauit, ex opere tanto iuſtiſſimum titulum dominij acquiſiuit, & tanquam reparator, ac redemptor promeruit. Sit quidem hic titulus; at alius longè ſublimior adhuc conſiderandus eſt, à quo redemptio ipſa, & reparatio longè maius momentum, totamque ſuam excellentiam mutuata eſt; is eſt vnio Diuinæ, & humanæ naturæ in eadem Chriſti perſona, quam hypoſtaticam appellant Theologi, cuius virtute ſpirituale, & temporale dominium in Chriſto ampliſſimè eſt cumulatum, & ſacerdotium ſimul, ac regnum vnitum.

Nimiùm fortaſſe videatur audaciæ, ſi ad legalem diſſertationem adeò ſublimia reuocare nitamur, at præeunte Gentium Doctore fas ſit rationem adſtruere. Chriſtus naturalis Dei filius eſt, vt altiſſimè docuit Diuus Thom. Ergo omnium hæres, quorum pater eſt Dominus, qui certè Dominus, & Rex Vniuerſi. Conſecutionem deduxit Diuus Paulus breuiſſimè, *quòd ſi filius, & hæres per Deum*; & iterum ad Romaos ſcribens, ac de Dei filio loquens. *Sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo omnia nobis donauit*; quaſi ſint omnia Patri, & filio communia, & communicata, quando, & in filijs mortalium commune eſt familiæ dominium viuente adhuc, & ſuperſtite patre *l. in ſuis. ff. de lib. & poſthum*. Cui inſiſtens analogiæ Apoſtolus filium Dei hæredem vniuerſorum appellat. *Nouiſſimè locutus eſt nobis in filio, quem hæredem fecit vniuerſorum*. Ex qua hæredis denominatione duo eleganter, & ad rem deduxit *Chryſoſtomus*. *Hæredis autem vtitur nomine* (inquit,) *vt duo quædam per hæc oſtendat, & quòd proprius ſit filius, & quòd dominationis illi nulla contingat amiſſio*. Reſpiciens ad illud *Paul. ſi filius, & hæres*; & ad filium proprium prout contra diſtinguitur ab adoptiuo, quales nos mortales, & fideles per gratiam; quod de Chriſto Dei filio negauit dici poſſe cum Ambroſio *Diuus Thom.* implicare inſinuans, quòd Chriſtus ſit, vt re vera eſt, filius Dei naturalis, & ſit, aut dicatur adoptiuus, rationemque in corpore articuli aſſignauit non alijs reddendam verbis, quàm ſuis. *Filiatio proprie conuenit hypoſtaſi, vel perſonæ non autem naturæ; vnde & in prima parte dictum eſt, quod filiatio eſt proprietas perſonalis, in Chriſto autem non eſt alia perſona, vel hypoſtaſis, quàm increata, cui conuenit eſſe filium per naturam; Filiatio autem adoptionis eſt participata ſimilitudo filiationis naturalis; Non autem recipitur aliquid dici participatiuè, quod per ſe dicitur; & ideo Chriſtus qui eſt filius Dei, adoptiuus &c.* Altiſſimum, & veriſſimum fundamentum communicationis omnimodæ inter Patrem, & filium, & iam allatæ ex Diuuo Paulo hæreditariæ tranſmiſſionis. Cum autem Deus ſit Rex, Princeps, & Dominus omnium, iam & filius Rex, & Dominus eorumdem erit, idque conteſtantur vtriuſque Scripturæ Diuinæ monumenta; at omnium inſtar vna Apoſtoli auctoritas.

Ad Galat. 14. 7.

3. p. q. 3. & 4. contra gent. c. 4.

Ad Galat. ſup.

Ad Hebr. 1. in princ.

Homil. 1. ad Cor. ad Heb.

3. p. q. 23. art. 4. in corp. etiad.

Secun-

Secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo suscitans illum à mortuis, & constituens ad dextram suam in cælestibus supra omnem Principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius &c. (Ad Ephes. c. 1. in fin.) quæ singula expendens *Chrysostomus* exclamat; *Papè quàm stupenda sunt hæc, quantæque plena formidinis! Ecce vt homini Christo omnis creata virtus, quasi ancilla Domino substrata est, idque propter inhabitantem in ipsum Deum Verbum.* (Homil. 111. in epist. ad Ephes. cap. 1.) Hæc de Dominio satis; neque enim hic congerendæ plures Sanctorum Patrum auctoritates. Iam ad qualitatem Dominij. Dominium hoc Christi amplissimum in illo consistens, qui simul Deus; & homo est, inconfusa vtraque natura, iam debet esse eius conditionis, vt medium de vtroque participet, ac tertiam quandam Dominij speciem inducat, quod Diuino-Humanum fas sit dicere, & nec absolutè Diuinum, nec absolutè humanum. Non absolutè Diuinum, quia Dei dominium est longe sublimius, si enim vel vnum titulum, aut causam consideres vnde natum, & in qua fundatum, omnipotentia est per Creationem exercita, quæ sicut præcipuum dicit diuinum attributum, ita singulare, ac superexcellens constituit dominium, immò verum, ac propriùm dominium, ad quod collatum qualecumque humanum dominium improprium, & abusiuum dominium est; *Nam abusiuè, & homines Domini dicuntur* (inquit *Chrysostomus*) *verè autem nemo Dominus est nisi Deus; quia vnus Deus, ex quo omnia, & vnus Deus, per quem omnia; filius enim Dauid cæcos illuminare non potest, filius autem Dei potest.* (Homil. 36. in cap. 20. Matth.) Adeò Dei propria omnipotentia, & Dei proprium dominium! quod immediatè ab omnipotentia ortum ipsam sequitur tanquam corpus vmbra; sic enim *Tertullianus*. *Augustus Imperij formator, nec Dominum quidem dici se volebat, & hoc enim Dei est cognómen.* (In Apologet. c. 34.) Inferiùs. *Dominus enim meus vnus est Omnipotens, Deus æternus idem, qui & ipsius, Imperatoris scilicet.* At verò dominium humanum, vt est longè inferius, ita & longè imperfectius; origo si quidem ab occupatione cæpit, vt visum Paulo I. C. *in l. 1. in pr. ff. de acquir. vel amitt. possess.* quæ quidem, vt naturalis ita, & rudis, ac imperfecta acquirendi ratio, à qua id imperfectionis adhuc retinet humanum Dominium, vt sine traditione non possit acquiri: Dominus enim quis esse non potest, nisi habeat in sua potestate; in potestate habere non potest, nisi possessionem & acquirat, & habeat; possessionem autem nancisci nec sine traditione, & ideò hæc necessaria; indeq; imperfectio humani Dominij cernitur *l. 3. §. Neratius ff. de acquir. vel amitt. poss.* cui ex hominum consensu adijcendum fuit iuris adminiculum, à quò totum penderet, nefas igitur videtur Dominium Christi merè humanum esse: vnde iustum, ac rationabile est inter Diuinum, & humanum dominium tertium genus dominij assignare, quod sit ipsius Christi proprium, & quod sicut ab alio principio nascitur, puta ab hypostatica

ipsa

ipsa vnione, ità ab humano dominio meritò, sit omninò diuersum, & ex hoc dominio ius habuit Christus in vniuersum Orbem, & vniuersas res creatas, de quibus posset pro sui libito disponere, quod est dominij maximè proprium. *Data est si quidem ipsi omnis potestas in Cęlo, & in terra*, quod in ordine ad humanitatem intelligendum est, nam quò ad diuinitatem indubium erat omninò; vt post DD. Hieronymum, & Augustinum infert elegantèr *Diuus Thom.* vel si quis alius auctor, opusculi de Regim. Principum, ideò dominium, quod habuit non debet esse merè humanum, sed excellentius, & sublimus.

Io: c. vlt.

Lib. 3. c. 12. in fin.

6 Sicut enim in Christo dantur operationes quædam merè Diuinæ, vt creare, & conseruare creaturas; merè humanæ, vt comedere, bibere, flere; partim Diuinæ, partim humanæ; vt ambulare super aquas; abulare enim humanum est, densare aquam instar soli Diuinum, vt ex Sophronio in sexta Synodo notat, *Bellarminus*; quæ operationes theandricæ θεανδρικὴ à Diuo Dionysio Areopagita dicuntur; ita & Dominium eius debuit esse *Theandricum* Diuino Humanum, quod quidem humano dominio excellentius Dominium excellentiæ nuncupatur; sicut in Christo assignant Theologi potestatem quandam, quã vocant excellentiæ puta sublimiorem, per quam singularia quædam potuit operari, vt remittere peccata solo verbo sine Sacramento, ita potest assignari dominium, quod excellentiæ nuncupemus, ab humano simpliciter, & Diuino distinctum. Et quamuis huius dominij assignationi scrupulum inijcere videatur vulgatum iuris brocardicum, quo dictum, quod eiusdem rei dominium penes duos insolidum esse non possit; *l. si vt certo 4. §. fin. ff. commod.* quod axioma considerauit P. Vasquez: attamen si sanè illud intelligatur nihil negotij facessere facilè apparebit. Rectissimè obseruauit D. Marcus Aurel. Galuan. olim in Patauina hac Vniuersitate acutissimus, & eruditissimus interpres è prima Sede Matutina iuris ciuilis, nullam repugnantiam esse ex parte dominij, quò minus penès duos insolidum esse possit, sed totum impedimentum esse à possessione, & administratione. Dominium enim meri iuris est, & totum iuris dispositione consistit, *l. 1. ff. De acquir. rer. dom.* ad differentiam possessionis, quæ facti est *l. 1. §. si Vir. ff. de acquir. poss.* Nemo negarit eam esse iuris potestatem, vt eandem rem dominio plurium subijciat, dum tamen penès vtrumque non sit possessio aut vigeat administratio; & nè exemplis pluribus insistamus, dos, & dotis dominium vnum omnium instar erit: dotis enim dominium penès maritum, & penès vxorem eodem tempore, & matrimonij constitutione reperitur, sed ratione, & respectu diuerso: Maritus est dominus nuptiarum causa, sicque singulari quodam, & proprio dominio; Vxor domina est simpliciter, & absoluta proprietate. Maritus est dominus cum administratione; Mulier est domina sine administratione; Maritus dominium habet reuocabile; Vxor suapte natura perpetuum, quæ differentiæ operantur, vt nulla sit implicantia, eiusdem dotis dominium penès duos reperiri; & ideò tanti non debet esse illud axio-

Lib. 5. de Christo mediat. c. 7.

Dissert. de vsusf. c. 25.

Galuan. vbi sup.

ma,

ma, vt auctorem grauissimum Vasquez ab admittendo in Christo Dominium excellentiæ deterreret; at quidquid sit de propositione ipsa considerata in terminis Romanæ Iurisprudentiæ, altiorem, & adæquatiorem simul assumemus considerationem ad cumulandum sine vlla implicantia dominium temporale Christi cum dominio singulorum hominum.

Admittimus tanquam verissimam in re celebrem illam dominij diuisionem, qua scinditur in diuinum, politicum, œconomicum; & singulorum; de Diuino iam satis. Politicum illud est, quod habet Princeps, vel lex iuxta variam Politiæ, aut regiminis formam in res ciuium, & subditorum *l. Deprecatio ff. Ad l. Rhod. de Iac.* Oeconomicum, quod habet Paterfamilias in res cunctas familiæ, quod non est ipsius adeò proprium, quin etiam communicetur reliquis familiæ personis, vt vxori, & liberis *l. Pronunciatio* §. 1. *ff. de V. S.* Singulorum verò dominium illud dicimus, quod singulari cuique personæ competit, & quod singularis quælibet persona dominij capax in rebus habet, quæ eius propriæ sunt §. *singulorum instit. tit. de rerum diuis.* Iam igitur hæc dominia circa res, quæ sunt in Republica, & in Ciuitate concurrunt; sed subordinata quadam serie; nam dominium rerum familiarium ita est patris familias, vt etiam vxori, & liberis sit commune; Vxor namque dicitur domina *l. Vxorem in princ. ff. de leg. 3. l. titia* §. 1. *ff. de ann. leg.* & filius viuente patre rerum familiarium quodammodò Dominus est, *l. in suis ff. de lib. & posth.* vnde eleganter Auson

Iusta quidem series patri succedere; verùm

Esse simul dominos gratior ordo pijs.

Cum hoc singulorum dominio in familia stat dominium Patrisfamilias, qui simpliciter, & quasi per excellentiam dicitur dominium habere; *Pater familias appellatur, qui in domo dominium habet*, inquit Vlpianus *in d. l. pronunciatio ff. de V. S.* & hoc dominium est aliquantò altius, & plenius, quàm aliarum familiæ personarum: quandoquidem est cum administratione *l. in suis ff. de lib. & posth.* & ideò non implicat cum aliarum familiæ personarum dominio. A Patrefamilias ad Principem consurgimus, qui certè dominium habet rerum omnium, quæ sunt subditorum; *Ego quidem orbis Dominus*, inquit Vlpianus ex ore Antonini Cæsaris, *in l. Deprecatio ff. ad l. Rhod. de iac. & omnia esse Principis* dicitur *in l. 3. C. De quadr. præsc.* at sublimiori Dominio, quàm sit illud singulorum; quod egregiè expressit *Seneca. Iure Ciuili omnia Regis sunt, & tamen illa quorum ad Regem pertinet vniuersa possessio in singulos dominos descripta sunt*; hoc est *distributa* ex Horatio exponit Lipsius; *vnaquaeque res habet possessorem suum*, & alibi; *omnia Legis esse, quæ sibi quisque priuatus habet, & possidet*; sed excipit subinde rectissimè, *vt omnia rex imperio possideat; singuli dominio.* Bellissimè, vt quid sublimius in Principe insinuet, quod priuato iuri supermineat, nec illud tamen extinguat. Indeque licet ad rem nostram facilè inferre: Si igitur non implicat, earumdem rerum dominos esse priuatos Ciues, & prin-

Lib. 7. de benef. c. 4.

Ibidem.

principes, sed altiori, & præstantiori dominio, nec vlla implicantia erit, vt habeat Christus vniuersale quodam dominium in cuncta creata eò sublimius quocunque alio siue priuato, siue Regio dominio, quò causa, vnde oritur est longè excelsior, vnio scilicet hypostatica, vt exponit *Nauar.* quòd vtrumque supergrediatur tanquam medium inter diuinum absolutè, & humanum simpliciter, nec tamen hoc perimat, immò nec minuat, & hoc sic consideratum dominium explodit opinionem illam, quæ asserit ab instanti conceptionis Domini Nostri Iesu Christi omnes Reges, & Principes regnis, & ditionibus suis spoliatos, tanquam ob aduentum summi omnium Monarchæ, iure suo excidisse; cui contrarium professa est semper, & profitetur Ecclesia canens.

Ad Cap. nouit. de iudic. Notab. 3. num. 8. & seqq.

In hymno Epiphaniæ.

Non eripit Mortalia,
Qui Regna dat cælestia.

Dominium igitur hoc excellens habuit Christus, & eo non semel est vsus, immò & frequentèr illud exercuit. Angeli si quidem ei ministrarunt, huic dominio obsequentes; *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* Hoc ipsum dominium sentientes fassi sunt homines, dum vocati, statim sequentes paruerunt, ac ei se adiunxerunt tanquam discipulos, omnibus proprijs relictis. Hoc dominium exercuit, cum mercatores eiecit de templo, cum Dæmones è corporibus expulit. Immò cuncta sensibilia, & insensibilia sunt experta, viuentia omnia euiuscunque gradus aquatilium, terrestrium, volatilium; elementa, & quidquid demùm tanto, ac vniuersali domino subiectum, prout dictat Euangelica Historia: neque enim recensere singula patitur institutus ordo, tanquam compertissima. Cum quo tamen dominio non implicat paupertas illa, quam in nostrum & documentum, & exemplum summam est amplexus; caruit enim, quia voluit omnibus, Dominus omnium.

Matth. c. 4.

Ioann. 2. Matth. 26. Marc. 14.

Reditur ad temporalem ditionem, & temporale dominium Summi Pontificis.

1 *Christi excellens dominium non communicatur Petro.*
2 *Opinantium in oppositum sententia, & rationes.*
3 *Quibus respondetur.*

FVNDATO Christi Regno, ac dominio, iam superest inquirendum, an hoc ipsum dominium Petro, & Successoribus Vicarijs suis communicauerit, quæ quidem inquisitio ad intentum temporale dominium, & iurisdictionem Summi Pontificis nos promouebit.

1 Conditio igitur fundati hucvsque excellentis dominij, quod Christus habuit, non patitur, vt asseramus, & credamus deriuatum ab ipso in Petrum, & in Pontificem Summum eius Successorem; fuit enim ipsius Christi adeò proprium, vt veluti personale, personam egredi non potuerit, nec in Ecclesiam, aut eius caput transire. Si enim rationem


nem consideremus, & fundamentum, cui innixum fuit hoc dominium, & quod diximus esse hypostaticam vnionem, ea sublimis adeò, vtpote quid Diuinum, vt in purum hominem migrare non valeat, & sicut hac ipsa ratione potestas illa excellentiæ, qua peccata dimittere sine Sacramento Christus Dominus potuit, nec migrauit in Ecclesiam, aut in Summum Pontificem Christi Vicarium quasi Christi personalis, ita idem censendum & de excellenti dominio; Quæ in se ipso cumulata erant sublimi, & excellenti modo, segregauit Christus, & distincta spectari voluit, testatur *Nicolaus Summ. Pontif.* relatus à *Gratiano in Can. Cum ad verum. 96. Dist. Cum ad verum ventum, vltra sibi nec Imperator iura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit, quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus sic actibus proprijs, & dignitatibus distinctis offitia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantumodò rerum imperialibus legibus vterentur*. Hucusque Nicolaus de potestatum diuisione. Fas sit expendere, lucem primitùs à Deo creatam, & indiuisam, moxque creata & luminaria, ac subinde diuisam lucem inter luminaria, vt quæ pridem vna erat, & indiuisa, mox inposterum partita fulgeret; Hoc geminæ potestatis iubar in Mundo agnouit *Innocentius in C. Per venerabilem, qui filij sint legit*. vnde inferre licet, & aggregatam in Christo potestatem subinde ab ipso diuisam, vt & disgregata præesset quidem, at subordinata, & miro, ac inconfuso ordine subalterna. Amplissima tamen spiritualis ipsa Ecclesiæ, & Pontificia potestas, cunctaque peruadens sine vlla sæcularis inuidia quidquid ad supernaturale bonum proficit procurare potest; hæcque amplitudo satis Dei vices-gerenti, quandò hac vna ipsa potestate temporalium etiam obsequia pijssimè sibi addicta cernit.

2 Commendandus sanè insignium Auctorum zelus, qui cum Clauibus traditum Petro sustinent omne temporale dominium, ac generale totius vniuersi directum, & immediatum adeo, vt velint aliqui regna omnia, omnesque orbis ditiones non solùm esse subordinatas Petro, & eius Successori, sed immò, & obnoxias, quasi in aduentu Christi tota Regum, & Principum auctoritas, & potestas expirauerit, & Christo ipsi tanquam vni Monarchæ cesserit, à quo mox transmissa in Petrum, & à Petro in eius Successores, & cum ea etiam excellens hoc dominium migrauerit, quod solitarium, & sterile esse non debuit, sed potiùs transmittendo propagari; nec ambigere debemus fuisse transmissum, quandò nullibi, aut vnquam exceptum à generali concessione intuemur. Immò generali facta substitutione. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, æqualis largita potestas credenda est; Hinc traditæ Petro geminæ Claues, ostensi duo gladij, ijque approbati à Christo, per illud, *satis est*. Immo si Sacerdotium, & Regnum coniunctum fuit in Christo, & vtrumque perenne, iam aptiùs perennari non potest, quàm in Successoribus, & ipsius Christi, & Petri; Additur, & rectam

Host. ad C. quod super his de voto, & voti redemp.
Azor. Inst. Moral. p. 2. lib. 4. c. 19. q. 4.
Lucæ 22. 38

ctam seriem ita exposcere, vt quæ diuisa sunt, atque dispersa connectantur in vno, & vnum omnium sit caput; sic enim fiet, vt Ecclesiastica ipsa potestas sit longè perfectior, si sibi adnexam, & temporalem habeat.

3 Commendandus quidem est zelus, at præferenda veritas secundùm quam, (vt iam diximus) dominij huismodi Diuino-humani communicatio nequit consistere; quod tamen non per hoc solitarium rectè dixeris, & inutile, cum personæ Christi tanquam proprium inhærens egredi personam non debuerit: plura enim alia decora ratione Diuinæ illius vnionis extitere, quæ tamen non dixeris inutilia, quia non communicata, neque ideò caduca, quia non transmissa; substituit quidem Apostolos *Sicut misit me Pater*; at in ijs, quæ communicabilia transmissionem admitterent; sicut largitę Claues, ostensi gladij gemini indicant quidem non pugnare in eodem subiecto geminas potestates, at vtramque æquè principalitèr traditam concludenter non arguunt; fuerint olim vnita Sacerdotium, & Regnum, at immò hæc separata à Christo non debent sine euidenti eiusdem voluntate iterum coniungi, cum & Christus in se vtrumque perennet, absque quod à successione Pontificum id mutuetur; & demùm satis est vnio in Christo vtriusque potestatis, quæ quàmuis separatæ, consistunt tamen per se, & spiritualis præsertim non ideò censenda imperfecta, quia secum non habeat temporalem, cum perfecta in suo genere satis se ipsa polleat, & sæculari longè sublimior ijdem dominetur iure suo. Satis igitur præstantiæ, & perfectioni Ecclesiæ suæ tribuit, vbi spiritualem potestatem concessit, & spiritualem iurisdictionem, quæ ad finem, ad quem tendit Ecclesia, sufficeret, nec tamen cum temporali statu pugnaret, sed cum ipso in eodem subiecto posset consistere, vbi coniungi, & vniri aliquandò contingeret. Meritò igitur idem sentimus de Dominio hoc excellenti Christi, ac de potestate excellentiæ, quam habuit; vt enim hæc non communicata Petro eius Vicario, & Pontifici Petri Successori, in quem non migrauit auctoritas conferendi gratiam sine Sacramento, non miracula patrandi ex vi muneris sui, sic nec migrare debuit dominium temporale, quod non minùs dicitur, & est excellentiæ, quàm illa potestas; neque enim ad Ecclesiam regendam, & dirigendam in finem suum fuit necessarium, sed sat est si non repugnantiam, & non implicantiam indicet. Habeat igitur Pontifex amplissimam spiritualem iurisdictionem, quæ amplitudine sua omnia includat, sine quibus finem, ad quem est directa, nequit attingere; ipsi enim hoc intuitu subsunt corporalia, & temporalia, quæ moderari, ac dirigere potest, vt aliàs à nobis expensum. Quo iure autem quoue, titulo habeat Pontifex Summus temporalem ditionem, & Principatum, si non ex Christi communicatione, inquiremus breuitèr, sed exactè.



CAP.

CAP. IX.

Vndenàm Romano Pontifici temporalia.

1 *Sub Tyrannis habuit Ecclesia temporales diuitias, & temporalia bona immobilia.*
2 *Transitus ad inquisitionem de temporali principatu.*
3 *Constantinus donat Palatium Lateranense Melchiadi Sum. Pontif.*
4 *De celebri Constantini Baptismo opiniones variæ.*
5 *Vera opinio baptizatum à S.Syluestro Papa.*
6 *Opinio alia à præcedentibus distans.*
7 *Constantini in Christianam fidem studium statim post baptismum.*


NON implicare, aut pugnare cum eminentia Ecclesiastici, & Spiritualis Capitis, vt temporalem Principatum, & temporalia bona possideat, ex hactenùs dictis satis constat. Verùm cum hæc non sint sibi à Christo tradita, vndenam obuenerint inquirere ab re non erit, idque præstabimus ex historicis fundamentis, dimissis salebrosis disputationibus, quæ videntur esse, vt & re vera sunt, extra nostrum institutum, & methodum nostram.

1 Habuisse Ecclesiam, vel in sui primordio, & cum sub tyrannis persecutionibus pressa vix respirare posset, opes, & bona apertiùs est, quàm probatione indigeat; vel enim Sanctissimo Pontifice, & martyre Xysto, qui annis centum, & triginta Syluestrum antecessit opes nedum, sed & thesauros possedisse testatur Martyris Laurentij responsum tyranno datum, cum in eosdem Ecclesiæ thesauros inhiaret auidè; pauperes enim ostendit, & per eorum manus delatos in Cęlorum conditorium intrepidè asseruit. Pia liberalitate opes suas profundebant in Ecclesiam fideles, siue offerrent viuentes, siue morientes largirentur, qui præcipuè martyrio vitam coronarent, ex ijsque sustentati pauperes, parata pretiosa Ecclesiarum suppellex, & subleuati, qui pressi essent miserijs, testantur, hæcque non solùm erant mobilia, sed & immobilia bona, ex quorum fructibus & pauperes, & Clerici commodè alebantur. Id comprobant Pij Primi, & Vrbani Summorum Pontificum Epistolæ. Pius enim scribit. *Et prædia Diuinis vsibus tradita quidem humanis applicant vsibus, & Domino Deo (cui tradita sunt) ea subtrabunt, vt suis vsibus inseruiant &c.* & fusiùs S.Vrbanus Papa Clericorum vitam communem expendens; sed & ipsa Imperatorum edicta, qui bona Ecclesijs ablata restitui districtè mandarunt. Verùm de immobilibus hisce bonis inquisitio nostra non est, quæ ex fidelium pietate omni æuo Ecclesiæ cesserunt, at de ditionibus, & vrbibus, quibus cum imperio præest Sum. Pontifex, vndenam, & à quo hæ ipsæ obuenerint, quibus Pontificis Maiestas eò vsque est aucta, vt inter maiores sæculi Principes haud modicè splendeat.

Ep.2.in pr.

Tom.1. Ep. Decretal. Sum. Pontif.

Euseb. lib. 10.Hist.c.5.

2 Inualuit igitur, & obtinet: Primum, qui conspicuas, ac publi-

eas donationes Ecclesiæ fecerit Magnum fuisse Constantinum, qui victoria, ac Diuinis beneficijs auctus liberalitatem in Ecclesiam, & pietatem in Deum, spectando sanè exemplo, exercuit: Prolusit ampliori donationi, quam fecit Syluestro post baptismum, donans Melchiadi eiusdem Syluestri præcessori lateranense palatium, & augustales ædes suas Melchiadis anno secundo, & Imperij sui septimo, vt censet *Baronius*; cum enim sæuientibus persecutoribus Christianæ Religionis Pontifex Summus nedum publicas, sed nec priuatas ædes posset incolere, criptis, & antris latitare coactus, nefas ducens Constantinus, ethnicæ superstitionis Pontificem summum domum publicam tantùm habitare posse, & veræ Religionis Antistitem sine domo publica esse, Imperialem suam piè, ac liberalitèr donauit. Huiusce donationis solidum argumentum ab Auctore probatissimo mutuatur *Baronius* Optato scilicet Mileuitano, tractans enim de Romano Concilio celebrato sub Melchiade Romæ anno sequenti Constantino, & Licinio tertiùm Consulibus *conuocatum, & collectum fuisse*, ait, *in domo Faustæ in Laterano*, indeque arguit fuisse illas Romani Pontificis tunc ædes, & sedem, neque enim credibile est extra domum Pontificis quæsitas ampliores ædes ad celebrandum Concilium, quod cum exiguum decem tantùm, & nouem Episcoporum numerum includeret, maiora spatia non requirebat, quàm modica priuata domus haberet; huic coniecturæ argumentum suffragatur illud, quod cum semper Lateranenses ædes fuerint à Romano Pontifice possessæ, nec vnquam ampliùs ab aliquo Cæsarum reperiantur traditæ, iam ab eo tempore à Constantino donatas verosimilimum est, cum res Christianorum eodem anno edictis, alijsque offitijs, & benefitijs adauxisset.

Tom. 2. Annal. Anno 312. Spondan. anno 313. num. 6.

Lib. 1. aduers. Parmen.

3 Dictæ autem sunt ædes illæ *Faustæ*, quod Fausta Maximiani Herculij filia florentissimo, & diuturno Genitoris Imperio Romæ degens easdem incoluerit, quæ quidem cum ante essent Plautij Laterani prædiuitis, & Consularis viri, eæque amplissimæ, ipso à Nerone occiso, fisci inscriptione publicatæ fuere; nomen tamen ab antiquo domino semper retinuere in posterum adeò, vt Basilica ibi posteà erecta à Laterani ædibus Lateranensis fuerit appellata. Non diffitemur tamen, hanc Baronij coniecturam non esse adeò tutam, quin oppositis itidem coniecturis possit oppugnari, & euinci, tunc nullam adhuc Lateranensis Palatij factam à Constantino donationem, & tamen potuisse in eodem palatio, & domo Faustæ Concilium celebrari, sicut in Imperatoris ædibus alia legimus celebrata Concilia: at de his disceptare nostrum non est. Iam igitur accedamus ad celebrem Donationem illam, qua Pontificalis Maiestas temporalem splendorem adepta inter sæculi Principes micare cœpit, & ad quam miris modis Dei prouidentia cuncta dispofuit, quamque per gradus veluti quosdam promouit. Constantinum enim Imperatorem lepra percussum legimus ex Actis S. Syluestri Papæ, ac de salute solicitum, balneum ex infantium sanguine parantem. Apparent in somnis Apostolorum Principes, immanique dete-

detestato balneo, aliunde petendam salutem indicant, medicum arcessendum docent Syluestrum, ad declinandam ipsius Constantini persecutionem inter Soractis Montis latebras morantem. Conquiritur Syluester; adest, de visa apparitione fit collatio, exhibet Syluester spectandas Apostolorum Imagines, agnoscit eos ipsos Constantinus, quos in visu habuerat dormiens, & qui ipsi apparuerant, Baptismum suscipere statuit, Deo inspirante, & per hæc media Ecclesiæ suæ amplitudinem moliente, & præparante. Baptizatur à Syluestro, & è salutari lauacro deleta lepra nouus homo emergit, prout fusiùs acta Syluestri exhibent, & ex ijs refert

Tom:3. anno 324. *Baronius* exactè, concludens ex Anastasio Bibliothecario in Chronico, Constantini Baptismum Romæ habitum anno decimo octauo eius Imperij, & Christi trecentesimo vigesimo quarto, expirante iam decimo octauo, & se ingerente decimo nono eiusdem Imperij Constantini anno. Quæ autem infelix est humanæ sortis conditio in veritate assequenda, & habenda, mirari subit de Constantini baptismo circa locum præcipuè, & tempus, quo fuerit peractus, esse varietatem, adeoq; dissidium de re licèt summè conspicua, & de persona toti orbi spectabili, & tamen nihil certi quasi possit haberi præ opinionum varietate. Has insinuabimus tantùm à disputatione, & rationum momentis pro nostro instituto abstinentes.

Lib. 4. de Vita Constantini c. 61. 62. 63. Eusebius ergo Cæsariensis auctor est, Constantinum Hellenopoli ægrotantem, ductum ad suburbana Nicomediæ, cum instare sibi mortem sentiret, expiari se baptismo petijsse, quod præstare distulerat, optans in Iordane lauari, & baptizari, vbi Christus Dominus baptismum susceperat; quinam autem fuerit ex pluribus Episcopis, quos eò conuenisse asserit Eusebius, qui hoc munus baptizandi Constantinum sit executus, erubuisse Eusebium notat Spondanus, nec scribere ausum. Verùm cum rem gestam in suburbanis Nicomediæ narret, Eusebium Nicomediensem Episcopum designasse arguit idem Spondanus, quem ibi interfuisse, & Constantinum baptizasse asserunt S. Hieronymus, & Isidorus in Chronico, quæ quidem vel vna consideratio hanc Eusebij narrationem redarguit: Credi siquidem non potest, Constantinum in mortis articulo constitutum ab Ariano non solùm, sed Arianorum signifero, vt ipsum appellat Hieronymus, passum baptizari, adeòque non expiatum, sed impium, & extra Catholicæ Ecclesiæ gremium expirasse; immò crediderit nullus, hominem Christianum tot criminibus pressum, parricidijs cruentatum permansisse inexpiatum vsque ad finem vitæ, conscientia nedum lancinante, sed penè emortua; quod si ad baptismum Iordanis adspirabat, cur ipsum ibi suscipere non curauit cum anno ante obitum, eodem ipso Eusebio teste, ex omnibus Orbis partibus Episcopi Hierosolymam conuenere Constantini iussu ad Templi dedicationem? præcipuè cum instarent tricennalia Imperij celebranda, cum expeditio in Persas erat assumenda, & in ea ardua subeunda certamina? Mentitum igitur Eusebium dicemus, vt placeret

Con-

Constantio, & ipsi Ariano Imperatori; cum enim Orientalis Ecclesia Constantinum Sanctum censuerit, & publicauerit in Menologijs suis, & Vniuersalis Ecclesia eundem tanquam pium agnouerit, in sacris diptichis eum commemorans, vt testatur Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem, quod orthodoxis tantùm Imperatoribus datum, nec vllus vnquam repertus auctor, qui aliqua impietatis nota eum carpat, cum immò è contra innumera de eius pietate extent testimonia, iam vtique dicendum, pugnare omninò, vt ab Ariano homine baptismum susceperit, & ideò explodendum penitùs hoc Eusebij Ariani hominis commentum, quod impugnat, & insequitur latè *vbi supra Baronius*, apud quem omnia examinata, & soluta habeas, quæ falsæ huic assertioni suffragari videantur. *Tom. 3. Annal. Anno 324.* Quamuis Photius in sua Bibliotecha hanc notam sumpti ab Eusebio Ariano baptismi omninò excludat ex Gelasij Ciziceni historia, *Volum. 88.* qui eum baptizatum ab orthodoxo Sacerdote scribit. Nos omnia iam supradicta ex Baronio.

Succedit secunda assertio, quam tuetur perpetua Ecclesiæ traditio, Constantinum scilicet Romæ integra ætate non longè ab Imperij primordio fuisse ab ipso Syluestro Papa baptizatum. Hanc iam supra retulimus, cui subscribunt auctores innumeri, qui varijs sæculis scripsere, vnde licet arguere, perpetuam, ac per manus transmissam in Ecclesia fuisse traditionem, de cuius veritate vix liceat ambigere, quam quidem, (vt omnes sileant auctores) comprobat oculata inspectio baptismalis fontis, qui Romæ ad latus Basilicæ Lateranensis adhuc publicè visitur, & nos non semel sumus intuiti: quem aliunde translatum temerarium esset asserere, quandoquidem & de translatione ipsa ex sciptoribus constaret. Hanc confirmant Concilium Romanum sub Syluestro Cap. 1. Acta Syluestri, quæ approbauit Gelasius Summus Pontifex in Concilio Romano, Acta Liberij pariter approbata & vniuersus tandem Ecclesiæ in omni ætate consensus.

Tertia demùm est opinio, quæ baptizatum quidem Romæ Constantinum sustinet, sed quoad tempus non conuenit cum Baronio, & communi. Constantinum scilicet tempore Melchiadis fuisse baptizatum, cum eo tempore Christianus appelletur, quod de non baptizato homine nunquam dicatur. Christianum autem Constantinum appellarunt tempore Melchiadis *Optatus Meleuitan.* & *Diuus Augustinus, ille lib. 2. aduers. Parmen. de causa Ceciliani, & Donatistarum* loquens, quæ certè fuit sub Melchiade agitata: ait enim, *redeat in memoriam Constantinus Imperator Christianus*; & iterum *sub Constantino Imperatore Christiano. Augustinus* Christianum Imperatorem nuncupat Constantinum: *Epist. 161. 166.* si Christianum, ergo non catecumenus erat tempore Melchiadis, sub quo examinata fuit causa Donatistarum, differre catecumenum à Christiano passim indicat idem Diuus Augustinus, neque hac de re ambigendum. Neque implicat baptizatum fuisse Constantinum sub Melchiade, & tamen id factum dici à Syluestro, prout acta Syluestri, & Breuiarium Romanum testantur; qui enim

hanc

hanc sententiam propugnant, nullam omninò in ipsa implicantiam agnoscunt, cum stare possit absente Melchiade, Syluestrum eius Vicarium, & Corepiscopum tantùm baptismum contulisse. Aberat enim tunc Melchiades ab Vrbe in Maxentij Comitatu,& cum ipse non posset, debuit à Syluestro baptizari Constantinus. Hanc sententiam nouissimè, & egregiè admodum defendit R. P. Franciscus Macedo, & vt summa virtute, ac doctrina pollet, ita pari modestia fulget, preferre eam omnibus alijs opinionibus non audet, sed ita munit, vt tamen & contraria omnia soluat; Videat apud eundem, qui plura cupit, & sedulò omnia pertractata leget. Nos disputationem meritò declinamus, liberum cuique rilinquentes iudicium, potiora attigisse satis, & in re adeò præcipua opinionum varietatem insinuasse.

In Medulla hist. Ecclesiastica Vindic. 6. c. 7.

4 Sumpto igitur per Constantinum baptismo, efferuescente pietate per dies illos septem, quibus stetit in albis, varias constitutiones edidit qualibet die suam in fidei tutelam, in Dei cultum, & Romanæ Ecclesiæ priuilegium, Ecclesiarum immunitatem, aliasque, quas breui compendio commemorat *Spondanus*. Subinde Ecclesiam in Vaticano, aliam in via Ostiensi, tertiam in Palatio Lateranensi, quæ à Constantino Basilica Constantiniana dicta, & præcipuè Saluatoris nuncupata, quas omnes vasis aureis, & argenteis ditauit, innumerisque decorauit ornamentis, & amplissimis redditibus vbique terrarum dotauit, quæ omnia non sine stupore leguntur in libello illo inscripto de munificentia Constantini, & ab Anastasio Bibliothecario edito ex Archiuijs Romanæ Ecclesiæ, nec Romæ tantùm, sed in Italia, & extra Italiam, alijs pluribus Ecclesiæ occidentalis partibus alias Ecclesias erexit, ditauit, dotauit mira modestia, vt nullibi legi nomen suum insculptum voluerit. Quousque demùm pacato occidente, & post mortem Licinij Oriente subacto, cum Romam redijsset triumphans more maiorum, peracto triumpho celebrata est Synodus, aliaq; plura gesta, quæ recenset ex Baronio Spondanus: demum cum se perfectissimum Christianum præberet Constantinus Senatus, atque populi odium offendit, quod verbis contumeliosis gentilia sacra, & ritus insectaretur, cumque missas ab illis execrationes ferre non posset, Vrbem Romæ parem quærebat, in qua sibi Palatium conderet. In Orientem migrans antiquum Ilium, tanquam locum condendæ Vrbi idoneum elegit, moxque Deo monente pluribus signis Byzantium accessit & situm, ac locum miratus, vrbem illam amplificandam, ac illustrandam statuit, vt digna Regia constitueretur. Operi, & intentioni adnuit Numen per visiones plures tum ab historicis relatas, tum in appendice ad acta Syluestri memoratas Vrbem Deiparæ Virgini dedicauit, eòque Imperij arcem, & sedem translaturus Roma excedens, & Italia, ac Occidentali Imperio, *Romam ipsam, & omnes totius Italiæ, & Occidentalium Regionum Prouincias, loca, & Ciuitates Beatissimo Patri nostro Syluestro vniuersali Papæ concedimus, atque relinquimus, & Successorum ipsius Pontificum potestati, & ditioni firma Imperiali censura, per hanc Diualem*

Anno 324. num. 19.

lem nostram, & pragmaticum constitutum decernimus disponendum, atque iuri Sanctæ Ecclesiæ Romanæ concedimus permansurarum &c. Ità edictum Donationis Constantini *C. Constantinus 96. Dist.* Haud absimilitèr Innocentius III. serm. 1. de Sancto Syluestro; *Vrbem pariter, & Senatùm cum hominibus, & dignitatibus suis, & omne Regnum Occidentis ei* (idest Syluestro) *tradidit, ac dimisit, secedens & ipse Byzantium, & Regnum sibi retinens Orientis &c.* Hucusque Innocentius.

Factam fuisse donationem res ipsa loquitur, quando possedisse Pontifices Romam legimus cum tot adiacentibus Regionibus, & Ditionibus. Vsurpationis autem nulla rationabilis potest subrepere suspicio, quando nec tanta credi potest in Constantino, & alijs Imperatoribus incuria, & somnolentia, vt occupanti Romano Pontifici auctoritate nedum, sed & vi non resisterent. Prodijt nihilominùs celebre edictum, aut carta donationis à Constantino Ecclesiæ, & Romano Pontifici factæ, circa quam pro varijs auctorum, & ponderantium affectionibus varia extitere, & leguntur iudicia de eius veritate, aut falsitate; de origine, & auctore, & de tempore, quo statuit: Nouissimè videre licuit scriptum hac de re per Reu. Patrem Franciscum Macedo, qui accuratè adeò, & eruditè, ac neruosè eam pertractauit, ac edictum ipsum donationis, & eius veritatem fortiter adeò propugnauit, vt nihil addi possit eloquentiæ, accumini, & doctrinæ, qua omnia occupat, omnibus occurrit, & intentum euincit, & toto illo opere exactissimo nil fortasse exactius, & curiosius, & ad eum, qui omnium postremus scripserit, remittimus. Iam reliquos, qui post Constantinum Ecclesiæ Romanæ donarunt percurramus.

In Medulla Hist. Eccles. Vindic 7. c. 6.

5 Pipinus igitur Francorum Rex Papiæ, deducto Aistulpho Fœdifrago Longobardorum Rege, eum compulit restituere Ecclesiæ Romanæ exarchatum Rauennæ, aliasque omnes Ciuitates priore fœdere contentas, & vt loquitur eius elogium Rauennæ adhuc in antiqua tabula prostans, licèt aut temporis, aut tyrannorum iniuria exesum; *Primus amplificandæ Ecclesiæ viam aperiens.* Romanis Pontificibus perpetuò possidendas suis diplomatibus concessit: Nil moratus Constantini Copronymi legationem, qua eas restitui Imperiali ditioni satagebat. Narrat Ciuitates ea donatione compræhensas *Anastas. Bibliotech. apud Baronium*, nec non Leo Ostiensis longè ampliores eiusdem donationis terminos reddit apud eundem, & *Spondanus* plures alias Ciuitates, & loca enumerans, demùmque *Pipinius exarchatum, Pentapolimque iterum scilicet Petro, successoribusq; eius in perpetuum possidenda concessit, atque ita scribam referre ipsas donationis in tabulas iussit.*

Tom. 9. anno 755.

Hist. Cassin. lib. 1. c. 7. eod. An.

Lib. 3. Ann. 754. in Aistulpho.

Pipino successit Carolus Magnus eius filius, qui Romæ donationem à Patre factam solemnitèr confirmauit, ad eius defensionem, & conseruationem cum proceribus suis se obstringens, & quidquid ablatum, aut inuasum à Desiderio Longobardorum Rege restituit, ac veterem donationem auxit, referente *Baronio*, & Adriano I. Summo Pontifice pluribus episto-

Anno 774. Tom. 9.

lis

lis suis. Post Carolum Magnum Ludouicus Pius eius filius, & Imperator in Concilio, siue Conuentu Aquisgranensi donata, aut restituta quæcumque à prædecessoribus suis Romanæ Ecclesiæ confirmauit: confirmationis monumentum ex Vaticano Archiuio retulit, ac descripsit *Baronius*. Vnde mutuatus & *Gratianus Canon. Ego Ludouicus 63. Dist. Spondan. Sigon. ex Leone Ostiens.* & alij sub Paschale I. Summo Pontif. cuius anno primo hanc confirmationem regerit Baron.

Tom.9. anno 774.

Otho subinde Magnus (vt ex verbis Reginonis narrat *Baronius*) *Vbi natalem diem Domini Romæ celebrasset Rauennam profectus est vnà cum Ioanne Summo Pontifice (Is fuit Ioan. XIII.) vbi celebrato Paschate plurimos ex Italia, & Romania Episcopos coadunauit, & habita Synodo multa ad vtilitatem S. Ecclesiæ adinuenit, et Apostolico Ioanni Vrbem, & terram Rauennatium, aliaque complura multis retrò temporibus Romanis Pontificibus ablata reddidit: Eumque inde Romam cum magna lætitia remisit, ipse verò in partes Tusciæ secedit.* Hucusque ex Reginone Baron. mox subdens. *Verùm ista de restitutione ablatorum facta iam fuerant, vbi Otho à Ioanne duodecimo coronatus est Romæ, scriptoque diplomate insinuata, atque ipsius Imperatoris, & Episcoporum, ac Comitum subscriptione firmata. Quamobrem quæ hic in Concilio Rauennate hac de re facta dicuntur, nihil prætereà, quàm confirmatio præteritæ concessionis fuisse videtur, cum aliquo additamento nimirum eius, quæ à Leone Papa concessa fuerant ipsi Othoni Imperatori promissionis, vt apparet ex eodem diplomate superiùs recitato.* Hæc Baronius de suo. Iuramentum Othonis transtulit in Rapsodiam suam Gratian. & habetur *Can. Tibi Domine 63. Dist.* quo promittit se restituturum Papæ, *quidquid de terra Sancti Petri ad nostram potestatem peruenerit tibi reddam*, & ibid. Gloss.

Tomo 10. anno 967.

Henricus Primus Imperator eo anno, quo Romæ fuit coronatus, cum Vxore sua sanctissima muliere Augusta renunciata à Benedicto Summo Pontifice, isque fuit annus decimus quartus supra millesimum, vt refert ex Ditmaro *Baronius*, priuilegia, & concessiones omnes à prædecessoribus suis factas, pietate in Deum, & amore, ac cultu in Principem Apostolorum diplomate suo confirmauit; Diplomatis tenorem per extensum regerit Baronius, ex quo legere licet prouincias, vrbes, & loca in aliorum Principum concessionibus compræhensa, gestaque omnia sic rata habita, vt veteri non minùs, quàm noua auctoritate consistant. Dici possunt donationes istæ planè fundamentales, quibus innixæ imitantes aliæ quamplures successiuis temporibus factæ cum ab Imperatoribus, tum ab alijs Principibus, quos singulos excurrere, ac enumerare esset intentam breuitatem excedere. Verùm omitti nequit sine nota pijssima mulier, & Ecclesiæ, ac Apostolicæ Sedis studiosissima Mathildes Comitissa, quæ post impensam religiosissimam operam in Pontificem demùm obtulit, ac donauit Ecclesiæ Romanæ Liguriam, & Tusciam, idque tradit *Baronius* ex Domnizone versibus id exprimente, & Leone

Tomo 11. Anno 1014.

Tomo 11. Anno 1077.

ne Ostiensi rem breuitèr ita exponente. *Anno Dominicę Incarnationis* 1077. *Mathilda Comitissa Henrici Imperatoris exercitum timens Liguriam, & Tusciam prouincias Gregorio Papæ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuotissimè obtulit: Vnde in primis causa seminandi inter Pontificem, & Imperatorem odij initium fuit &c.* Hactenus de Principibus qui Ecclesiæ donarunt, & pietatem, ac religionem ea liberalitate exercuerunt.

6 An autem Constantini donatio de iure fieri potuerit, & tanquam legitimè facta subsistat quæsitum, non ignoramus; esto quod sit facta; verissimum est, quod tactum obseruamus apud *Rest. Castald.* parùm scilicet ab errore distare eum, qui dubitet, an donatio huiusmodi subsistat, fidelis enim quilibet piè statim asserat eam subsistere, quidquid in contrarium asseruerit Valla circa hanc donationem, & opinionem eam improbantem verè nimius, & si qui alij; hæc enim facta Romanæ, & vniuersali Ecclesiæ donatio non tam alienatio, quàm resignatio, & restitutio potiùs est dicenda: quod enim Romanæ Ecclesiæ, & Summo Pontifici datur Deo ipsi offertur, extra cuius dominium nihil est, *Domini enim est terra, & plenitudo eius*, & ideò quidquid ipsi offertur restituitur, quæ sanè ratio facit, vt quamuis Maiestatis ius, siue supremum, sit à persona Principis, vel Imperatoris inabdicabile, attamen vbi donatur Vniuersali Ecclesiæ, adeòque Romanæ, transit in eam ius ipsum supremum, totaq; Maiestas, & nihil donanti remanet, idque egregiè ad praxim sustinuit *Peregrinus* in ordine ad appellationes, & inde prouenit, vt filiorum consideratio scrupulum non inijciat, nec vinculum illud, quo Imperator tueri res Imperij, & conseruare tenetur, nec minùs, vt donationis excessus, vel enormitas veniat considerandа: Modus enim, & mensura donationis Deo factæ, est immensitas, neque ambigi potest, aut timeri, nè excedat, qui vniuersali rerum Domino, quæ sua sunt, tribuit, ac donando maiestatem supremam, ac infinitam colit, cuius sunt omnia, quæ in Cœlo, quæ in terra, quæ vbique; donauit igitur Constantinus Romanæ Ecclesiæ.

tract. de Imp. q. 51. n. Tract. tom. 16.

Psal. 123.

Consil. 1. vol. 1.

7 Donationem apertissima signa, & argumenta testantur, & loquuntur. Primò enim considerari potest Pontificum opulentia, quam describit *Ammian. Marcellin.* de contentione Damasi, & Vrsicini loquens; quæ quidem, si verbis auctoris attendas, in luxum migrasse iam tunc videbatur, cum etenim anterioribus sæculis, & ante Constantinum cum tanta pompa non procederet, iam inferre licet à Constantini donatione hanc opulentiam profectam. Cernimus oculis Palatium Lateranense ipsius Constantini in Basilicam conuersum, & ibi sedisse Romanum Pontificem vbi Constantinus habitauerat, quod pia, & liberali cessione factum prudens quisque crediderit, non vsurpatione; compertum siquidem est priscos illos ad Ecclesiam venientes sub ipso baptismi tempore largitiones facere consueuisse ex ipsis Apostolorum Actis. Constat ipsum Constantinum Sedem Româ aliò, Byzantium scilicet, transtulisse, nec eius

Lib. 17.

C. 2.

eius posteros ampliùs ferè Romam reuersos sedis figendæ causa. Sileant scripturarum monumenta, ipsa Dei prouidentia loquetur: Mirum siquidem tot Imperatores Augustos, qui Romani Imperij titulo quà in Oriente, quà in Occidente micabant, ab eo tempore nunquam Romæ constitisse, sed Mediolani, Aquileiæ, Rauennæ, in aliqua Galliarum Vrbe sedisse, & nunquam Romam, nisi tanquam peregrinos, accessisse. Destinata ab æterno Roma in Petri, & Successorum eius perennem Sedem, & diuino decreto, famulante & obsequente Diuino nutui Constantino, cuius, vt fuit Dei opus, conuersio, ita & Dei inspiratio liberalis donatio, quæ fundamentum præbuit visibili Maiestati Summi Pontificis, & veræ fidei tutelæ, ac defensioni. De qua Maiestate differendum adhuc superest, quatenùs ei debitus, & iustus impendatur cultus; & ideò addendum.



CAP. X.

De cultu, & Adoratione Summi Pontificis, & præcipuè de osculo pedum.

1 *Adorationis nomen vnde, & quot eius species, siue modi.*
2 *Quæ adoratio Summo Pontifici exhibeatur.*
3 *Pedum osculum quàm vetustum.*
4 *Eius vsus, vel ab Apostolorum æuo, & successiuè.*
5 *Rationibus idem vsus confirmatur.*
6 *De Cruce in calceis Pontificis, & eius affigendę rationibus.*



CVLTVM Summo Romano Pontifici debitum nemo ambigit, qui rectè sentiat. Qualitas cultus illa est, quæ eos commouet, qui in ipsius Maiestatem malè affecti, negando rectum in eam cultum deprimere celsitudinem impiè contendunt; At verò ingenuè, & præuio lumine fidei, ac veritatis differenti, & cultus, & qualitas eiusdem se ingerit, quique tanti gradus excelsæ magnitudini meritò, ac iustè respondeat. Fremant infensi, cultum Romano Pontifici asserimus, eumque adorationem tuemur: hunc enim, quòd caput sit Ecclesiæ, quòd Christi Vicarius, quod Petri successor, quòd demùm

mùm in Ecclesiastico ordine summus hierarca iustissimè exigit; tot siquidem cumulatæ excellentiæ supernaturale quid, ac Diuinum, & supponentes, & inuoluentes appræhensæ cultum excitant, quem adorationis termino exprimimus.

1 Id nominis præcipuè assumptum ad contestandum peculiare erga diuina obsequium, ipsumque appræhensi Numinis cultum, quo cœca gentilitas Deos suos profano ore tangere verita, stans eminùs manum porrigebat, eamque statim verenter ad os suum referens, suauiabatur, indeque adorandi ritus quasi manum ad os admouendo; quem confirmant scriptores multi. Plinius. *In adorando dextram ad osculum referimus.* Lib. 28. c. 2. Minutius Fælix. In Octauio. *Cęcilius simulacro serapidis denotato, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens osculum labijs impressit*; Alludit peraptè Iob. Cap. 31. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & osculatus sum manum meam ore meo.* Satis hæc; neque enim decet profanas auctoritates congerere, quæ facilè suppeterent; indeque emicat adorandi proprietas, & intentio, quam Theologi pro triplici appræhensa excellentia, triplici diuersa voce expressere; appræhensam enim excellentiam Diuinam, vt infinitam, eique debitum cultum, ac impendendam adorationem latriam attitularunt. Quòd si excellentia merè humana appræhendatur virtutibus, dignitatibus, & gradibus merè humanis constans, statuitur ipsi debitus ex iustitia cultus, at ciuilis, ac merè humanus, & obseruantia quædam pro varietate subiecti varia: alia enim, quæ, Patri, alia, quæ Principi, alia quę præceptori, alia quæ sapienti debita: at verò vbi fulgent dona supernaturalia, atque excellentissima, sed quæ Diuinitate minora, humanitate autem subli- miora, adeòque inter Diuina, & humana media, inde manat excellentia præcipuo cultu digna, quem Theologi *Duliæ* nomine exhibuere. Cæterùm quia in hoc ipso gradu singulare quidpiam, ipsumque sublimius habent Christi humanitas, & Virgo Sanctissima eius Mater, proinde attollitur hic ipse *Duliæ* cultus, & eleuatiori *Hyperduliæ* voce designatur, *Dulia* cæteris Sanctis relicta; *Hyperdulia* verò Christi humanitati, & Virgini ipsius Matri tributa. Si actus concipientis, & appræhendentis animi inspicias, distinctas has adorationis species apprimè dignosces, pro vario enim appræhensæ excellentiæ obiecto varij specificantur actus, sicut variè se inclinat voluntas in cultum, submissè namque se prosternit, vbi Deum, vt principium primum, finem vltimum, immensum, infinitum sibi exhibitum veneratur: suspicit quidem, at non demissè adeò se inclinat, vbi humanam excellentiam sibi propositam colit; at medio quodam se habet modo, cum excellentia ipsi statuitur colenda Diuina minor, sed & humana maior, eique parem, adeòque mediam inclinationem tribuit. Verùm, vt facile est internos hosce adorantis actus elicere diuersos, ac obiectiuè distinguere, non æquè facile cuilibet externos actus adaptare, & singulos singulis, ijsque proprijs actibus designare, & ideò ijsdem actibus externis adoratio-

nem

nem diuersam contestamur; Vno excepto sacrificij actu, quo vnius Dei cultum exercemus; vnde *Augustinus*; *Multa cultu Diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera, ita tamen, vt quibus deferantur, homines haberentur; quis verò sacrificandum censuit nisi, ei, quem Deum, aut sciuit, aut putauit, aut finxit &c.* & *Gregorius Nyssenus*, quem refert *Diu. Thom. Honorifica signa, quæ inuicem exhibemus fatentes nos humiliores esse respectu excellentiæ proximi transumpta esse à nobis ad obsequia incomparabilis naturæ: quia humana natura nihil habet Deo condignum, quo eius excellentiam protestetur, ac recognoscat &c.* Indeq; fit, vt huiusmodi signa, quibus adorationem exercemus, indifferentia sint, & communia adorationi, quam Deo exibemus, & homini; non enim quot mentis conceptus efformamus, facile est, totidem actus distinctos expromere, qui adæquatè respondeant, & ideò sola adorantis intentione, aut verbis possunt distingui, nisi consuetudine certus aliquis actus sit assignatus, quo Dei vnius cultus, & adoratio exerceatur, & exprimatur; aliàs enim omnia ferè signa, quibus corpore cultus Deo, & reuerentia exhibetur, eadem & adhibentur erga hominem, vt genuflexio, corporis inclinatio, humiliatio, & si quæ similia; sic namque Ruth prostrata in terram adorauit Booz, Abigail Dauid, & Iudit Holofernem. *Adorauit eum prosternens se super terram.* Sic genuflexio ad Deum adorandum adhibita ad homines etiam extenditur; & quàmuis in Dei cultu in vtrumque genu procidatur, attamen & in hominis adoratione idipsum præstitum legimus, vt de quinquagenario illo, qui post duos alios consimiles, aduocato cælitùs igne voce Eliæ Prophetæ consumptos cum quinquaginta suis, & ipse missus iussu Regis; *Cum venisset curuauit genua contra Eliam, & præcatus est eum.* Adoratio igitur externa vniformis quò ad actus in Deum, & in hominem intentione adorantis specificatur, vel etiam, si malis, obiecto ipso, ad quod adoratio dirigitur.

De Ciu. lib. 10. c. 4. — *In Catena Luce 22.* — *C. 2. 1. Reg. c. 25 Iudith c. 10* — *Lib. 4. Reg. c. 1.*

2 Qua quidem veritate attenta retorquentur, ac reijciuntur, quę in Papæ adorationem contorquent, & obijciunt segreges, & infensi inuidiam concitantes, quasi adorationem vni Deo debitam, eiusque propriam vsurpet, ac supra omne, quod Deus est, se attollat. At non ea adorantis Ecclesiæ intentio, dum cultum exhibet capiti suo, & sponso in terris visibili, non ea fidelium sapientum mens, sed salua adoratione supremæ Dei Maiestati debita, adorationem Pontifici impendit inferiorem quidem, sed adorationem tamen, qua quid humano excelsius appræhendens colit sensibili signo, eodem sanè, quo Deum, at mente, & intentione diuersa, & quamuis rudes, & simplices fideles subtiliter hæc non distinguant, sat est, si distinguat Ecclesia, ab errore vindicans quidquid recta intentione ipsi gerunt. Appræhensa igitur in Pontifice maximo excellentia summa adorationis actu colitur medio inter Diuinam, & ciuilem; At verò, quia capitis Ecclesiæ excellentia singulare quidpiam

piam, & eminens inuoluit supra omnes eiusdem Ecclesiæ Præsules, ideò tributâ ipsi adoratione, singulari signo eam decuit contestari. Vbi autem omnibus Episcopis conuenit iure suo, vt pro debito cultu, & caput submittant fideles, & manus exosculentur, par fuit, vt Episcoporum Episcopo singulari ritu submissior exhibeatur cultus, non manus, sed pedes humiliter, ac deuotè osculando. Cultum autem Episcoporum veluti ordinarium in capitis summissione, & manus osculo positum plura confirmant testimonia; præcipuum ex *Can. Valentinianus* 63. *Dist.* vbi apertè de capite Episcopo submittendo; innuit & *Diuus Augustinus* ad Proculeianum Donatistam scribens; *vt dissensiones hominum terminemus, qui capita nobis submittunt, vt eos concordes in terra faciamus*; & Gratianus *Dist.* 10. passim ex oratione Gregor. Nazianzen., ne plura congeramus. De manus osculo Sanctus Paulinus Nolæ Episcopus in vita Sancti Ambrosij eiusdem factum referens Episcopalis manus osculum tanquam quid consuetum indicat, & vt cætera omittamus, inter Missarum solemnia, quàm frequens manus osculum à Diacono inseruiente Episcopo! prout obseruatum ab Innocentio, & meritò; cum ab Episcopali manu vberrima Spiritus Sancti munera in Ecclesiam, & fideles cuiuscumque ordinis obueniant, per Sacerdotum præcipuè manus impositionem, & consecrationem, quam χειροτονίαν Græci appellant, à qua subinde sacramentorum distributio dependet.

Epist. 147.

Lib. 2. Myst. Missæ c. 30

3 Distinctus itaque, & longè submissior debuit Summo Pontifici exhiberi cultus, osculando pedes, qui quidèm non sine Numinis afflatu, vel à primis Ecclesiæ cunabulis originem sumpsit, cum & longè antea inter gentiles hic mos adorandi per manuum, & pedum osculum inualuisset: Homeri, Euripidis, Plutarchi non desunt testimonia, præsertim in Pauli Emilij, & Pompeij vita.

A Persis demùm in communem Romanorum vsum transtulit Diocletianus Cæsar, de quo scriptum, *Diocletianus post triumphum de Persis actum adorari voluit, pedesque sibi osculari*; quod quidem in illo Imperatore carpens Ioannes Cuspinianus in Romano Pontifice damnare non est veritus, quasi à Diocletiano acceptum, & tanquam planè insolens, ac tyrannicum detestatur, immeritò; cum enim mos huiusmodi apud gentes varias iàm inualuisset, communi quodam naturæ iudicio approbatum ambigendum non est, ac proinde in Romani Pontificis legitimum cultum translatum citra, vel minimam, tyrannidis vmbram. Clamat huius submissionis innocentiam mos apud veteres & receptus, & frequens, quo filij, præsertim pro admisso aliquo veniam petituri prouolui ad genitoris pedes obseruarunt, pulchrè Sidonius Apollinaris *Proculo* scribens in aberrantis filij reconciliationem; *Deus magne! quàm lætus orietur tibi dies, mihi nuntius, animus illi, cum paternis pedibus affusus, ex illo ore læso, ore terribili conuitium expectans osculum exceperit!* Remissionis, & indulgentiæ pretium pedum complexum, & oscula profusæ Mariæ Magdalenæ lacrymæ testan-

Lib. 4. Ep. 15. in fin.

ftantur, quam ad pedes prouolutam, osculaque libantem non repulit Christus Dominus, aut factum eius repræhendit, sed hospiti commendauit, singulosque pœnitentis mulieris actus recensens, ait; *Osculum mihi non dedisti; hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos*: quis subinde hunc adorationis ritum suggillare audeat, quem Christus exemplo, & approbatione sua commendat? nec respuit, cum post resurrectionem occurrens mulieribus à monumento redeuntibus dixit; *Auete: Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt*. Quasi proludens exemplo ijs, quæ in Vicario suo præuidebat gerenda.

Luc. 7.

Matth. c. 28.

4 Iàm igitur post Christi Ascensum in Cœlum vagientem adhuc respiciamus Ecclesiam, & ritum eundem in Apostolorum, sed Petri præsertim, adorationem adhibitum intuebimur, *Factum est*, scribit *Sanctus Lucas*. *Cum introisset Petrus, obuius ei venit Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit*; & quamuis subdat ibidem Lucas, *Petrus verò eleuauit eum dicens, surge, & ego ipse homo sum*, attamen non per hoc improbatum procidendi ad pedes actum, & delatum Apostolicæ dignitati honorem arguas, sed correctum Cornelij conceptum in Petro maiora humanis, adeòque Diuina imaginantis; nec sine re oblationes à fidelibus factas, non Apostolis legimus, sed ad pedes Apostolorum; *ponebant enim ad pedes Apostolorum*; ait Diuus Lucas non semel, vt cum oblationis pietate, & debitus Apostolicæ dignitati cultus emicaret, qui subinde à Petro in successores eius fœliciter, & incessantèr transmissus; Nam Acta Sancti Alexandri Papæ, qui sextus ordine post Petrum Romanam Cathedram tenuit, obseruantiam huius ritus contestantur apud. *Surium*, dum Quirinum ab ipso Sancto Pontifice baptizatum, & simul cum eo passum, exhibent procidentem ad ipsius pedes, & osculantem; acta pariter Sanctæ Susannæ Martyris, quæ per extensum regerit *Baronius* non semel exosculatos pedes Caij Summi Pontificis produnt, tanquam ritu consueto: verba actorum libet transcribere. *Rediens verò Claudius domum, cum hæc omnia Prædepignæ vxori nunciasset, illa cum diù ante de fide Christiana sectanda consilium inijsset, sed viri impietate perterrita destitisset; audita viri tanta à Deo facta mutatione repente ad Caium Papam se contulit, ad pedesque procidens eosque ex more* (vt acta habent) *osculata æquè se ad fidem recipi postulauit*. Morem dum legimus in tertio Ecclesiæ sæculo longè antiquorem ritum edocemur, & inferiùs in ijsdem actis. *Sermonem quoque Caius post hæc ad eos habuit, audiente quoque Maximo, qui exosculatis Caij pedibus de Susanna aperuit Diocletianni consilium*, huncque eundem honorem exhibitum ab Imperatoribus successiuè passim contestantur historiæ semper, ac Pontificum frui præsentia Imperatoribus ipsis fuit datum, ac occasio tulit. Idipsum obseruare Episcopos, Sacerdotes, & Clericos omnes apertiùs est, quam vt probatione indigeat; vnde ritum, vel vna ipsa consuetudine, eaque perenni in Ecclesia commendatum non nisi rationabilem licet fate-

Act. 10.

Act. c. 4. 35.

Tom. 5. 3. May.

Tom. 2. Ann. dom. 294.

fateri, & asserere. At verò nec rationes deficiunt.

5 Excellentia siquidem personæ apprehensa insita quadam vi in adorationem nos impellit, vt tradit *Diuus Thomas*, vnde & Principum virorum dignitate, ac præstantia in summam eorum admirationem homines rapti vix sibi temperare potuerunt, quin ad eorum pedes proruerent; Sic enim Nabuchdonosor, vtcumque superbissimus, in faciem suam cecidit Danielem adoraturus, incensum, & hostias ei libaturus: *& iure optimo* inquit Hieronymus locum illum exponens, *ob signorum magnitudinem, quasi mente delapsus Rex seruo adoleuit incensum*. Nec absimili admirationis impulsu Alexander Macedo (vt testatur Iosephus) Iaddum, qui Summo Sacerdotio apud Hebræos eminebat, pronus in terram maxima cum Persarum Principum admiratione, veneratus est. Appræhensa igitur per primos fideles Petri excellentia, qua toti præsidebat Ecclesiæ, concitos nescio quo venerationis æstro, proruisse ad eius pedes quasi raptos, osculaque fixisse in adorationis symbolum certò credimus, indeque transmissa in successores eadem capitis excellentia, propagatum etiam in posteros ritum, factum legitimum, ac ordinarium cultum, consuetudine ipsa suffragante. Pœnitentia, obedientia, iustitia virtutes illæ sunt, quę procumbere homines, & inferiores compellunt, ac in terram pronos adorare. Pœnitentes ideò à Summo Ecclesiæ Capite remissionem implorantes ei adgeniculari cum Tertulliano didicêre; Subditi summæ omnium potestati, & collatæ diuinitùs, obedientiæ contestandæ gratia se humiliter prosternere, quod facturos AEthiopes venturo Messiæ præsagijt Regius Vates, *coram illo procident AEthiopes, & inimici eius terram lingent*. Iustitiæ demùm adorationis cultum impendere quasi debitum, insinuante eodem Psalte, qui tanquam correspectiua connexuit iustitiam, & inclinationem ad pedes demissam, ac adorationem; *tu parasti directiones iustitiam, & iudicium in Iacob tù fecisti; exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius*. A summo autem Pontifice, vt tota in Ecclesiam promanat potestas, ita in ipso tanquam Magistratu summo residet iustitia, ac proinde iusta pedum eius cum veneratione exosculatio. Implendum fuit Isaiæ vaticinium, quo Ecclesię incrementa, ac celsitudinem præmonstrans inquit. *Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi &c.* quæ verba *Prosper* de Regibus, qui Ecclesiam oppugnarunt, exponit; *qui Reges*, ait *Diuus Augustinus*, *non solùm ad eius pedes se ipsos prosternere debent, verùm etiam puluerem lingere, adorare vestigia, basiare, & cultus gratia soleas ad osculum referre &c.* atqui impleri hæc non possunt in mystico Ecclesię corpore, cui non pedes, non vestigia, at in ipso Ecclesiæ Capite, in Ecclesiæ Sponso Summo Pontifice, ad cuius pedes procubuere semper Imperatores, Reges, Principes, procumbunt, & procumbent, vsque ad sæculi consummationem. Quod si non fuit indiginum vaticinari hæc Ecclesiæ,

Margin notes: 2. 2. q. 84. art. 1. — Daniel. c. 2. — Lib. 11. c. 8. — Psalm. 71. — Psalm. 98. — Isaia c. 60. — De promiss. & prædict. Dei par. 3. promiss. 33. — De Vnit. Eccles. c. 7.

nec

nec indignum in Ecclesiæ capite, & sponso cum veritate impleri. At omnem submouet frementium aduersariorum inuidiam consideratio, quòd vt in exhibenda Summo Pontifici adoratione, libandoque pedis osculo excellentiam apprehendimus humana longè maiorem, ita Petrum apprehendimus, quem nobis per successionem reddit, immò & Christum ipsum Dominum, & Deum, quem vt animata imago repræsentat. Vnde sicut vnus est motus in imaginem, ac prototypum, ita exhibitus Pontifici cultus redundat in Christum, cui nullus par vnquam honor, nulla pro meritis sufficiens submissio, & nulla exuperans ideò præstita Pontifici reuerentia, cultus nunquam nimius. *Honoremus seruos* (inquit *Hieronymus*) *vt bonor seruorum redundet ad Dominum, qui ait, qui vos suscipit, me suscipt*, hæcque ponderatio carpentium liuorem retundit, & quidquid nimium arguitur, ab omni exorbitantia purgat.

Ad Riparium Epist. 53.

6 Eòque respicientes Summi Pontifices, vt in actu, quem turgidissimum essent alienigenæ, & ab Ecclesia segreges interpretaturi, humilitatem præberent, crucem calceis adsuere, eosque cruce insignire statuerunt, vt eo signo adorationem in Christum transferrent, ac salutari signo in fidelium obsequio pietatem simul insererent, ac excitarent, dum Pontificem colentes consuetum Ecclesiæ morem seruarent, quo Crucem osculo venerari semper obseruauit. Inde Prudentius.

In Apotheos.

Iam purpura suplex
Sternitur æneadæ victoris ad atria Christi,
Vexillumque Crucis summus dominator adorat.

Neque enim gemmis, prætiosisque lapillis calcei Summi Pastoris fuere ditandi, at vno Crucis charactere, quo nihil pretiosius, nihil augustius. Reliquorum fidelium fronti, & pectori Crux Christi infigitur, at Summi Pontificis calceis, & pedibus, vt eos tanto signo munitos gerens gressus in viam pacis inoffensè dirigeret, nec fideles eius sectantes vestigia aberrare contingeret, qui incessum obseruarent à passione Christi securitatem mutuantem. Crucem calceis infixit Summus Hierarcha, & Apostolicus, vt muneris sui Maiestatem, & pedum decorem ostenderet, & non ab externis, profanisue rebus quidpiam mutuari, sed à munere ipso suo, & à sua dignitate gratiam, ac venerationem colligere, vt dici de eo maximè posset, & cum veritate, *Quàm pulcbri super montes pedes annunciantis, prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion regnabit Deus tuus.* Affixę Crucis merito quàm benè, quàm aptè hæc dicta! Insultent modò Nouatores, quos malè habet exhibitus Cruci cultus, quam detestantur, ac spernunt, ac simulato zelo dolent, quod quæ Regum, & Imperatorum è diademate fulget, in pedibus, & calceis Pontificis Romani vilescat, quasi proculcata; non enim contemnens Summus Pontifex Crucem sandalijs suis affixit, aut affigit, sed impensissimè venerans: quę enim gemmæ, & pretiosiores lapilli Regio more in calceis ipsi competerent, ex quo regia omnia edicto suo in ipsum transtulit Constantinus, in

Isaia 52.

Crucis signum sunt commutati, & Crux ipsa lapillis, & gemmis, quibus nil magis in pretio, fœliciter substituta, ea credens magis fulgere calceos, quàm si pyropis, & adamantibus rutilarent; Nunquam, vel leuiter suspicatum inter fideles, etiam, ipso æuo rigidioris disciplinæ, aliquid, vel minimùm, de Crucis deleri dignitate & decore, si familiariter nimis eius vsus frequentetur, eorundem actionibus, ac infimioribus vsibus Crucis signum admoueatur. *Tertulianus* testis adest *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conuersatio exercet frontem Crucis signaculi terimus.* Quanto minùs suggillanda Summi Pontificis pietas, qui signum Crucis in calceis ad adorationem per osculum proponit, vt quod gestat in toto Pontificio ornatu, & iactat, idipsum, vel infima sui ipsius parte spectandum ambiat. Crux enim ei pro virga, & Episcopali pedo; Crux in thiara pro pretiosiori gemma; Crux in Pontificali pallio quaquà versùs emicat; Crux à pectore pendet, debuit igitur & pedibus adesse, vt à planta pedis ad capitis verticem Crux splenderet, indeque Pontificiæ Maiestatis illustraretur aspectus. Facessat igitur contemptus suspicio, quem sibi fingit liuor: cuncta cessabunt obiecta, si secedat & liuor ipse, quem pungit, & concitat Pontificia celsitudo.

De Corona milit. cap. 3

CAP. XI.

De Ecclesiæ Senatu, & Cardinalibus.

1 *Introductio, & partitio materiæ.*
2 *Cardinalium figura, ex veteri lege.*
3 *Cardinalium institutio prima. Vnde.*
4 *Reliqua Cardinalium subinde: & de nomine, & Cardinalitij gradus progressu.*
5 *De Cardinalium officio, eiusque partibus duabus magis præcipuis, Pontificem eligere, & ipsi assidere.*
6 *Cardinalatus dignitas vera, & non simplex officium.*
7 *Quàm iustè Episcopis præferantur Cardinales, & quibus rationibus.*
8 *Quæ contra Cardinalium sublimitatem.*
9 *Eadem soluuntur.*
10 *De Cardinalium titulis, & eorum distinctione.*
11 *A quo possint eligi Cardinales.*
12 *Cardinalium dotes.*
13 *Cardinalium quæ priuilegia, & præcipuè de purpura.*



ECCLESIAE Regimen, vtcumque ad supernaturalia tendens, quia ex hominibus constat, humano etiam modo debuit institui, & instrui; vnde sicut visibile post Christum fuit assignandum caput, ita & reliqua constituen-

stituenda, quæ & ad dirigendum regimen ipsum, & ad finem feliciter assequendum proficerent. Supremo itaque capiti, & suus fuit assignandus Senatus, nosque post Tractatum de Summo Pontifice, de ea parte, quæ post Principem potissima est, subijcimus, Senatu scilicet.

1 Optabile esset, Reipublicæ eum præesse Principem, qui virtutibus cunctis, & solido rerum vsu instructus solus ipse, quantumuis immenso regimini, sufficeret; verùm optari id magis potest, quàm sperari; sed sat fuerit, si sciat optimus Princeps consilijs vti: in quacumque enim administranda Republica nil est maioris momenti, quàm omnia Senatus consilio, & auctoritate decerni, qui in politico corpore mens, & ratio est, à qua tota corporis salus pendeat. Hunc habet Ecclesia, isque non alius, quàm Cardinalium cætus, qui verus ipsius Ecclesiæ Senatus, ne quid improuidè in suprema illa Sede geratur, neque eius dignitas, & auctoritas possit, vel minimùm, minui; Hieronymus relatus *in Can. Ecclesia 16. q. 1. Senatum quoque Romani habebant, cuius consilio cuncta agebant, & nos habemus in Ecclesia Senatum nostrum, Cætum Presbiterorum.* De hoc Senatu potiora hæc nobis sunt inquirenda. Vetustas, & origo, vnde nomen, quæ dignitas, officium quale, & si quæ vlteriùs curiosa, & opportuna sese exhibuerint.

2 Iam aliàs obseruatum, nil grande vnquam, aut in Ecclesia conspicuum, cui non proluserit Deus in veteri Lege per figuram, quæ perfectiora, & sublimiora prænunciaret. Cardinalium Cætus, & augustissimi in Ecclesia Senatus figura non semel emicuit in Synagoga, & veteri Lege. Fuit namque primùm eius imago illorum electio, qui à Mose ad populum iudicandum destinabantur, inspirante Numine erectum Concilium, & Hietro Mosis socero suadente. *Viri sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Exod. c. 18. Aliquantò expressior, & secunda, fuit in Sacerdotibus Leuitici generis, ad quos direxit Deus Mosem: vbi quid ambiguum in iudicando offenderet. *Ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit in illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem*; Deuteron. c. 17. & demùm explicatior, cum lassato iam Moysi præ regiminis pondere loquitur Deus, *Congrega mihi septuaginta viros de Senibus Israel, quos tu nosti, quòd senes populi sint, ac Magistri, & duces eos ad ostium Tabernaculi fæderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Num. 11. Crederentur fortasse allusiones istæ ex scribentium magis ingenio, quàm figuræ, & futuræ veritatis imagines, nisi Summus Pontifex Innocentius Tertius sigillatìm conferens approbaret *in Cap. Per Venerabilem. Qui filij sint legitimi*, præcipuam enim ex allatis iam figuris assumit, & aptissimè accommodat ex relatis iam supra Deuteronomij verbis.

Sanè cum Deuteronomium Lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo Testamento debeat obseruari; locus enim quem eligit Dominus Apostolica Sedes esse cognoscitur; & infra. *Sunt autem Sacerdotes Leuitici generis, fratres nostri, qui nobis iure Leuitico in executione Sacerdotalis officij coadiutores existunt*. Collationem exactè prosequitur Innocentius; satis nobis confirmasse figuratam Cardinalium originem. Iàm à figura propiùs da rem.

3 Vbi Christus iactis Ecclesiæ suæ fundamentis Discipulos assumpsit, & ex eis Apostolos delegit, iam eosdem Apostolos obseruare licet, non idem munus semper exercentes. Primò enim videmus Christo adhuc in carne existenti, & per se Ecclesiam suam regenti assidere Apostolos ante Ascensionem, quos alloquitur Dominus. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum*, Ecclesiam scilicet; prout hunc primum, licet breuem, statum eiusdem ex tribus, quos distinguit, accuratè assignat. *Io: Dartis*. Secundò, Ascendente in Cœlum Domino, cum iam visibile caput sibi Vicarium substituisset, Petrum, Apostolos intuemur Petro ipsi tanquam Pontifici præsto esse in Ecclesiæ regimine adiuuantes, ac ipsorum consilio in arduis Petrum vtentem, vt in prima Hierosolymitana Synodo circa excitatam de legalium vsu quæstionem. Tertiò demùm considerare licet eosdem Apostolos munus Episcopale iàm assumentes separari à Petro, & iuxta Christi verbum, *Euntes in Mundum Vniuersum prædicate Euangelium omni Creaturæ*, per Orbem dispersos sortitò prouincias ad prædicandum Euangelium accipere. Spectamus igitur Cardinalium in Ecclesia institutionem, originem per exemplar exhibitam, dum assidentes & Christo, & Petro Apostolos legimus, Petrumque ipsum eorumdem iuuari consilio quamdiù ei adhęsere: at vbi ad proseminandum Euangelium abiere, non destitutum Assessorum consilio Petrum fas est credere; Antiochię enim (si coniectari liceat cum *Ludouico Cellotio*) concilium præcipuorum Iudæorum habuit, ex quorum opinione dissimulationem illam suscepit, de qua *Diuus Paulus*. Romæ verò tenuem, & exiguum Romanum Clerum habuisse in Consilio extra omne dubium est, & in eo præcipuos extitisse Linum, Cletum, Clementem, qui subinde & ei in Pontificatu successerunt.

Lucæ 22.

In libello suo singulari de statu Ecclesiæ tempore Apostolorum cap. 10 in princ. & per tot.

Marci c. 16

De hierar. Lib. c. 8.

Ad Galat. cap. 2.

Sicut itaque assumpto in Cœlum Christo Domino ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam Diuina Prouidentia instituit, vt visibile caput Christi vice Ecclesiæ præsideret, eamque regeret, ita post dispersos Apostolos, eosque vita functos, decere omnino fuit visum, vt ad Ecclesiæ regimen, quæ humano modo regi debuit, Apostolicum Collegium semper in ea permaneret, & successiuè subsisteret, idque tunc ostensum, cum collapso à tanto culmine proditore Iuda, Diuus Petrus consentientibus Apostolis supplendum, ac instaurandum numerum declarauit, & successorem Iudæ dandum, qui fuit Matthias. In Apostolorum igitur gradum, & Christo, & Petro assidentium succedunt Cardina-

Act. Apost. Cap. 1.

dinales, ac proinde hoc ipsorum munus in veteri Lege adumbratum, à Christo ipso in Apostolorum assidentia confirmatum, & à Diuo Petro. obseruatum, eiusque ideam adeò excelsam suspexere venerabundi Interpretes ad *C. Per venerabilem* §. *Rationibus*. *Qui filij sint legit.* & *ad C. fundamenta* §. *Decet. de Elect. in 6.* quæ iura, si coniungantur, attentè ponderanti omnia hucusque tradita confirmant.

4 At verò nomen Cardinalis si spectes, officia varia, titulos, & titulorum erectionem, ac distinctionem, siue numerum, præeminentiam, & priuilegia diuersa, hæc vtique omnia à Summis Pontificibus sunt, & ab humano iure, quod tamen sublimiorem adlusionis, & exempli originem non excludit. Neque enim ex eo, quod Sacerdotij veteris facta sit translatio, inferre licet, non esse eundem Cardinalium gradum, & Sacerdotum Leuitici generis, quia translatum quidem fuit Sacerdotium, quòad ritus, victimas, & solennia, at substantia, & intentio est eadem in noua, quæ & in veteri lege, ac in figurato, quæ fuit in figura, licèt magis perfecta, & explicata magis. Sint quidem Cardinales Senatoribus, patritusque similes, at cum ea similitudine stare potest institutionis differentia, & originis, nec repugnat, vt inter duo proportione similia, sit origo diuersa, concilianturque dissidentes sententiæ circa Cardinalium institutionem. Quod attinet ad Cardinalis Nomen (neque enim id omittendum) à cardine illud est, circa quem fores, & postes vertuntur simul, & inituntur. Qua allusione, & puncta duo in Cœlo immobilia ad Austrum alterum, & alterum ad Septentrionem, super quibus tota vertitur Cœli moles, cardinalia dicuntur, & poli vulgaritèr, & quod in causa, aut in negotio præcipuum, cardo. Ex quo factum, vt cardinale idem sit, ac principale, quo sensu virtutes cardinales cæteris principaliores appellauit *Ambrosius*: quatuor Mundi partes cardinales Seruius, & Donatistas primarios, cardinales *Augustinus*; & demùm principales inter Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Canonicos, Clericos cardinales appellant *Canones in Cap. In Nomine Domini 23. Dist.* *C. Præsul. 2. q. 6. Cap. Ministerium De off. Archipresb.* & ideò hoc ipsum nomen Romanæ Ecclesiæ Clericis, & ex ijs composito Senatui fuit adaptatum, aut quia eorum consilio regatur Romana Ecclesia, quæ omnium Ecclesiarum cardo, aut quia ipsi Romano Pontifici, tanquam totius Ecclesiæ cardini, inhęreant. Apposita sanè allusio, at quæ non satis exprimat, vndenam Clericis Romanæ Ecclesiæ id nominis per excellentiam accesserit, & quæ præcipua eos ita denominandi, magisque proxima ratio. *Onuphrius* enim Panuinius Cardinales Presbyteros, & Diaconos eos dici voluit, qui Presbyteris, & Diaconis cęteris præessent in eadem Ecclesia, quasi principales: at incerta nimis hæc ratio, ex eo primùm, quòd in eodem titulo plures erant nonnunquam Presbyteri Cardinales, vt indicat subscriptio Presbyterorum in Synodo Romana sub Mauritio apud *D. Gregorium*, vbi leguntur Petrus, Placitus, & Anto-

Lib. 5. in Luc.

ad lib. primū æneid. Virg.

Lib. 1. De Bap. c. 6.

De Cardinalium titulis.

In Regist. lib. 4. c. 88.

Antonius eiusdem tituli Sanctę Balbinæ, Speciosus, & Leo eiusdem tituli Sancti Damasi, & Laurentius, ac Ioannes Sancti Syluestri. Secundò quia *Canone* 15. Neocesariensis Concilij in qualibet quantumuis ampla Ciuitate non nisi septem Diaconi poterant ordinari, & tamen Diaconi illi in Vrbe Roma Cardinales dicebantur ex Concilio Romano sub Syluestro *Can. 6. Et Diaconi non essent plus, nec ampliùs per Parochiarum examen nisi duo, & Diaconi Cardinales Vrbis Romæ septem*, ait Canon, quem si audiamus Diaconi Cardinales dici non possunt, qui cæteris Diaconis præessent. Et demùm Cardinales denominantur non solùm Diaconi, & Presbyteri; sed & Episcopi, cum tamen in vna Vrbe, & Ecclesia vnicus sit Episcopus, non plures, quibus qui præsit Cardinalis dici debeat; vtcumque Panuinius in Episcopis aliam rationem denominationis assignet, vt scilicet dicti sint Cardinales, qui Pontificiæ Ecclesiæ singularitèr seruirent. At verò Bellarminus, & cum eo Baronius Cardinalis nomen à loco ad personas translatum voluit; existimat enim ex Ecclesijs Romanæ Vrbis aliquas fuisse, quæ Cardinales dicerentur, in quibus baptismus, & sacramenta alia ministrarentur, quod tamen in alijs non fiebat; sicque & inter Diaconias aliquas fuisse magis insignes, in quibus qui residebant, etiam si plures, Diaconi Cardinales dicerentur, idemq; de Episcopis Cardinalibus, vt ij dicerentur, qui Ciuitatibus illis sex Romanæ Vrbi finitimis præessent, quique in eo super alios eminebant, quod vtpote Vrbi proximi ad eligendum Romanum Pontificem vocarentur, & singularitèr præ ceteris comprouincialibus ei, quasi ordinario munere, assiderent; Hoc Cardinalis nomen Episcopis, & Presbyteris aliquibus aliarum insignium Ecclesiarum competijsse non diffitemur; at præeminentia semper Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus relicta, vt pote ijs, quibus non tam ex loci, quàm ex muneris propria, & singulari excellentia competeret.

Tom. 1. Cont. de Cler. c. 16.

At quidquid sit de Nomine, & eius vetustate, certè munus, & officium fuit longè vetustius nomine ipso, idque confirmat Eugenius IV. Summ. Pontif. constitutione sua, *quod si huius dignitatis nomen, quod modò in vsu est, ab initio primitiuæ Ecclesiæ non ita expressum fuit; officium tamen ipsum à Beato Petro, eiusque Successoribus institutum euidenter inuenies*. Certissima est vsus antiquitas, quàmuis nomen sit longè posterius: nam ante Syluestri Romani Pontificis tempora inauditum fuit Cardinalis nomen, & eo æuo raro tributum; at sub Gregorio Magno cœpit frequentiùs id nominis pluribus Episcopis dari, & ad ampliorem vsum, ac significationem traduci. Vbi namque Presbyter, aut Episcopus vni Ecclesiæ iam addictus ad aliam viduatam transferebatur, quia huius non poterat dici absolutè Episcopus, aut Presbyter, cum iam suæ esset obstrictus, illius, ad quam transferebatur, dicebatur Cardinalis Episcopus, aut Presbyter: spectare frequentèr id licet in eiusdem D. Gregorij Magni epistolis, & apud Ioannem Diaconum in ipsius *Gregorij* vita, vbi hæc ad rem legimus. *Expulsos tàm citò incardinare non poterat; vel quorum reditus ad proprias sedes contingeLib.3.c.16.

Incipit; non mediocri anno 1439. Bullar. tom. 1.

tingere posse sperabat; & alibi; *licèt* Cap. 18. *vacantes Episcopos vacantibus Ciuitatibus incardinare studuerit*; & Cap. 19. vt cetera omittamus similia, vnum illud addemus; *Aliarum parochiarum Clerico sibi, & alijs Pontifex incardinare curabat*; Siue igitur essent certæ alicui Ecclesiæ addicti, siue essent Presbyteri principales, & primarij, aut quia Ecclesiæ eorum erant principales, aut quia ipsi inter alios sui ordinis essent sublimiores, hoc certum, quod Cardinalis nomen quid principale, ac superemineus connotat, sicut & officium ipsum confirmat.

5 Quos pungit Romanę Ecclesiæ Maiestas, & Sectarij præsertim, Cardinalium munus extenuare contendunt, ac ita deprimere, vt ad simplicis Parochi officium nitantur redigere; quasi ipsorum partes sint Sacramenta ministrare, creditam sibi plebem regere, erudire, & expiare, ceteraque huiusmodi exercere munera. At dignitatis excellentiam nil minuunt hæc ipsa charitatis officia; sintque hæc Cardinalium propria, sed non sola, nam præter Episcopi, Presbyteri, & Diaconi quasi naturalia munia, duo adhuc alia sunt, quibus Cardinalium gradus in Ecclesia meritò attollitur, alterum est Romanum Pontificem eligere, alterum, ijdem Pontifici tanquam consiliarios ad Christiani Orbis regimen assidere. Quoad primum attinet munus; grande sanè illud, nec aliud certè maius, quàm Pontificem, & Caput toti Ecclesiæ dare, quod munus quando, & quomodo ad Cardinales sit redactum, iam traditum est, cum de electione Romani Pontificis actum, neque hic denuò repetendum. Inde grande incrementum accessit Cardinalium gradui; sed & longè maius, cum inualuit, vt ex Cardinalium Ordine assumeretur Pontifex, & Ecclesiæ Caput, decernente, seù veriùs, consuetudinem confirmante Stephano Quarto in Concilio Romano, vt innuit *Can. Opportebat 79. Dist. Opportebat, vt hæc Sacrosancta Domina nostra Romana Ecclesia (iuxta quod à Beato Petro, & eius Successoribus institutum est) ritè ordinaretur, & in Apostolatus culmen vnus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis consecraretur*. Nec minùs sublimis est pars altera officij, qua in consilijs dandis Summo Pontifici tanquam verissimi Senatores versantur. Id muneris ad solos Cardinales quasi per gradus redactum: nam primis fermè octingentis Ecclesiæ annis ad grauiora negotia deliberanda concilia nationalia (vt vocabantur) Italicorum Episcoporum in consilium aduocabantur, quibus concilijs Presbyteri etiam Cardinales interueniebant, vt ex memorato supra Concilio Romano apud Diuum Gregorium Magnum constat, cui subiectæ Presbyterorum Ecclesiæ Romanę subscriptiones, quos fuisse Cardinales nemo negat. At vbi auctæ Ecclesiæ opes, temporalisque Principatus accessio facta, iam maiori cœpit esse opus assidentium consilio, cum facilè adeò, & frequentèr non possent congregari concilia, nec deceret abesse à gregibus suis Pastores, vt ad Synodos conuenirent, sensim omitti cœperunt, & summa tota ad Cardinales redigi, tanquam ad eos, qui præsto semper adesse possent, quique assiduè in rebus versantes aptiores

etiam

etiam ad conſilium reddantur, ſicq; euectus in dies magis, ac magis Cardinalitius gradus vſque ad ſublimitatem illam, qua nulla poſt Pontificem in Eccleſia maior.

6 Vnde inane cenſemus inferre, aut confirmare Cardinalatum eſſe in Eccleſia dignitatem. Definitionem enim dignitatis communiter ab interpretibus traditam ſi aſſumas, & ad eius amuſſim Cardinalatum examines, nihil planè deficere comperies, quò minus aptiſſimè definitioni ipſi reſpondeat; Solem hoc eſſet face illuſtrare, ideòq; ſubſiſtimus. Ea eſt autem Cardinalatus Dignitas, vt vel dignitati aſtronomicæ, eiuſque definitioni arrideat; definitur ipſa, *quòd ſit prærogatiua Planetę, qua ex eius habitudine ad Solem loco in Zodiaco, aut Mundi ſitu, motu, & configuratione ad alios viribus augetur, & plurimùm roboratur*; Sic aſſignat Vir doctiſſimus, & in Cœleſtium Theoria peritiſſimus *Reu. P. Hieroymus Vitalis* è Theatina familia amicus omni dignus cultu. *In Lexico Mathematico. Verbo Dignitas.* Conſidera Summum Pontificem Solem, vt & nos ſupra duce Magno Baſilio; expende Sydera alia in Eccleſia minora, & Cardinalatum cum definitione confer; nec enim nos immoramur, quandò lepidè id volumus cogitatum. Iàm ad rem. Præexcelſa dignitas eſt Cardinalatus, vtcumque velimus ei adnexum officium, quod tamen dignitatis ſplendorem, vel minimùm, non minuit: ac proinde poſt Pontificem ſummum Cardinales alijs omnibus veriſſimis Eccleſiæ Dignitatibus antiſtant, eaſque præcedunt. Et iuſtè quidem; tum quia ipſorum cætus Eccleſiæ Senatus eſt, & ſenatoria maxima dignitas; *l. Nemo Præfectus. C. De Dignitatibus lib. 12.* tum etiam quia Patritijs ſimiles *C. Conſtantinus. 96. Diſt.* quæ Patritiatus dignitas omnium ſuprema poſt Imperatorem habita fuit *l. Nemini. C. de Conſulib.* Hic patritiatus Ordo diuerſæ omninò denominationis eſt ab eo, qui in Romanorum Republica floruit, quique ex eo dictus, quòd ex viris conſtaret, qui deſcenderent à Patribus per Romulum conſcriptis: hìc verò ex eo denominatus, quod ea dignitate fulgentes Patres quodammodò ipſius Imperatoris fierent. Hunc ordinem erexit Conſtantinus Magnus, quo, qui potiretur, medius poſt Conſulem, & ſupra Præfectum Prætorio eſſet: *Caſſiodorus. Præfectorios, & aliarum dignitatum Viros præcedit, vni tantùm cedens fulgori, quem interdum etiam à nobis conſtat aſſumi, Conſulatui ſcilicet*. *Lib. 6. Forma. 2.* Decus hoc pluſquam Regium, ac veluti gradum ad imperium, conferre quandoque conſueuere Cęſares, ipſique Pontifices nonnunquam Regum maximis, vt Clodoueo, & Pipino Regi, & Carolo Magno; Hac fulgent dignitate Cardinles, & ideò ſicut Patritij vno Cæſare minores, ita ipſi vno Pontifie Summo, & Regibus meritò pares. Sit demùm vltima celſitudinis, & eminentiæ linea, Pontificem cum Cardinalibus vnum corpus conſtituere veluti caput cum membris, ideòque idem, licèt participatus, ſplendor, eadem, ſed communicata, maieſtas, & corpus vnum eodem cenſendum iure *C. cognouimus 12. q. 2. Cap. cum in tua. De Decim.* niſi quatenus capitis incomparabilis prærogatiua ſingulare quidpiam, ac diſtinctum expoſcat.

7 Indeque iuſta emicat ratio, prop-

propter quam Cardinalium dignitas omnibus Ecclesię gradibus, & etiam Episcopali præfertur, quod ferre non possunt, quos in Cardinalium præeminentia torquet Romanę Sedis celsitudo; at si omnia disti nctè (vt decet) consideremus, nihil detractum Episcopali gradui, & in rectum ordinem nihil commissum fatebimur. Pontificem enim, & Cardinales ita spectare debemus, vt Summum Ecclesiæ Caput, & Principem cum Senatu suo agnoscamus Ecclesiam vniuersam regentem, ac veluti corpus vnum cum membris ad Reipublicæ sibi creditæ regimen, ac administrationem, circumscripta pro nunc qualibet sacramentalis ordinis prærogatiua; qua attenta Ecclesiæ administratione Cardinalium gradus Episcopali censetur potior, & habetur longè sublimior ratione non vna. Primò enim Cardinalium munus commendat antiquitas, ipsi namque Apostolos exhibent in primis nascentis Ecclesię cunabulis Christo Domino assidentes, cum nondum essent adhuc Episcopi: pręcedentiæ autem iustitiam fundat antiquitas *Cap.* 1. *De maior*; *& obed.* Secundò ipsa administrationis amplitudo suadet, quæ maior in Cardinalibus, quàm in Episcopis; præsident enim illi regimini totius Orbis spirituali, hi vnius Diœcesis, & Vrbis, vnde Episcopis credita pars solicitudinis, Cardinalibus communicata potestatis plenitudo. Tertiò inde fit, vt Cardinales Iudices Orbis sint constituti, ac omnium Ecclesiæ Ordinum siue Episcoporum, siue Archiepiscoporum, siue Patriarcharum; qui iudicat autem semper maior eo, qui iudicatur. *Cap. Inferior.* 21. *Dist.* & demum in censenda Cardinalatus præeminentia Pontificia Maiestas attenditur, cuius partes, & membra sunt Cardinales, nec tam ordo, quàm iurisdictio spectatur; ad quam respiciens *Diuus Bernardus* Cardinalium operam in Ecclesia regenda paucissimis, sed aptissimis verbis est complexus. *An non eligendi de toto Orbe Orbem iudicaturi*? quod nusquam de Episcopis dictum. *Lib.4. de Consid.c.3. Epist. 188.*

8 Verùm non transit sine liuoris censura Cardinalitia sublimitas apud eos, qui Primatum Romani Pontificis sanis oculis intueri non possunt. In Cardinalibus enim Pontificiæ Maiestatis sentiunt radios perstringentes aciem, & ideò attenuare student, si non extincturi splendorem, saltem ex improbo voto imminuturi. Afferunt ergo, primis Ecclesiæ temporibus Cardinales Episcopis nunquam prælatos, tanquam nec gradu superiores, & vsque ad Clementem V. & Ioannem XXII. præiuisse Episcopos Cardinalibus, immò vsque ad Bonifacium VIII. Episcopos Cardinales fieri non consueuisse, ne à sublimiori gradu ad inferiorem descenderent, & obseruatum per mille annos, ne Presbyter Cardinalis Vrbis Romæ Episcopus esset, vel Episcopatum administraret quasi & longè maior dignitas, esse Episcopum cuiuslibet Dięcesis, quàm Cardinalem, quem ordinem modò inuersum spectamus, & ęstuantes Episcopos pro gradu Cardinalitio; & quę fuit olim Cardinalitia eminentia? si Cardinales legimus regulares Monachorum abbatias assumentes, factosq; Abbates, Monachos regere retento nudo titulo, aut nomine Presbyteri Cardinalis Romani, vt ex Epistolis *Lib.7.Ep.7 8.* Gregor.VII. *de Richardo*, *& Deside-* *Lib. 9. Ep. 29. & 60.*

rio Massiliensi altero, & altero Cassinensi Abbate. Nec minùs probant inferiores Episcopis Cardinales subscriptiones in Concilijs ita dispositæ, vt primùm Episcopi, & deinde Cardinales subscriberent: sic enim in octaua Synodo Donatus Episcopus Hostiensis, & Stephanus Nepesinus subscripserunt ante Marinum Apostolicæ Sedis Diaconum. In Synodis Romanis tertia, & quarta sub Symmacho soli Episcopi, ijque plures, & nulli Presbyteri, aut Diaconi Cardinales subscribunt, & inter Episcopos, qui non erant Cardinales, præferuntur in subscriptione Romanis Episcopis Cardinalibus Hostiensi, Prænestino, Albano. In Romano Concilio sub Mauritio apud *Gregorium Magnum* leguntur primæ Episcoporum subscriptiones, & succedunt subinde illæ Cardinalium. In Ephesina designata Synodo eadem dispositione nominati leguntur Apostolici Legati apud *Baronium*, & in Concilio Lateranensi sub Zacharia Summo Pontifice apud eundem, consimilis spectatur nominum series: vt omittamus quamplura alia & Concilia, & exempla, quæ studiosè nimis congessit liuor in deprimenda Cardinalium sublimitate planè anxius: at præsertim regerit Romanum Concilium sub Syluestro, in quo nec considere cum Episcopis datum Cardinalibus, sed stare post eorum terga, & quid mirum? si Clerus cuiuslibet Ecclesiæ fixus, titulatus, & ordinarius Cardinalis est; immò si quæ Ecclesia fuisset Collegiata in ea Cardinales plures Presbyteri, Diaconi, & etiam Subdiaconi requirebantur, indeque & ad hæc vsque tempora, in pluribus Ecclesijs Cardinales dicuntur earum Canonici, vt in Rauennatensi Compostellana, & si quæ sint huiusmodi. Vndenam ergo tanta Cardinalium sublimitas? Idem respondent, quod de Romanæ Ecclesiæ Primatu, ac Romani Pontificis splendorem scilicet, & temporalem excellentiam Romanæ Vrbis tribuisse & Ecclesiæ, & eius Episcopo grandia incrementa, & ex eadem causa Clerum supra omnes alios, & superbè nimis, elatum. Prostant adhuc apud Hieronymum, & Augustinum acres inuectiuæ in Romanorum Diaconorum fastum supra Presbyteros se attollentium. Accedat & cura, quam gerebant circa Romanum ipsum Episcopum, quæ quidem id operata est, vt cum eo creuerint (vt obseruat *Franciscus Duaren.*) & culmen illud conscenderint, ex quo cum tanta maiestate eminent, vt soli Cardinales per excellentiam velint & intelligi, & haberi. Hæc quidem omnium summa, quæ sparsim inuidus liuor effudit, & quæ breui reposita consideratione facilè concident.

Lib. 4. C. 88

Tom. 4. Annal. Anno 419.

Tomo 9. Anno 745.

De Sacris Eccles. Ministeriis, & benef. lib. 1. c. 13.

9 Nemo negauit, quin Cardinalatus Romanæ Ecclesiæ semper idem fuerit, qualis à sui primordio institutus; non tamen idem semper fuit eius fulgor, sed successiuè cum Ecclesiæ dilatatione, & exaltatione sua fœliciter adeptus est incrementa. Ideòque, & si aliquo tempore ita fuerint supra Cardinales Episcopi, vt nemo Episcopus Cardinalis fieret; at non hoc ideò, ne de summo ad ima descenderet, sed ideò (vt obseruauit Panuinus) ne Ecclesiæ suis Pastoribus priuarentur. Fuit Episcopatus Cardinalatu sublimior, at ordinis caractere inspecto, per quem potest plura simplex Episcopus, quæ

non

non potest Cardinalis non Episcopus; at verò comparatio non quò ad ordinem, sed administrationem est. Transierint Cardinales ad monasticam vitam, at perfectionis, & humilitatis fuit, nec nisi malignè in tanti gradus depressionem verti potest. Nec quid magis certi arguunt allegatæ Conciliorum subscriptiones, quibus Episcopi non Cardinales, Cardinalibus priores subscripsere: nàm primò, & plura intueri licet Concilia, in quibus Cardinales ante Episcopos subscripsere, & esto, quòd nonunquam oppositum seruatum fuerit, non per hoc detrimenti quidpiam gradui post Pontificalem proximo potest afferri, id enim spontaneæ reuerentiæ tribuendum, quam ordini Episcopali superiori Cardinalatu seruandam agnoscebant. Fuit quidem hic gradus semper, at non æquè sublimis, sed quoad externa successiuè amplitudinem acquisiuit; vnde & pro temporum varietate variè etiam fuit quòad præcedentiam obseruatum, sed semper sine vllo essentialis prærogatiuę detrimento, & tunc demùm sublimitatis apicem, supra etiam Episcopos, attigit, cum supremi capitis electio ad solos Cardinales est translata, & Summus Pontifex cœpit ex Cardinalibus eligi, tunc enim negari non potest, quin grande sit additum Cardinalitio gradui incrementum, nec minùs, cum cæperunt Cardinales soli in consilium Summi Pontificis adhiberi, in non vsum abeuntibus ex causis iam supra tactis Nationalibus Episcoporum Concilijs Italiæ, quibus aderant quidem & Presbyteri Cardinales, sed nobilior locus dabatur Episcopis, vt pote ijs, qui Summum Pontificem consulendo magis iuuassent. At vbi hæc immutata facies in Ecclesia, cœperunt Cardinales Episcopis præponi, non quod Cardinales nouum quid sint assecuti, sed redactum in actum, quod à primæua institutione habitu iam obtinebant. Vtcumque autem hoc Cardinalis nomen fuerit alijs etiam Clericis commune, eoque designari aliquando consueuerint principaliores Clerici, nil tamen id prohibet, quin per excellentiam Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesię simplicitèr Cardinales dicantur, quibus præter munus sui tituli proprium, munus etiam assidendi Romano Pontifici competat: cui si addas ius eligendi Summum Pontificem, & vt ex ipsis eligatur, iam habeas omnia, propter quæ Cardinales Romanæ Ecclesiæ, tanquam omnibus alijs eminentiores, meritò suspicias, aliosque veluti scenico gaudentes nomine agnoscas vix ipso nomine comparandos. At nihil magis à veritate alienum, quàm Cardinalatus præstantiam à splendore Romanæ Vrbis deducere. Reiectum iam supra hoc ipsum, cum Primatum Romani Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ ad suas veras reuocantes causas à commentitia hac fallacia vindicauimus.

Decuerit, Vrbi terrarum Dominæ Ecclesiæ, & Senatus eius maiestatem affigere, at non item à mænibus, & materiali mole, ac Imperio mutuatam eiusdem præeminentiam; deceat asserere, nec ferendum, Cardinalitiæ amplitudinis assignare originem, & causam Diaconorum Romanæ Ecclesiæ insolentiam, in quam acritèr adeò sunt inuectiPatres, & de qua latè Baronius; ea enim coniectura, vt nihil audaciùs, ita nihil

nihil fallacius potest excogitari, idque ipsum euincunt plura. Primò enim omnes Romanæ Ecclesiæ Diaconos improbo fastu se extulisse, non credibile est, sed humiles aliquos infra Presbyteros se modestè continuisse, nec credendum, quòd à paucorum procacia totius Cardinalitij Ordinis splendor processerit. Addemus, quòd hæc ipsa Diaconorum petulantia non solùm Romæ, sed alibi etiam erumpens, Conciliorum decretis, & canonibus fuit non semel repressa, vt magnæ Nicænæ Synodi *Can*: 18. qui confirmatus etiam fuit. *Can*. 18. Carthaginiensis Concilij, immò cum repressa sæpiùs insurgeret, resistendum fuit, & agendum Ecclesiasticis censuris, vt in Concilio Romano sub Gelasio 1. *Can*. 18. Arelatensi 2. *Can*. 15. & Andegauensi *Can*. 3. Non ergo id Romæ solùm, neque ex Romanorum Diaconorum insolentia potuit Cardinalitia magnitudo & oriri, & excrescere. Accedat, quod non omnes Diaconi Cardinales extiterunt, vnde quod de Diaconis Romanæ Ecclesiæ fertur non continuò de Cardinalibus omnibus accipiendum, & si Diaconi nimio typho elati tumuerunt, quomodo Presbyteri Cardinales potuerint supra omnes alios se efferre? Pudet circa maleuolum commentum immorari; neque enim inquirenda est alia causa Cardinalitiæ Eminentiæ, quàm facta à Christo Domino per exemplum institutio, & gestæ per Cardinales Apostolorum vices Christo Domino in regimine Ecclesiæ assidentium, & vbi apertam habemus causam, alia quælibet debet facessere.

10 Iam ad titulos, & gradus Cardinalium. In tres gradus dispонuntur, vt alij sint Episcopi, alij Diaconi, quæ ipsa est totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ distributio, vt de ipsa agentes ostendemus opportunè. Nemo autem Cardinalium, saltem sine Diaconi titulo, creari solet, sicut & nemo Cardinalis Comitijs suffragium dat, vbi præcipuè de eligendo Romano Pontifice agitur, qui Diaconus non sit. *Clem. Vt hi §. illius De æt. qual. & ord. præfic.* Sex sunt tituli Episcoporum Cardinalium, qui cum essent Vrbi finitimi in consilio Summi Romani Pontificis adhibebantur tanquam ipsius suffraganei, vnde cæteris præstantiores habiti, Cardinales Episcopi, hoc est principaliores, nominari cæperunt; & de ijs *Eminentissimus Card. Brancatius*. Octo fuerunt eorum tituli. *In Dissert.* Ecclesia Veliterna fuit vnita Ostiensi, & Ecclesia Sanctæ Ruffinæ Portuensi, sicque sex tantùm remansere Ostiensis, Portuensis, Sabinensis, Prænestinus, Albanensis, Tusculanus, qui sex Episcopatus à sex antiquioribus Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in Vrbe præsentibus optantur, ex quibus ille, qui ratione ordinationis suæ cæteris antiquior erat, Prior, & Decanus Sacri Collegij dicebatur, quamuis Ostiensis cæteris in eo præstet, vt munus eius sit consecrare Summum Pontificem. Demùm Paulus IV. *Constit. sua de anno* 1555 *incipit Cum Venerabiles*, statuit, vt Decanatus Cardinalium pertineat ad antiquiorem Episcopum in Curia residentem, aut nomine publico absentem, aut à Summo Pontifice extra eam destinatum. Tituli Presbyterorum Cardinalium olim erant 28. quos enumerat *Azorius*, qui subinde à Sixto V. Summo Pontifice Bulla sua ad 50. sunt redacti, qui tituli

Bullar. tom. 1. pag. 390.

Inst. moral. p. 2. lib. 4. c. 1.

tituli in eadem conſtitutione enumerantur. De huius autem vocis *Titulus* origine, & propria ad rem noſtram ſignificatione dabitur aliàs opportunior diſſerendi occaſio.

Bullar. tom. 2. pag. 434. Conſt. 55.

Quod attinet ad Diaconos, Diaconiæ nomen multipliciter accipitur; aliquando enim ſignificat Diaconia collectam, ſiue collationem eleemoſinarum, quæ colligebantur, & diſtribuebantur in Chriſtianos pauperes, qua voce in hunc ſenſum vſus eſt *Apoſtolus* Græco idiomate, quod reddidit latinus Interpres; *Iam de miniſterio, quod fit in Sanctos ex abundanti eſt mihi ſcribere vobis.* περὶ μὲν τῆς διακονίας, *ait Græcus*. Nonnunquam ſignificat etiam Diaconia diſpenſationem, ſiue œconomiam rerum ad Monaſterium pertinentium, quæ probatiſſimo apud ipſos monachos cunctorum ſeniorum ſuffragio deferebatur; ita accepit *Caſſianus*.

2. ad Corinth. c. 9.

Collat. 18. 67.

Demùm aliam Diaconiæ acceptionem exhibet *Onuphrius Panuinius* in ea verba. Diaconiæ à Diaconis dictæ ſunt; *Erant hæ publicæ pauperum hoſpitales domus, quæ oratoria, & ſacella adiuncta habebant, in quibus à parte Diaconiæ, ſiue Diaconio, egenis neceſſaria ſubminiſtrabantur. Nam Diaconi inopum, laborantium, viduarum, & pupillorum miniſtri erant &c.* Indeque apertiſſima Diaconorum Cardinalium origo. Diaconi ſeptem in Eccleſiæ primordio ab Apoſtolis electi fuere, quod imitatus exemplar Euariſtus Pontifex totidem & ipſe elegit, ac confirmauit, qui Epiſcopum prædicantem cuſtodirent, hoc eſt ipſi aſſiſterent, hicque mos eligendi Diaconos ſeptem per plura ſæcula perdurauit, donec Fabianus Summus Pontifex id muneris ijſdem iniunxit, vt quatuordecim Vrbis regionibus præeſſent, binas ſingulis aſſignans, vt pauperum in ijs degentium curam gererent, qui ideò Diaconi Regionarij dicti, & in Concilio Romano ſub Syluestro Diaconi Cardinales, quod licèt diuerſis locis agerent, vnius tamen Eccleſiæ, & eiuſdem primariæ cardine continerentur. Non deerant quidem & in alijs Eccleſijs ſui Diaconi, & ad minus duo, ſed cum non eſſent principales, nec Cardinales dicti, vt notauit *Baronius*. Auctus poſtea Diaconorum numerus, vt totidem eſſent quot Vrbis regiones, quæ quatuordecim. Additi alij quatuor, ſicque facti numero decem, & octo. Paulus III. decem, & nouem ſtatuit; Pius IV. auxit ad 25. & demùm Sixtus V. ad quatuordecim iterum reuocauit. At verò illud notandum eſt, quòd quàmuis Diaconiæ ædes eſſent ſacræ, in Sanctorum memoriam erectæ, non tamen dicebantur tituli, quia Diaconi, qui eis præfecti erant, & iuxta ea Templa incolebant, nullam gerebant animarum curam, aut Sacramenta miniſtrabant, ſed commiſſa ſibi munia in ſua regione exequebantur, Summo Pontifici ſacra operanti aderant, Eccleſiæ theſaurum cuſtodiebant, & pauperibus regionis ſuæ iuxta præſcriptas ſibi rationes ſubueniebant; à regione quiſque denominabatur, vnde dicebantur Diaconi primæ regionis, ſecundæ regionis, vſquequò demùm à Diuo, & titulari Eccleſię denominari cœperunt, dicebanturq; Diaconus Cardinalis S. Euſtachij &c. S. Hadriani &c. & hæ Diaconiæ à titulis adeò cenſebantur

In explicat verb. Eccl.

Concil Rom. 2. Can. 6.

Tom. 2. Annal. An. 112. in fin.

tur

tur diuerſæ, vt etiam inuicem crederentur incompatibiles adeò, vt Diaconus titulum, Presbyter Diaconium habere non poſſet, ſed vnum adeptus, alterum ammitteret. Quem ordinem verè fluctuantem Sixtus V. firmauit eo ipſo nomine, ne Diacono titulus, aut Presbytero Diaconia tribueretur. Numerus autem Cardinalium arbitrio Summi Pontificis remittitur à ſcibentibus, quamuis ad 70. debeant aſcendere, nec regularitèr excedere.

11 A quo autem poſſint, aut debeant eligi Cardinales? Hucuſque iacta fundamenta reſponſum infallibile ſuggerunt, ſcilicet Summum Pontificem Cardinales ſibi tantùm eligere poſſe. Quàmuis enim ſupernaturalis poteſtas hìc conſideretur, & Reſpublica à principijs longè ſublimioribus, quàm naturalibus procedens, attamen ſuppoſita eius conſtitutione, humano modo diſſerere de ea non videbitur incongruum. In qualibet Politia Senatum ab eo ſemper eligi compertiſſimum eſt, qui ſupremus eſt in Republica, & penès quem reſidet maieſtas; ſic enim florente Romana Republica Senatorum electio penès populum extitit, penès quem & maieſtas. Vnde, & Cardinalium electio, qui Senatores Eccleſiæ, hac ipſa ratione ad Summum Pontificem ſpectabit. An autem Cardinalium Collegium vacante Sede Pontificia poſſit Cardinalem eligere? Negant auctores, neque admittunt illationem, aut conſequentiam, quod ſcilicet poſſint eligere Summum Pontificem, ergo & Cardinales, quia cum id facere ſit Summi Pontificis proprium, nulli bi hoc legitur Cardinalium Collegio communicatum, immò nec generali Concilio, vtcumque velit Card. Iacobat. vbi ſupra, poſſe ſaltem vnum, aut alterum Cardinalem extrema vrgente neceſſitate creare, verùm id nunquam credendum, quod nec ratio ſuadet, nec ipſa praxis vnquam probauit. Sed quæretur adhuc, an eligere Cardinales Pontifex poſſit ſine Collegij, & aliorum Cardinalium conſenſu? Non defuit qui negaret, cum Papa grauiora negotia ſine Cardinalium conſenſu expedire non valeat; at verò cardinalium electio res grauiſſima.

Iacobat. de Concil. lib. 6. art. 7. q. 1 num. 1. & 2.

Segreganda hìc eſt Decentia, & honeſtas à neceſſitate. Si decere dixeris, & eſſe conueniens, vt in re adeò graui Summus Pontifex Cardinalium recipiat, & audiat conſilium, nihil meliùs, ea enim intentione Cardinales dati vt ſint Summo Pontifici aſſeſſores, at ſi neceſſarium abſolutè id aſſeras, nil à veritate magis alienum; nunquam enim legas, Senatores eligentem Pontificem ad eorundem Senatorum vota ſectanda arctari. Neque dicas, nimis eſſe, rem tantam vnius Pontificis arbitrio fidere, ſic enim fiet, vt pro ſui libito iuuenes, inexpertos, illiteratos, viliſque nominis promoueat, at Diuinam Prouidentiam nunquam de futuram Eccleſiæ ſuæ confidendum eſt, vt peruerti hanc electionem permittat. Sinamus hæc inter Diuinæ Prouidentię arcana, & quicumque ad tantum gradum promoueantur, eos reuereamur, ac digniſſimos præſumamus, & relictis ſingularibus, ad ideam conſurgamus, & qualis in Cardinalibus

bus veniat spectanda, quantum fas est, indicemus.

12 Si Ecclesiastici Senatus figuram præcedere voluit Deus in septuaginta illis, quos eligi in Israelitico populo mandauit, dotes etiam in figurato Senatu Ecclesiæ exigemus, quas in figura obseruandas præscripsit, normamque in ea verba
Exod.c.11. ba constitutam habebimus. *Congrega mibi Septuaginta Viros de Senibus Israel, quos tù nosti, quod Senes populi sint, & Magistri.* Quæ sanè verba periti hebraicæ linguæ emphasim, & energiam maiorem ex hebraico idiomate habere testantur, quàm ex græco, aut latino. Vnde vertunt, *Cogite mibi*
Ex Demetrio. cap. 1. *Septuaginta Seniores, qui cæteris sapientia, prudentia, & scientia præstent*; indeque Senatoriæ præfiguratæ dotes eliciuntur. Sapientia enim pietatem veram ab impietate discernit, prudentia turpe ab honesto segregat, scientia verum à falso distinguit. Dotes, quæ si vigere in Senatu debent, in Ecclesiastico certè eminere, cuius est veram pietatem promouere, veritatem Catholicam à falso depurare, honesta in moribus ab inhonestis, fideleniq; Rempublicam ad veram metam lumine, consilio, & opera dirigere. Quæ quidem munera paucissimis verbis complexus est Cicero, dum Senatum mentem, rationem, & intelligentiam Reipublicæ appellauit, sapientiam, prudentiam, & cæterasque dotes breui verborum ambitu concipiens.

At nè humanum Senatum confessus longè sublimioris exemplar, & regulam videamur constituere, quænàm in adlegendis in Ecclesiæ Senatum requirantur spectanda delegabimus apud *Diuum Bernardum*, vbi *De Consid. lib.5.cap.5. & 6.*
ideam veri Cardinalis fas est intueri quo ad dotes singulas, & generalitèr dum admonet, *probatos oportere eligi, non probandos*. Neque enim derogare ordinis maiestati possunt humani defectus, qui cernuntur in singulis, qui & si Cardinales, homines tamen sunt, & vtcumque singuli quid imperfectionis habeant, consessus nihilominus adhuc potest esse perfectus, dum quæ virtus in vno singulari deficit, emicat in alio, indeque veluti compensatione mutua absolutissimum corpus consurgit. At de Cardinalium dotibus, & qualitatibus promouendorum loquitur *Concil. Trident.* Et luculentissimè complexus est omnia Constitutione *Sess.24.c.1. Bullar.tom. 2. pag.426.*
sua Sixtus Quintus Pontifex Maximus, qua perlecta nil ampliùs desideres. Quæ autem gradui adeò sublimi in Ecclesia sint elargita priuilegia, quibusue prærogatiuis gaudeat longum nimis esset recensere, at decus illud non est prætereundum. quod splendore suo liuorem aduersantium Romanæ Ecclesiæ concitat, Purperę scilicet vsus, in quam inuehentes vtuntur Hieronymi assertis
verbis; *Vile palliolum, flagrante iam Clericali auaritia, adhuc tamen erat proprium Clericorum, hoc est Ecclesiasticorum virorum indumentum, nunc verò tandem ad purpuram deuentum est, quæ regij decoris est insigne.* *In proem. lib. 2. in Ezechiel.*
Nec absimiliter Ambrosius Theodosium Cęsarem pęnitentem reprehendens, & ab Ecclesiæ Presbyterio eliminans, ait. *Purpura regem, non Sacerdotem facit*, supremamque lineam demùm áddit Cuncilium Narbonense apud *Baronium*, cuius reddemus verba. *Tom.8. Annal. Anno 598.*
Hoc regularitèr definitum est, vt nul-

nullus Clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad iactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam, vel religiosorum dignitatem, vt sicut est deuotio in mente, ita ostendatur in corpore; purpura maximè laicorum potestate praeditis debetur, non religiosis: quod si quis non obseruauerit velut transgressorem legis coercendum. Hactenus Narbonense Concilium, quod etsi prouinciale, at certè Ecclesiasticam disciplinam, & obseruationem testatur, & generali Clericorum nomine vtitur à quo Cardinales non liceat excludere; & quia huius prærogatiuæ fundus est celebre illud edictum Constantini apud *Balsamonem*, vbi post relata ornamenta Imperialia Summo Romano Pontifici communicata subditur; *Et Viros religiosissimos diuersorum ordinum Clericos Sanctæ Romanæ Ecclesię seruientes ornari decernimus, & illam habere amplitudinem, & Maiestatem, qua ornatus erat maior noster Senatus, seu Patritij, & Consules, & reliquæ dignitates, & sicut Imperialis exornata est militia, ita etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ exornari Clerum decernimus*.

In Nomoc. Photij tit. 7 de Patrib.

Ideò reponitur statim consueta responsio, hoc scilicet donationis edictum esse merè fictitium; verùm hac de re alias dictum remissiuè; vrgetur adhuc; sint igitur Cardinales Patritij, sint consulares, & priuilegia sua Imperiali decreto, & beneficentiæ accepta referant, fulgeant laica purpura, & sæculari potestate, at non se intrudant in Ecclesiasticam hierarchiam, nec eo nomine sibi subijciant Episcopos, qui apex sunt ipsius Ecclesiæ Hierarchiæ, hisque prolatis splendorem obtenebrare nituntur, quem redundare in Pontificiam Maiestatem, & Romanum Primatum toruè, ac impatientèr intuentur. At frustra ad inuidiam adducitur Cardinalitia Dignitas, quasi Regium culmen inuadat, dum suam, sibique propriam purpuram induit. Propriam dicimus, aut quia Cardinales purpureo colore se vitam cum sanguine daturos pro Ecclesia contestantur, aut quia Ecclesię Senatores sanguineo fulgore iustissimè splendent, quando Ecclesia sanguine propagata hoc veluti sui incrementi testimonio gaudet. Nam & *Tertullianus* ad rem eleganter, *semen sanguis est Christianorum*. Debitam tanto gradui purpuram, ipsumque iustè decere agnouerunt Sanctissimi Viri, qui eam innoffensè gestarunt Petrus Damiani, Petrus Igneus, Bonauentura, Bernardus Episcopus, Io: Roffensis, & vix elapso æuo Carolus Borromeus, non fastum, aut pompam iactantes ipsi animo humillimi, sed debitum dignitatis insigne, ac honoris eximij indicem profitentes; *Purpura enim regnantem discernit* (inquit *Cassiodorus*) *& præstat humano generi, ne de aspectu Principis possit errari*. Quo nomine factum, vt Narbonensis iam supra allegata Synodus Clericis purpura interdixerit, quia non ij Cardinales, de quibus nunquam statuere intendit Synodus prouincialis, qualis illa, cui si tanta etiam esset auctoritas, nunquam tamen assereret purpuram Cardinales non decere; immò vt debitam approbaret, nam dignitas, qua post Pontificiam in Ecclesia nulla sublimior, sicut munere,

Apologet. c. vltim.

Var. lib. 1. ep. 2.

nere, ita & indumenti nobilitate prӕire debet, ideòque tanquam proprius Romanӕ Ecclesiӕ hic vsus meritò alijs fuit interdictus, vt ex Gregorio, & ex Can. Narbonensi notauit idem Baronius. Quidquid sit de Constantini Donatione, & edicti veritate, maiestatem, & excellentiam Romani Cleri, & Romanӕ Ecclesię altiùs, & aliunde deduximus loco suo, & quidquid circa eam statuerit Constantinus declarando potiùs, quam impertiendo constituit. Donauerit purpuram Constantinus : 'at in Summo Pontifice propriam agnouimus, quӕ Summo Sacerdoti antiquӕ Legis à Deo iam tradita fuerit; neque enim Pontificem prӕfiguratum inferiorem illo, qui fuit figura, pati debemus, vt optimè obseruauit, vbi supra Baronius. Purpurӕ vsum concessit Cardinalibus Summus Pontifex successiu', & quasi per gradus, pro v: Dignitas tanta per varios incessit progressus. Innocentius enim Quartus rubrum galerum Cardinalibus dedit in Lugdunensi Concilio, Paulus Secundus coccineum pannum pro equis, & mulis, cum equitarint, sicque factum, vt Pontificia, non Imperiali purpura fulgeant. Et esto, quod ex Constantini pietate Senatoriam, & Patritiatus eximiam Dignitatem habeant, at hӕc superaddita, nec proinde Cardinalitius gradus ab Imperatore censendus: vnde nec pugnat in Ecclesiastica Hierarchia eos contineri; verùm hac de re dabitur latiùs differendi occasio alibi ex professo.

Habent igitur Cardinales primam post Pontificem in Ecclesia prӕeminentiam, & gerunt sub Pontifice prӕstantissimam administrationem: Senatoria, & electorali prӕrogatiua eminent, quam Episcopi non attingunt, nec aliquantumuis eximij in Ecclesia Prӕslati. Ordinarius est ipsorum gradus, ordinarium, nec temporale munus, & ideò omni iure nulla maior in Ecclesia, aut sublimior dignitas, cuius gradus excellentiam, allusione nescio qua expressit *Ludouicus Cellotius* sic scribens, *Vis igitur illud Collegium suo appellare nomine? Voca Collum Ecclesiӕ Capiti proximè adhӕrens, per quod in cӕtera membra Saluatoris humor defluit*. An adӕquatè respondeat adlusio viderit auctor; sat nobis indicasse, & ad rem attulisse. *Lib. 9. de Eccles. Hierarch. c. 8.*

13 Circa Cardinalium priuilegia, quibus ipsi gaudent, & quorum singularis consideratio praxim maximè respicit videndi sunt auctores. *Villadiego De Origine Cardinalium Capit.* 13. *Andreas Barbatia De prӕstantia Cardinalium*. *Martinus Laudensis de Cardinalibus*. *Hieronymus Albanus Volum.* 13. *tract. p.* 2. *&* *Platus*, Nouissimè pluribus congestis auctoribus *Augustinus Barbosa Iur. Eccles. Vniuers. lib.* 1. *Cap.* 4. *Platina de Cardinalibus*, ad quos remittimus, ad alios Ecclesiӕ Dynastas transeuntes.



CAP. XII.

De Patriarchis.



ECCLESIAE politiam, & adminiſtrationem proſequentes à centro ad circumferentiã progredimur, & à capite ad membra, quorum actus ad myſtici huius corporis & diſpoſitionem, & vſum operantur, & inſeruiunt. Cum enim Eccleſia ipſa eſſet per omnes gentes, & per Orbem vniuerſum diffundenda regimen illud fuit inſtituendum, quod vnitate ſalua, (à qua re vera cuiuſlibet corporis, politici, & myſtici omninò dependet) virtutem à capite in vniuerſum corpus transfunderet; & nec vel minimùm intercepto conſenſu, corpus ipſum, vtcumque longè, latèque diffuſum animareur. Ideò poſt caput totius Eccleſiæ, aliorum regentium fuit inſtituenda ſeries, quæ Diuinæ huic intentioni ſe aptaret, & vnitati inſeruiret per appoſitos gradus procedens. Inſtituti igitur Patriarchæ, Primates, & Archiepiſcopi, de quibus ſingulis agendum ſectantibus regiminis, & politiæ ordinem, ac ſubinde de Epiſcopis.

1 Vnitatem Eccleſię ſuę, quàm Chriſtus optauerit, teſtatur admiranda oratio, qua mox tranſiturus de Mundo ad Patrem habuit, & qua ſemel, & iterum ſuorum vnitatem enixiſſimè à Patre ipſo petijt *Pater Sancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos; iterum*

Non

Ioan. c. 17. *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me; vt omnes vnum sint; sicut tu Pater in me, & ego in te;* Tertiò demùm *& ego Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.* Quam igitur vnitatem impensè adeò à Patre petijt, & commendasse discipulis, & iniunxisse Petro Ecclesiæ capiti non est ambigendum; qui Magistri intentioni, & iussis obsequens ità fundare ac disponere Ecclesiam cæpit, vt in amplitudine consisteret vnitas, quantumuis diffusa pateret, staret tamen sine vnitatis dispendio. Quæ vnio quàmuis Charitate nectatur, at sui principium à capitis vnitate deducit, qua sublata vnitas ipsa nunquam perfecta consistet. Ideò supremi capitis fundato throno in Ecclesia ex ipso Christi Domini ore successiuè gradus in Ecclesiastica politia sunt distincti, qui vnitati appositissimè inseruiant. *Magna dispositione prouisum esse* (inquit S. Leo Magnus) *ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis Prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia.* Et rursus. *Quidam in maioribus Vrbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vsquam à suo capite dissideret.* Caput autem fons, & centrum vnde gradus isti dimanant, & ad quod suaui recursu redeunt, est Petri sedes, ac Pontifex ipse Romanus, *vt ab ipso velut quodam capite* (ait idem *Sanctus Leo*) *dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Epist. 89. in princ.

2 Iam igitur Ecclesiam sibi creditam per orbem vniuersum diffundendam comperiens Petrus Ecclesiæ caput, vt Apostolorum Princeps, Orbem ipsum consideratione lustrans in partes diuisum animaduertit, Europam, Aphricam, Asiam, in quarum singulis suam præ cæteris eminere Ciuitatem, vel Vrbem cernens, Romam, Alexandriam, Antiochiam, in ijsdem suam figere sedem statuit, vt primatus sui virtus singulis impertita, inde in Orbem vniuersum propagaretur. Roma enim tunc totius Orbis moderabatur habenas. Alexandria Ptolemæorum sedes in Africa, & in Aegypto omnium amplissima, populi frequentia, ac pomœrij amplitudine Romæ vix secunda. Antiochia in Asia Seleucidarum sedes, nobilitate præcipua. Ideo Dei spiritu dirigente, in singulis hisce Vrbibus sedem suam fixit; Romæ, & Antiochiæ per se ipsum; Alexandriæ per Marcum discipulum tamquam vicarium ad id specialiter missum, ac præcisè delegatum nomine proprio, & ea auctoritate, vt non iam ipse sedis illius fundator esset Petrus, sed & Antiochenæ præferretur, quandò Alexandria post Romam alijs Vrbibus habebatur nobilior, & Antiochiam amplitudine excelluit, sicque in triplici Vrbe tripartita, sed vna fundata, & constituta Ecclesiastica administratio, præsidente Romano Episcopo Europe, Africæ Alexandrino, & Antiocheno Asiæ, quodque Petrus præstitit, sed non sine aliorum Apostolorum concilio, & voto, qui ratione, eaque multiplici ita disponendam Ecclesiasticam politiam statuerunt, vt in tribus insignibus hisce Vrbibus fundaretur.

Primùm enim non solùm verentes instantem persecutionem, sed & Ecclesiasticæ paci in futurum consulentes magnas hasce, & populosas Vrbes delegerunt, quia faciliùs latituros Patriarchas, & eorum necessarios Assessores in ijs crediderunt, & è contra nimis expositos hominum obseruationi in minoribus Vrbibus. Hoc idem proficuum Ecclesiæ paci in futurum sperarunt, si enim Ecclesiastici Præsides in Vrbibus commorarentur, in quibus vigeret Imperatoris præsentia, vel Sæcularis Præfecti auctoritas, quę salubritèr constituerentur in Ecclesia faciliùs contra proteruos defenderet, & pęnarum metu contumaces ad Ecclesiæ obsequia reuocaret, ac contineret. ijdemque Ecclesiæ Præsides proximi sæcularibus magistratibus faciliùs obtinerent, ne hæreses serperent, ne Ecclesiastica disciplina laxaretur, & praui mores gliscerent. Decuit secundò, vt maiores, primęque Sedes Collegio Presbyterum, & Diaconorum ampliori instruerentur, non solùm ad maiestatem seruandam, sed & ad consultationes in negotijs grauioribus fidei, & disciplinæ habendas, nodosque, qui sæpius sese offerrent, soluendos, & ideò in Ecclesijs maioribus plures olim Presbyteri, & Diaconi extitere tanquam Patriarcharum, & Primatum Senatus. Amplissimus autem hic Presbyterorum, & Diaconorum numerus non nisi in maioribus vrbibus haberi potuit, vbi doctorum virorum conuentus; ideoque tres maiores hę Vrbes delectæ. Spectarunt tertio Apostoli, & Petrus in Patriarchalibus sedibus erigendis populorum commodum, & vsum, & ea ipsa ratione, qua Antiochenæ Synodi Patres *Can. 9.* Metropolitanos in primarijs Vrbibus constituendos dixerunt, *quia in Metropolim vndequaque concurrunt homines, qui habent negotia*; vnde & Patriarchæ in amplissimis omnium Vrbibus fuere constituendi hac ipsa de causa. Sed demùm & ea cæteris potior, vt scilicet è maioribus, & celebrioribus Vrbibus facilior esset Euangelij propagatio, atque diffusio quam quidem promittere videbatur Vrbium celebritas, ad quas tanti muneris operarij euocati à Patriarchis facilè confluerent. Ideò iuremeritò Christianæ doctrinæ Cathedra in primarijs Vrbibus mundani tractus fuit statuenda, *vt* (quemadmodum de Vrbe Roma scripsit *Sanctus Leo Magnus*) *lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum corpus diffunderet*. *Serm. 1. in Nat. Apost.*

Indeq; detegitur proterua illorum fallacia, qui id quod Apostolis, & Petro præcipuè occasionem prębuit Sedes Patriarcales fundandi, & erigendi, causam formalem asserant, nedum erectionis, siue denominationis, sed & amplitudinis, ac maiestatis earum, quo quidem nil magis à veritate alienum. Non negamus quidem inter cæteras rationes, quæ Petro suaserunt, vt Romæ, Antiochiæ, & Alexandriæ sedes figeret, fuisse Vrbium illarum decus, & famam toto Orbe celebrem; de Roma vix est, quod dicatur, omnium instar erit illud *Claudiani* de Vrbe rerum Domina.

Qua nihil in terris complectitur altius æther,

Cuius

De Claudib. filicon. lib. 3.

Cuius nec ſpatium viſis, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit, quæ luce metalli
Aemula vicinis faſtigia conſerit aſtris,
Quæ ſeptem ſcopulis Zonas imitatur Olympi,
Armorum, legumque parens, quæ fundit in omnes,
Imperium, primique dedit cunabula iuris.

Ecquid ſpei de Chriſtianæ religionis ampliatione fœlici non conciperet, qui eam ſtipiti tanto in ſui primordio insereret? Alexandria certè vni Romæ ſecunda, & (ſi *Hadrianum* audias) *Ciuitas opulenta, diues, fœcunda, digna, quæ pro ſui profunditate, & magnitudine totius Aegypti teneat principatum.* *Theodoretus* infœlicia relegens Arianæ hęreſeos primordia de Alexandria, vbi primùm hoc virus erupit, ait; *Alexandria Ciuitas eſt ampliſſima, & maxima hominum multitudine frequentata, quæ non Aegypti ſolùm, verùm etiam Thebaidis, & Lybiæ, quæ Aegypto adiacent, principatum obtinet.* Inde ergo cępta hæreſis ſe per Orbem facilè diffudit, prout agnouit *Cęſarienſis Euſebius* eadem miſerè infectus in vita enim Conſtantini; *Deinde ab exigua ſcintilla ingens incendium excitauit, quod quidem ab Eccleſia Alexandrina tanquam à Summo capite exorſum omnem Aegyptum, Lybiam, & Thebaida deinceps peragrauit.* Et quid à tanta Vrbe non erat ſperanda Chriſtianæ religionis fęlix propagatio, quando hæreſis ipſa inde facilè incrementa ſuſciperet? Antiochia demùm, & cum primùm Catholicæ fidei lumen ad eam peruenit magnitudinę, ac nobilitate claruit, totique illuxit Orienti, cuius Metropolis paſſim dicebatur, & maxima omnium Ciuitatum Orientis. Epitheta hæc ei tribuit *Diuus Chryſoſtomus* ad populum enim perorans in profectionem, aut legationem Epiſcopi Flauiani ad Imperatorem, ait; *Nouit ille planè, quod non prò vna ſibi nunc Ciuitate negotium, ſed pro Oriente toto: Ciuitatum enim in Oriente poſitarum Caput, & Mater eſt Ciuitas noſtra.* *Aminus* etiam *Marcellinus de Antiochia, Orientis pulcher apex* (inquit) vigente enim Seleucidarum Imperio Orientis Aſia in Prouinciam redacto, à Romanis in Prouinciam redacto, fuit Antiochia Sedes, in qua reſidebat, qui populi Romani nomine Syriam adminiſtraret, ipſamque multas hominum myriadas continuiſſe, teſtis eſt *Theodoretus*. Decuit igitur Petrum in tribus hiſce Vrbibus figere ſedem, vt ex ipſarum qualibet in ſubiectas regiones Chriſtiana religio tranſiret, Orbemque totum fęliciter ita peruaderet.

Epiſt. ad Sermanum

Lib.1. Hiſt. c.1.

Lib.3.c.60.

Hom.1. ad popul. Antiochen. in prin.

Lib. 1.

Epiſt. 83.

At verò de Vnitate Eccleſiæ ſollicitus Petrus hanc ipſam Epiſcoporum Trinitatem ad vnitatem reuocandam nouit, ac Magiſtrum imitatus, qui ad vnitatem inter diſcipulos caput ipſis conſtituit, & caput tribus hiſce Epiſcopis præfixit, quod colentes ſuſpicerent, & cui ſubiecti parerent, Primatumque Romæ tribuit, vt quæ ſæcularis Imperij apice iam fulgebat, per Sedem Petri caput Chriſtiani Orbis emineret, latiùſque præſideret, ac imperaret religione Diuina, quam dominatione terrena, adeoque non ſoli Europæ præeſſet, vt duo alij, quiſque

tra-

tractui, partique suæ; sed Christianis omnibus vbique positis tamquam Patrum Pater, & Princeps, quo quidem ad Ecclesiæ vnitatem nil aptius, vt emicaret in terris, ac in Ecclesia Trinitatis immago, & benefitio sedis principis Apostolorum esset in vnitate Trinitas, & in Trinitate vnitas. Plaudunt Sanctorum Patrum dicta in Vrbibus tribus vnitatem sedis admirantium, *Anacleti*, *Leonis*, *Chrysostomi*, qui in Antiochena Ecclesia prærogatiuam ex eo agnoscunt, quod Petrus Sedem in ea collocauerit, & præsertim *Diuus Gregorius*, qui Antiochenam Sedem suam profitetur, & iactat, cum tamen ipse Episcopus esset Romanus, sed elegantèr Trinitatem, & Vnitatem sedium expressit scribens ad Eulogium *Alexandrinum Episcopum*. *Cum multi sunt Apostoli pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est &c.* Prosequitur singulas Ecclesias ad finem intentum, nec fusiùs regerenda videtur auctoritas. Quatuor Patriarchas vnum esse fassus est & *Theodorus Balsamen. in meditat. Patriarcharum*, sed in alium sensum, & finem, at veritas ab ore etiam improborum nonunquam excidit. Ex hac igitur inde mutuata sedium præstantia processit, vt Summi Pontifices semper eos maximi fecerint, quicumque, etiamsi hæretici, eas inuasissent, & aliam sedem ijs præferre ægerrimè tulerint, vt infra videbimus opportunius.

Lib. 11. Ep. 48.

Lib. 6. Epist. 37.

Lib. 7. Iur. Græcorum.

3 Respexit itaque Petrus, & cum eo respexerunt Apostoli in ponendis Ecclesiæ fundamentis ad Vrbium præstantiam, & eminentiam, vt inde sumeret exordium Ecclesia, vnde tanquam ab eminentiori loco lux Euangelica posset extendi; at non Vrbium excellentia fuit ratio, propter quam Sedes illę super alias extollerentur, ac earum Episcopi reliquis suo Orbis tractui subiectis tanquam superiores præessent. Hi tres Episcopi eximijs priuilegijs gaudebant, quæ consuetudine, & moribus roborata primùm, postea Nicenæ Synodi decreto confirmata sunt Canone VII. quo Canone obseruabile illud maximè est, tres hosce Antistites simplici Episcopi nomine nuncupari, qui sæculo sequenti in Concilio Ephæsino Archiepiscoporum titulo sunt donati, in Constantinopolitano aucti titulo Exarchorum Diœceseos, tandem in Chalcedonensi mox Archiepiscopi, mox Exarchi, & demùm nouitio Patriarchæ titulo aucti, ac honestati, de quo nomine pauca ad rem nostram delibabimus. Generale est hoc Patriarchę nomen, ac penè dixerim, æquiuocum. Obuia siquidem primò est illa huius vocis acceptio, qua indicati patres illi, per quos Dei populus creuit, instructus cum naturæ, tum Dei ipsius lege Mosi tradita; hi enim Patriarchæ dicti inter *Sacræ Scripturæ* monumenta, à quibus hoc ipsum nomen mutuati Iudæi in vsum proprium transtulerunt, vt indicat *l. fin. Cod. Theodos. de Iud. Cælic. & Samarit.* cum enim per varias Prouincias dispersi essent Iudæi in Oriente & Alexandriæ quosdam sibi eligere, & instituere præpositos, quos Patriarchas dixere, qui spectabiles, clarissimi, & illustres ab Imperatoribus habiti, hunc dignitatis gradum successorio iure in posteros transmittebant;

In Paralyp. C. 8. Tob. C. 8. Act. C. 2. & C. 7. Epist. ad Hebr. C. 7.

tebant, vt eruditè notauit *Samuel Petit. in obseru.* suis vbi de Iudæorum tum Patriarchis eleganter, & Gothofred. luculenter ad *l. 1. C. Theod. de Iudæis & cælicol.* Horum erat officium aurum coronarium per Apostolos suos exigere, Primates Prouincijs præficere, qui causas tum ad eorum superstitionem, tum ad forum, ac leges spectantes definirent ad instar arbitrorum. In Oriente solummodò erat Iudæorum Patriarcha, in Occidente non item; at qui in Occidente viuebant Iudæi per Apostolos ad se missos à Patriarcha canonem, & aurum coronarium pendentes ad Patriarcham in Oriente mittebant, vt colligitur ex *l. 14. Cod. Theod. de Iudæis*, qua Arcad. & Honor. Cæss. hanc facultatem Iudæis admêre, vetantes, ne aurum, aut canonem ad Patriarcham transmitterent, vt cumque ijdem *Cæss. l. 17. eod. tit. & Cod.* hanc facultatem restituerint. Erat autem hic Iudæorum Patriarcha idem ac princeps, durauitque eiusmodi dignitas vsque ad annum quadrigentesimum vigesimum nonum, quo fuit extincta, & de hoc Patriarcha intelligenda omninò sunt verba Adriani in Epistola relata apud Flauium Vopiscum in Saturnino, vbi in Christianos, & Iudæos calumnias congerens scribit; *Ipse ille Patriarcha, cum in AEgyptum venerit, ab alijs serapidem adorare, ab alijs cogitur Christum.*

Lib. 3. C. 3.

Nefas enim sit de Ecclesiastico Patriarcha Alexandrino ea verba accipere, qui sponte, & non coactus Christum adoraret, nec veniret in AEgyptum, sed in AEgypto iusta Ecclesiasticum Pastorum institutum resideret. Iam nemo ambigit extra Iudæos sæpiùs adhibitum hoc Patriarchæ nomen, ad eos designandos, qui primum, & principem locum, & gradum in aliqua secta retinebant, vt in Montanistarum secta restatur *Diuus Hieronymus*, à quo sensu non procul abijt *Tertullianus* dum Philosophos *Hæreticorum Patriarchas* appellauit; nisi malis hæreticorum generatores potiùs indicasse, at quidquid sit de acceptionibus hisce, quod extinctum Patriarchæ munus, & nomen apud Iudæos in Oriente, translatum est in Præsules Christianorum, quibus comperta erat Patriarchæ denominatio, quæ apud Iudęos ipsos vigebat. Hoc Patriarchæ nomen, quod propriè significat patrum Principem, si verum amamus, omnibus fermè Præsulum gradibus fuisse aptabile fatendum est. Episcopis enim non incongruit, quos Epiphanius aduersus Arianos patrum generatores, hoc est presbyterorum, appellat; sed & magis Episcopis illis, qui Episcopos plurimos ordinarunt, & propter subliminorem iurisdictionem pluribus Episcopis præsunt, cuiusmodi sunt Metropolitani, & qui Metropolitanis superiores, Primates. Sed demùm magis propriè, & adæquatè ijs tributum, & supra Primates ipsos nobiliorem, ac excelsiorem gradum obtinent, quales ij, qui propriè Patriarchæ dicuntur, qui ideo hoc nomine insigniti, quod non presbyterorum essent patres, vt Episcopi, sed quia ipsorum Episcoporum essent Principes. Sicut enim in sæculari, & ciuili administratione ij, qui cuilibet loco etiam cum iurisdictione, & imperio præsunt Comites, Barones Mar-

Epist. 54. ad Marcellum

Aduers. Hermogen. c. 8.

Marchiones, non dicuntur Principes, nisi ampliori ambitu alicui Prouinciæ presint, ita & in Ecclesiastica politia principatus ijs solummodò tributus, qui prouinciæ præessent, & non vni Vrbi, & ijs, qui supra ipsos eminerent sublimiori gradu, ijque dicti Patrum Principes, & Patriarchæ. In sui enim cunabulis adhuc vagiens Ecclesia sancta simplicitate agens, titulos Dignitatum non prætendebat muneribus suis ad inuidiam persecutorum declinandam præcipuè, cum ad sui ampliationem non vi, & auctoritate; sed persuasione incumberet, communibus vtebatur dignitatum Ecclesiasticarum titulis, & ideò Patriarchæ nomen aliquandò alijs tributum legimus, quàm qui essent vera Patriarchica dignitate præditi; sed ita tamen, vt si essent secundæ Sedis Episcopi, eatenus dicerentur Patriarchæ quatenus ętate, & antiquitate prestarent, alias rarissimè hoc titulo donabantur. At verò vbi sua recepit incrementa, ac supra inuidiam se conspexit Ecclesia, quæ (vt inquit *Augustinus*) *pro temporis, & status diuersitate diuersam nouit rationem ineundam*, titulos etiam ita disposuit, atque distinxit, vt Patriarchæ titulum ijs attribuerit, qui in Sacerdotij fastigio inter Episcopos omnes eminerent, non damnato tamen, & reiecto vsu, qui alijs etiam, licèt aliquantò inferioribus, hoc idem nomen adaptauit, vt sunt Archiepiscopi, & Primates nonnulli, approbantibus etiam Summis Pontificibus; vnde ex eo, quòd priscis temporibus titulus videatur omnibus Episcopis communis, nil minùs inferre licet; quàm fuisse eos omninò æquales, nec vllam extitisse, & viguisse prærogatiuæ distinctionem. Translatum igitur hoc Patriarchæ nomen, & accommodatum propriè ad denotandos tres sublimiores Ecclesię Præsules Romanum, Alexandrinum, Antiochenum. De quibus singulis potiora, & curiosiora promemus.

Epist. 48. ad Vincentiù.

4 Romanus sese exhibet primùm, qui ita est in Patriarcharum serie, & nomenclatura, vt tamen eam supergrediatur, ac antonomastiçè Patriarcha audiat vnus supra totam Ecclesiam; testatum est œcumenicum Chalcedonense Concilium apud *Euagrium* Actione prima. Damnato enim Dioscoro, cum clauderetur actio ipsa, Orientis Episcpi acclamarunt, & inter ceteras acclamationis voces auditæ illę. *Viuat Leo multos annos, viuat Patriarcha*; vel *Leoni multos annos, Patriarchæ multos annos*; obseruanda siquidem est hæc absoluta, & abstracta acclamationis forma; qua Leo Romanus Pontifex simpliciter Patriarcha dicitur, & sine vlla restrictione, quasi Patriarcharum Patriarcha sit, vt verè est, ac Principum Princeps. Nec absimiliter Auitus Viennensis pluribus Episcopis passim scribens non alio eos nomine designat, quàm Episcopi; at Patriarchis Papæ nomen adaptat; *Epistol. numer. 7. scribit Papæ Constantionpolitano, Epist. 23. Papę Hierosolymitano, at Epistol.* 87. inscribit *Hormisdæ Papæ* nulla adhibita loci, aut sedis restrictione, quia nouerat, ipsum totius Ecclesię Principem, & indefinitè Papam, qui apex supremus totius Ecclesiasticæ iurisdictionis eminentèr continet quidquid perfectionis

Lib. 2. C. 18

ctiones, & excellentiæ inferiores habent siue Episcopi, siue Patriarchæ, ipse eminentèr omnia iuxta doctrinam *Sancti Dionysij*. Hæc huius loci non est consideratio propria. De Romani Pontificis primatu, eiusque sublimiori supra totam Ecclesiam gradu iam egimus loco suo, nec ea sunt iterum repetenda. Age consideremus Romanum Episcopum prout vnus ex tribus Patriarchis est, & singulorum limites primò, ac subinde omnium auctoritatem ponderemus, gradum, ac dispositionem. Suspecta nonnullis visa est, vtpote schismatorum commentum, tributio illa, qua Occidens Romano Pontifici tanquam Patriarchæ fuit assignatum, & eò magis aucta suspicio, quo Thodorus Balsamon. & Zonaras Græci in commentarijs suis ad *Can.* 4. *Nicęn.* hanc ipsam assignationem probarunt: Zonaras enim præsertim ita scribit, *quemadmodum & Ecclesiæ Romanæ Præses in Occidentales prouincias Principatum diuturna consuetudine obtinet*. At Græcorum assertio quacumque intentione facta non ideò reijcienda, præcipuè cum nec veterum sententiæ, nec veritati ipsi repugnet; sic enim limitatur in Occidente Patriarchalis auctoritas, vt nihil, vel minimùm, minuatur summa capitis in totam Ecclesiam potestas, quę non tanquam Patriarchæ, sed tanquam summo Christianorum Pontifici competit.

De Cælest. Hierarch. c.5.

Itaque Romano Pontifici Occidentem cessisse fatentur Schismatici, firmat Nyceni Concilij iam citatus Canon; immò *Zonaras ad Can.* 5. Sardicensis Concilij Ecclesias Romano Episcopo subiectas scribit, ac recenset dum ait, *Romanæ autem Ecclesiæ ditioni eo tempore omnes fermè Occidentis Ecclesiæ subijcebantur, Macedoniæ nimirum, Thessaliæ, Illyrici, Peloponnesi, & eius, quæ Epyrus dicitur*, quæ posteà in Constantinopolitani iura transiuere: *Lib.* 2. *iuris Græco-Rom.* prostat notitia Ecclesiarum, quæ subsunt throno Constantinopolitano, à Leone sapiente Græco Imperatore compilata, & ad eius calcem hæc describuntur. *Auulsi à Dięcesi Romana, iamque throno Constantinopolitano subiecti Metropolitani, & qui subsunt eis Episcopi, sunt hi, Thessalonicensis, Syracusanus, Corinthius, Rheginensis, Nicopolitanus, Atheniensis, Patrensis*, quæ quidem, vel ex Græcorum testimonio vniuersum Orientem subiectum Romano Patriarchatui irrefragabiliter probant; at Patriarchatum ipsum à Summo Pontificatu diuersum, ac distinctum duo apertissimè firmant. Primùm, quod Hadrianus Primus Summus Pontifex *Epist.* 3. conqueritur impensissimè sibi ademptas prouincias, quas supra ex notitia Leonis recensuimus, & vt restituantur, excommunicationem comminatur. Hę Prouinciæ ad ius non spectabant Summi Pontificis, aut quatenus Episcopus est, aut Metropolita, aut quatenùs Primas; nam erant diuersarum duarum dięcesum ab Italica: sed neque vt est Pontifex Summus, nàm, vt is, non duas Diœceses, sed omnes posset repetere præcipuè, cum sublato schismate Episcopus Byzantij Romanum Pontificem obsequens agnosceret. Igitur tota controuersia cum Hadriano illa erat, an finitimæ illæ Prouinciæ ad Summum Pontificem, an ad Romanum Patriarcham pertinerent; atqui de Sum-

Summo Pontifice nulla poterat esse controuersia, cui se subijci non detrectabat Episcopus Byzantinus, igitur de Patriachatu Romano fuit contentio, eumque diuersum, ac distinctum à Pontificatu inde agnoscimus. Haud absimilis est ratio, quæ à Bulgariæ vsurpatione facta à Græco Patriarcha apertissima desumitur; Bulgari enim Dardaniam Europæam, ac proximas prouincias Græcis abstulerunt, & subinde opera Nicolai Primi Summi Pontificis ad Catholicam fidem sunt conuersi: Græci eos adse pertrahere omnibus artibus studuerunt; cum autem Bulgari hac contentione agitarentur, controuersia ad Synodum octauam deducta est, & demùm adnitente Basilio Græco Imperatore Bulgaria ad Græcum Patriarcham peruenit. Vsurpationem hanc impugnauit Hadrianus Secundus, & subinde Ioannes Octauus eius in Pontificatu successor Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano, qui ab Hadriano fuerat suæ Sedi restitutus, excommunicationem comminatur nisi Bulgariam restituat, à Photio Ignatij successore idem exposcit, & demùm assentiente Imperatore obtinet. In Synodo octaua fuit hæc controuersia agitata, & certè Ignatius Sanctissimus Vir, Photius, qui iam resipuerat, Ecclesiam, & Sedem Romanam omnium Ecclesiarum Matrem, & Principem agnoscebant; itaque de Patriarchatu Romano tota fuit controuersia, num scilicet ad ipsum, an verò ad Constantinopolitanum Bulgaria pertineret, indeque Patriarchatum à Pontificatu omninò distinctum, atque diuersum intuemur, & confirmamus.

Epist. 78. 79.

Epist. 99. 100. 101. Epist. 125.

5 Ad fines autem huius Romani Patriarchatus dignoscendos diuisio illa solidæ, ac totius Ecclesiæ supponenda est, qua statim à Concilio Nycæno vniuersum Ecclesiæ corpus in duas partes est diuisum, partitæque Ecclesiæ in Orientales, & Occidentales, & Occidentalibus nemo alius certè Præfectus, quàm Romanus Pontifex. Vtcumq; autem hæc ipsa diuisio euidens appareat tempore Constantini Imperatoris, attamen longè antea factam clarum est, & firmant Patrum Concilij Sardicensis testimonia, & Aquileiensis sub Ambrosio, quæ quidem ita loquuntur, non vt diuisionem à veteri Ecclesiæ consuetudine factam agnoscant, sed eam profitentur consuetudinem, ne quod in Concilio Orientales Episcopi statuissent, ab Occidentalibus refricaretur. Vnde Ambrosius in Aquileiensi; *quia scierunt consuetudinem huiusmodi, vt in Oriente Orientale esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium, ideò putauerunt non esse veniendum*. Diuisionem quidem hęc verba supponunt, sicut & verba Sardicensium Patrum, at à consuetudine quantumuis vetusta factam, non item; verùm diuisio ipsa notior est quàm, vt pluribus indigeat testimonijs, cum in antiquis summorum Pontificium Epistolis passim appareat Liberij, Damasi, Siricij, Innocentij, Cælestini; sed tamen notando, quòd dum in hac diuisione Orientem nominamus, latiùs sumimus quàm, cum Antiochenum Episcopum Orientis Patriarcham nominamus, vt expressiùs indicabimus, cum de Antiocheno ipso differemus. Oriente, & Occidente in Ecclesijs sic distincto, facile erit fines, quibus rectæ Ec-

clesiæ ipsæ tum Occidentales, tum Orientales, assignare. Aperit dilucidè Constantinopolitanum Concilium: Conuocatum enim fuerat Concilium ex omnibus Orientalis Imperij prouincijs, & Constantinopoli conuenerant Antistites, qui canone secundo Ecclesiarum Orientalium limites statuerunt, restringentes intra Diœcesim Thracicam, Ponticam, Asianam, Orientem, & Aegyptum. Vnde fit reliquum, vt quæcumque superessent Diœceses Occidenti remanserint, Illyricum scilicet solidum, Italia, Galliç, Britanniæ, Hispaniæ, & Africa, nam reuera ijdem erant Imperij Orientis, & Ecclesiarum Orientalium fines. Thracia in confinio Illyrici posita Orienti adhærebat; at Illyrici integra Præfectura, quæ Macedoniam, Daciam, Achaiam, & cæteras quasdam prouincias continebat, ad Occidentem pertinebat; sicut & Africani litoris sex prouinciæ, & si quę pars Macedoniam, & alias prouincias complectirur, Orienti accesserat; hæc tamen immutatio nihil antiquos Ecclesiarum fines turbauit, sed ijdem, qui supra assignati, remansere, & omnes Occidentales istæ Ecclesiæ sub Patriarchatu Occidentis extitere, & Patriarcham fuisse Romanum Pontificem totius Occidentis nec Shismatici deffitentur; quamuis imminuta fuerit posteà huius Patriarchatus amplitudo, & prouinciæ nonnullæ subiectæ Constantinopolitano Patriarchæ, quod clariùs patebit, vbi de Constantinopolitano ipso agemus. Huc aduocari possunt, quæ iam supra scripsimus de Regionibus suburbicarijs ad *Can. 6.* Nicæni Concilij, quæ non sunt iterum ingerenda.

6 Vtcumque autem illi duo essent Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus pari gaudentes titulo, attamen impar longè à Romano erat administratio, planèque inęqualis; Aegypto enim præerat Alexandrinus, Orienti Antiochenus, reliquæ verò Diœceses suis Primatibus, & Exarchis creditæ erant. At Occidentis Diœceses, vtcumque suis Metropolitis commissæ, Romano tamen vni Episcopo tanquam Occidentis Patriarchæ obsequebantur, cuius tantò amplior cæteris erat administratio, quantò dignitas, & auctoritas sublimior; cuiusque enim aliorum auctoritas propriæ vnius Diœceseos ambitu continebatur, at Romanus solidas totius Occidentis complectebatur Diœceses, ad septem, vel octo numero iam supra recensitas. Hinc *Basilius* Romanum Episcopum Occidentalium Coriphæum appellauit, Principem scilicet Occidentalium Ecclesiarum. Hinc *Augustinus* Orbis partem nuncupat Ecclesias Apostolicæ Sedi subiectas, Iulianum enim alloquitur in ea verba omissis cæteris. *Puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare, cui Ecclesiæ Præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses, &c.* Neque enim ad solam Romanam Ecclesiam, vt volunt Nouatores, possunt hæc verba restringi, cum Orbis partem exprimat, quæ non de singulari Ecclesia, sed de Occidente veriùs debet accipi, quod collatum cum Oriente præferendum omninò est ob splen-

Ep. 10.

Lib. 1. cont. Iulian. c. 2.

dorem, aut decus, quod ab effuso in Occidente Petri sanguine sumpsit. *Hieronymus. Hæreticum me* (ait) *cum Occidente, Hæreticum me cum Aegypto, hoc est cum Damaso, Petroque condemnent.* En Damasum Summum Pontificem facit Occidenti præsidere, sicut Petrum Alexandriç, adeòque Aegypto. Addere possumus consimilitèr loquentem Innocentium Primum Summum Pontificem, Iustinianum *Nouell.* 109. qui Occidentis regimen Apostolicæ Romanæ sedi assignant, vt nullus videatur relinqui ambigendi locus. At quàmuis Summus Romanus Pontifex Patriarchicum hoc ius in Diœcesi Vrbicaria, & Italica præcipuè exercebat, in alijs verò Occidentalibus Prouincijs summam auctoritatis vim, & dignitatis apicem conseruabat, ità Patriarchæ nomen nunquam adhibuit, sed solo Apostolicę Sedis titulo vsus est; dum enim se ipsum indigitauit eo titulo, qui Pontificatum in Primatu Sedis indicaret, quemlibet etiam alium titulum, qui eminentèr in supremo (vt supra diximus) continetur, non exclusit. Apposita ad rem est contrita illa *Diui Hieronymi* auctoritas, qua scribit. *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Aegypti, quid Apostolicę Sedis, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, Mariti esse desistunt?*

Ep. ad Marcum.

I p. ad Decent. Eugub Epist. 22.

Aduers. Vigilant.

Designat hic Hieronymus tres Patriarchatus, totamque in ipsis breui epilogo complectitur Ecclesiam. Per Orientem Antiochenum intelligit, per Aegyptum Alexandrinum, per Apostolicam Sedem Romanam pro vt à duobus alijs contra distinguitur, adeòque quatenus Patriarcam, non quatenus Pontificem Summum, aut Caput Ecclesiæ supremum; quod Hieronymi testimonium illustrat, ac confirmat locum planè adstipulantem *Diui Gregorij Magni.* Continet epistola mandatum Ioanni Defensori datum in Hispanias proficiscenti circa plurium causarum examen, sed præsertim causę cuiusdam Stephani Episcopi, qui à Synodo iudicatus appellauerat, & appellatio, tanquam à Canonibus aliena, impugnabatur; ait enim. *Contra hæc si dictum fuerit, quia nec Metropolitanum habuit, nec Patriarcham, dicendum est, quia à Sede Apostolica, quæ omnium Ecclesiarum caput est, causa hæc audienda, ac dirimenda fuerat, sicut & prædictus Episcopus petijsse dignoscitur, qui Episcopos alieni Concilij dignoscitur habuisse suspectos.* Apertè D. Gregorius asserit, non deesse Patriarcham, cum adsit Apostolica Sedes, quæ in toto Occidente patriarchatum gerit, in quo Occidente est Hispania, nec fuit insolitum eidem Sanctissimo Pontifici omittere Patriarchæ titulum, cum Sedem Apostolicam supra omnes Patriarchas profiteretur, quo nomine factum, vt & quatuor tantùm Patriarchas non semel connumeret non recensendo inter eos Romanum, quem Apostolica Sedes, non omissa tamen patriarchatus prerogatiua, longè altiùs euehit, ac non soli Occidenti, at toti Christiano Orbi præficit. Quo intuitu *Innocent. in Cap. Graue. De præben. & Benedictus in Extrauag. Sancta Roman. de elect.* ita Patriarchales Sedes enumerando disponunt, vt quatuor assignantes Romanam Sedem longè sublimiorem agno-

Lib. 11. Ep. 54.

agnoscant, quam tamen inter easdem connumeratam à Sexta Synodo act. 18. obseruamus, dum quinque patriarchales Sedes supponit, Patres enim illius Synodi mitti acta eiusdem ad quinque Patriarchas postulant, quem quinquenarium numerum firmat Nicolaus Papa I. in Responsione ad Bulgarorum consulta: nec non *Thedorus Balsamon.* qui Patriarchas quinque sensibus comparat, eosque, vnitate salua, distinctos ostendit; at in eo deficiens, quòd apicem non agnoscit, qui tanquam caput verè connectat, ac velut sensus communis præsideat, ac altiùs iudicet.

In Medit. Patriarch. Lib. 7. Iur Græco-Romani.

De Alexandrino Patriarcha.

7 DE Alexandrino Patriarcha, & eius ditione acturis post Romanum, occurrit in limine dubitatio, cur inter primigenios tres Patriarchas locum secundum obtineat Alexandrinus, ac præferatur ordine Antiocheno, qui & antiquior, & cuius Sedes immediatè à Petro fundata, cum Alexandrina & sit æuo posterior, & non à Petro immediatè, sed à Marco eius discipulo erecta; *Cardin. Bellarminus* rationem illam maximè probauit, quod Sedes Alexandrina sit erecta à Diuo Marco non nomine suo, sed Diui Petri, cuius Vicarius in ea fundatione extitetit, & quam sic à se nomine Petri erectam sanguine suo martirium subiens consecrauit, quam rationem etiam considerauit *Baronius*; sed non admodum videtur ipsa concludens, vt Alexandrinum Patriarcham præferendum Antiocheno persuadeat; nam quidquid habet prærogatiuæ Alexandrina Ecclesia, id omne mutuatur à persona Petri, cuius nomine, & mandato Marcus ipsam erexit, at quomodo non præferendam dicamus Ecclesiam Antiochenam, quæ quidquid habet immediatè à Petro suscepit? Vtrobique emicat Petri auctoritas, sed longè magis attendenda vbi immediatè, & per se, quàm vbi mediatè per alium impenditur; consecrauerit quidem Marcus sanguine suo, at demùm tota hæc præeminentia à Petro denominatur, à Petro deducitur, cuius opera in Antiochena Ecclesia certè fuit potior; vnde hac attenta Antiochenæ potiùs debetur præeminentia post Romanam, quàm Alexandrinæ. Vera igitur huius prælationis ratio inde sumitur, quod præfectura Augustalis, qua regebatur Aegyptus, decorata ab Augusto, & nomine suo, & supra alias nobilitata, maior, ac præstantior esset Syriæ Præfectura; cautionem in administranda Aegypto didicere ab Alexandro Romani; vnde Augustus, inter alia dominationis arcana vetuit, ne Senatores sine permissu ingrederentur Aegyptum, eiusque regimen, ac administrationem Equitibus credidit, è quorum ipse numero. *Tacitus* confirmat, *Aegyptum, copiasque, quibus coerceretur, iam inde à Diuo Augusto Equites Romani obtinent loco Regum; ita visum expedire, prouinciam aditu difficilem, annona fœcundam, superstitione, ac lasciuia discordem, & mobilem, insciam legum, ignaram Magistratuum domi retinere.* Arcendi Senatores, ne capti regionis splendore ad eam occupandam accenderentur; per fidissimos administranda

Lib. 1. de Rom. Pont. if.

Tom. 1. Annal. ann. 64 in fin.

Lib. 1. Hist.

stranda, ne moliri famem Vrbi impedita annona liceret; exaltata igitur præfectura Augustali Aegypti supra Syriæ Præfecturam, & Patriarchatus Aegypti Alexandrinus fuit supra Antiochenum attollendus, quamuis enim, vt supra indicauimus, ratio Patriarchales Ecclesias constituendi non fuerit regionum splendor, aut Vrbium præstantia, sed Petri suprema auctoritas, attamen in digerenda Patriarchalium Sedium serie non alia certè fuit habita ratio, quàm secundùm prouinciarum diuisionem, ac præeminentiam à Romanis institutam, ideòque Alexandrina prælata Antiochenæ Ecclesiç, & Alexandrinus Patriarcha Antiocheno illicò post Romanum, vnde Vrbium amplitudo, vt alias notauimus, occasio fuit, at non constitutiua ratio Patriarchalium sedium; nisi dicere velimus, ita visum Petro, & Apostolis, qui Ecclesiam vtcumque adoptiuam, ac per discipulum erectam, censuit præferendam, sicut Hierosolymitanam, licèt rebus in ea gestis insignem, nec inter Patriarchales recensuit. Alexandrino igitur Patriarchæ Orbis trientem regendum obuenisse ex Diui Petri, & Apostolica auctoritate confirmat Nicęnus *Canon. 6.* latè iam ponderatus, dum statuit. *Antiqui mores seruentur; qui sunt in Aegypto, Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium potestatem habeat*; quarum prouinciarum ambitu reliquæ omnes africanæ continentur, quas magis specificè expressit Diuus Epiphanius; *Hic enim mos obtinet* (scribit Epiphanius) *vt Alexandriæ Episcopus totius Aegypti, ac Thebaidis, Mareoteque, ac Lybiæ, Ammoniacæque, & Mareotidis, ac Pentapolis Ecclesiasticam habeat administrationem*. Non adnumerauit scilicet Epiphanius Aethiopiam, & barbaras prouincias vltra Lybiam, quia aut Romanis erant adhuc ignotæ, aut ipsæ Christianam fidem nondum agnouerant, quam amplexatæ Alexandrino Patriarchæ subditæ statim fuere, à quo Primatem suum semper recipere voluerunt.

Hæres. 68.

8 Verùm huic Alexandrini Patriarchatus amplitudini obstare videtur, quod africanæ prouinciæ Episcopo Carthaginensi subditæ semper extitere, nec vsquam apparet eas Alexandrino Episcopo paruisse, præsertim cum constet, alium quàm Episcopum Romanum de appellationibus harum prouinciarum non cognouisse, aut eas recepisse, cum tamen, si Alexandrino fuissent subditę, ad ipsum deferri appellationes huiusmodi debuissent; non sunt in re compertissima congerenda testimonia, at breuiter inquirenda ratio. Africæ nomen tripliciter sumptum obseruamus, primùm pressius pro Africę singulari prouincia vna ex sex Romanis, cuius Metropolis, & caput fuit Carthago, quæ regebatur per proconsulem, & singulariter Africa dicta fuit, vt notat eruditè *Pancirolus* latiùs, & secundò, sumitur Africa pro vna ex Diœcesibus, quę Præfecto Prætorio Italiæ suberant, hæque erant tres, Italia, Illirycum, Africa quæ Africæ Diœcesis sex prouincias continebat, inter quas erat, & Africa primo modo sumpta cum Proconsule, & in hac significatione à Patribus, Imperatoribus, & Iureconsultis regulariter acci-

Ad Notit. Imp. Occid. c. 47.

Notitia vtr. Imp. p. 9.

accipitur. Tertiò demum (& latiùs) sumitur Africa pro tertia Mundi parte condistincta ab Asia, & Europa, quam mediterraneum mare, Oceanus, & Rubrum mare alluunt vnica Isthmo Asiæ connexa, & ità à Gerographis vsurpatur cum Europæ, & Asiæ opponitur. Hanc igitur spectamus cum Alexandrino Patriarchæ Africam subiectam asserimus, nec tamen sub ea comprehenduntur sex illæ prouinciæ, quas Africa secundo modo sumpta continet, quæ Romano Patriarchæ Occidentis sunt tributæ, & Alexandrino subtractæ, idque non sine ratione factum coniectari licet; primò enim regionum proximitas suadet, nam ab Aegypto longissimè distant, ab Italia solo mediteranei maris traiectu. Secundò, quia latina lingua in ijs prouincijs maximè in vsu erat, & græca in Aegypto, & adiacentibus prouincijs; migrauerant in Aegyptum, & conterminas prouincias plures grecorum Coloniæ, & in Africam plures itidem Romanorum, vnde & latina lingua inter nobiles, ac infimos adhibebatur, & ideò Diu. Petri Successores Romani Pontifices Episcopos transmisere, qui gentes illas in Dei cultu, & vera fide instruerent; fuit autem peruetusta obseruatio, vt quas Ecclesias, & gentes Episcopus conuerteret, easdem sibi haberet subiectas, sicque ad eum Patriarcham pertinerent, ad quem, & Episcopus, & ideò cum populus Africanę Prouinciæ in fide eruditus fuisset à Romano Pontifice, ad eius etiam curam singulariter pertinuit; imò cum prouinciæ illæ Africanæ inter Occidentales prouincias fuerint semper connumeratæ, & Imperatoribus Occidentis iustè subesse debuerunt, quas tanquam supremus Christi familię moderator, & arbiter ex hisce rationibus debuit sibi committere Pontifex.

De Antiocheno Patriarcha.

9 ANtiochenus succedit tertius Patriarcha, qui regere vniuersum Orientem, provt dicit tertiam Orbis partem, S. Petri auctoritate, & vniuersæ Ecclesiæ obseruatione consueuit; Orientem accipimus provt vtramque Asiam continet, nec non Græciam, demptis tamen tribus prouincijs Thracica, Macedonica, & Dacica; Ampla est hæc Orientis acceptio, cui tanquam Patriarcha Antiochenus Episcopus pręsidebat, nec minorem amplitudinem admittere poterat ipsa Vrbs Antiochena, quæ in sæculari sua administratione toti Orienti pręerat, sicut supra ex D. Chrysostomo ipsam caput Orientis dictam ostendimus; Apostolos autem, & Petrum ipsum in fundanda Ecclesiastica iurisdictione ad sæcularem politiam respexisse iam certum est, igitur si Antiochia erat caput, & Princeps totius Orientis, & Patriarcham eiusdem Vrbis toti Orienti præfuisse, iustum fuit. Neque obijcias Orientis anguſtiorem acceptionem, qualem refert Imperij notitia, dum exhibens Diœceses subiectas Præfecto Prætorio Orientis enumerat, *Oriens*, *Aegyptus*, *Asiana*, *Pontica*, *Thracica*; Oriens autem hic significat specialem Diœcesem, quam si dixeris rectam ab Antiocheno Patriarcha, iactatam supra amplitudinem longè restrinxeris.

Verùm peculiarem hanc Orientis

tis Diœcesim Antiocheno Patriarchæ vtique subijcimus, at Patriarchalem ambitum nihil minuimus; Orientis enim singularis Diœcesis fuit ipsius Patriarchæ specialis exarchia, cuius erat ipse Primas, & tanquam Primas concilia conuocabat, aliaque gerebat, quæ Primas in sua exarchia facere consueuit; Id autem sublimiori Patriarchatus gradui nihil detrahit, sicut nec alia quæcumq; varia Orientis acceptio officere, vel minimum, potest iurisdictioni illi, qua in amplissimam in totum Orientem Antiochenus Patriarcha gerebat, sicque per très Patriarchas factum, vt suprema capitis Ecclesiæ potestas per tres hascè Patriarchales sedes, quasi per collum, in subiecta omnia membra fæliciter communicaretur, ac descenderet. Munia Patriarchalia, ac potestatem in Ecclesia nondum recensendam, ac ponderandam aggredimur, nisi & Patriarchas exhibeamus, qui tribus hisce accreuere, quando enim, & quomodo id factum examinabimus, indeque ad potestatem, & munera transibimus.

De Addititijs Patriarchis.

10 Vtcumque trium Patriarcharum maiestas eam causam agnoscat, quæ ipsorum celsitudinem reddit incommunicabilem, in Petrum enim fundamenta Ecclesiasticæ politiæ iacientem resoluitur, quod semel ab ipso factum repeti posse vix credibile est; poterit quidem communicari auctoritas, tribui nomen, at primordialis illa principij præeminentia non item. Tentatum nihilominus, & obtentum demùm; sed auctus numerus, & si quæ impetrata excellentia, ea participata, sed par nunquam; quibus ergo gradibus, quouè nisu ad tantum sit peruentum culmen, videamus. Tribus Patriarchis primigenijs duo veluti adoptiui accessere Constantinopolitanus, & Aeliensis, siuè Hierosolymitanus. A primo exordiemur eius incrementi causas detegentes. Attollendi motiua fuere; quod translata Colonia ab Vrbe Roma per Constantinum Cæsarem in recens à se amplificatum Byzantium, ac denominatum nouo titulo Constantinopolim à nomine suo, migrauerint non solùm ex infima plebe, sed ex primoribus Vrbis Romæ Senatores ipsi Imperatorem secuti, Senatus ibidem constitutus, & demùm nouæ Romæ nomen Vrbi tributum, ac omnia priuilegia, quibus Roma vetus eminebat, in nouam translata adeò, vt Constantinus Senatum nouæ Romæ opposuisse Senatui antiquæ dicatur; allusit eleganter *Claudian.* *De Bello Gildon. in princip.*

Cum subijt par Roma mihi, diuisaque sumpsit,
Aequales aurora togas &c.

Constitutioneque sua firmarunt *Honor: & Theodos. Cæss. l. 1. Cod. de priuileg. Vrb. Constantinop. Vrbs Constantinopolitana non solum iuris Italici, sed etiam ipsius Romæ veteris prærogatiua lætetur.* Facta igitur hæc Vrbs Imperij, ac Senatus sedes æmulari cæpit filia matrem, cui tamen, & vetustate, & splendore cedere debuit, atque politica dignitas gradum præbuit Ecclesiasticæ exaltationi, vt qui Byzantinus Episcopus Heracleensis Antistitis suffraganeus erat, à quo tanquam Metropolitano suo ordinabatur,

tur, vt notat *Theodorus Balsamo. ad Can. 3. Concil. Constantinop. 1.* fieret Metropolitanus & ipse, ac demùm Patriarcha, & auctoritatem supra varias Diœceses obtineret.

11 Quandò autem Metropolitanus factus fuerit Byzantinus Episcopus, num statim ac Byzantium factum est Regia Ciuitas, an vero à Constantinopolitano Concilio, valdè incertum; rationes in vtramque sententiam afferre prolixum nimis esset, verosimiliùs videtur, Byzantinum Episcopum ius Metropolitani tunc adeptum, cum mutatum Byzantium in Constantinopolim, & factum Regia Ciuitas; verùm non per hoc credendum aliquid imminutum Metropolitæ Heracleensi, cui Byzantinus Episcopus suberat, sed sua Metropolitica prærogatiua salua id honoris Constantinopolitano additum; constat enim ipsum Heracleensem adhuc in Synodis posteà celebratis semper tanquam Metropolitanum, & inter primores Metropolitanos subscripsisse; immò euidentissimè colligitur ex *Leonis Sapientis notitia*, in qua inter Metropolitanos tertius ordine connumeratur Heracleensis Thraciæ, ac Macedoniæ; quod certè non fieret, si ex quò Constantinopolitanus ius, vel titulum Metropolitani est adeptus, ipse Heracleensis iure suo Metropolico cecidisset, itaque rationabilis admodum est coniectura, quod cum in Notitia Leonis nulli legantur suffraganei Constantinopolitani Metropolitæ, ipse honorarium tantùm ius Metropoliticum sit adeptus, eique collatum sine vlla subiectarum Ecclesiarum assignatione; si quos enim in sui erectione suffraganeos habuisset, quomodo ijdē ad Heracleensensem migrassent, & redijssent iterum? Notabile est in conciliabulo ad Quercum in Suburbijs Constantinopolitanæ Vrbis contra Diuum Ioannem Chrysostomum nullam Constantinopolitani Metropolitæ mentionem haberi, cum tamen sub eius ditione haberetur Synodus, & ei præsedisse Paulum Heracleæ, vt in fine ex Synodi sententia indicatur. Nec minùs obseruabile, nullibi habitam mentionem aliquam de Synodis à Constantinopolitano Antistite conuocatis; si quæ enim ab eo habitæ leguntur, eæ celebratæ inspiciuntur, à conuocatis Metropolitanis, & si qui alij interfuerunt Episcopi, non ex finitimis tantùm Ecclesijs Constantinopolitanæ obuenere, sed & ex alijs prouincijs; addas demùm formam eligendi Constantinopolitani Episcopi, qua non ab Episcopis certæ prouinciæ, sed aut à Clero Constantinopolitano, vel ab adiacentibus Metropolitanis legitur facta electio, quæ quidem omnia verosimilimum suadent Constantinopolitanum Episcopum Metropolitani honore donatum, at sine vlla suffraganeorum assignatione, vllaue sedium partitione inter ipsum, & Heracleensem.

Lib. 2. Iur. Græco. in fine.

Apud Photium in Bibliotb. Vol. 59.

12 Primus igitur huic fuit gradus, quo se efferre Episcopus Constantinoplitanus cępit, successiuè augescit fastus, & demùm sublimius cæpit appetere culmen, iamque ad Patriarchicam dignitatem consurgere adiuuante, ac veluti fundamentum præbente Concilio Constantinopolitano, quod fuit generale secundum in cuius *Canone* 3. legitur. *Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, eo quod ipsa sit*

Apud Balsam.

verò præsertim Sanctissimum, nisi Canonem, aut Constitutionem Ecclesiæ extare sciuissent. Itaque longè fæliciùs videtur posse eneruari Canonis robur absque eo, quod fictum, aut commenritium asseramus, si æquiuocationem, quæ latet sub nomine Constantinopolitani Concilij detegamus; Synodus enim generalis secunda, quæ fuit Constantinopolitana prima habita fuit anno 381. anno verò sequenti cum Damasus Romanus Pontifex ob turbas excitatas in Oriente occasione defuncti Meletij Antiocheni Episcopi, de cuius successore eligendo agebatur, Romæ Synodum conuocasset, Theodosius Imperator literis suis mandauit, vt qui Episcopi anno superiori Constantinopoli iam conuenerant, Romam ad Synodum irent, ipsi verò callido consilio subterfugium captantes venerunt ex condicto Constantinopolim, & Imperatori persuaserunt, iacturam nimiam passuras Orientales Ecclesias, si ipsarum Pastores longius abire, & abesse compellerentur, Damaso verò vocanti Romam satis futurum, si ipsi Constantinopoli Concilium celebrantes Romam legatos communi nomine mitterent; quibus cum annuisset Imperator, Episcopos tres elegerunt Cyriacum, Eusebium, & Priscianum, & eos cum literis ad Romanam Synodum ablegarunt, quæ leguntur apud *Theodoretum*, & regestæ habentur apud *Baronium*, quarum titulus indicat, tanquam ex Concilio scriptas, sic enim habet. *Dominis honoratissimis, & cum primis Reuerendis Fratribus, & Collegis Damaso, &c. & cæteris Sanctis Episcopis in celebri Vrbe Roma conuocatis, Sanctum Concilium Ortodoxorum Episcoporum in ampla Vrbe Constantinopoli coactum in Domino salutem.* Cum igitur duraret adhuc schisma in Ecclesia Antiochena, cui duo præerant electi Episcopi Euagrius, & Paulinus, cui Damasus, & Occidentales Episcopi, ac Aegyptij fauebant, Euagrius, vt Constantinopolitanum sibi demereretur, & faciliùs Paulino resisteret, cum sequacibus suis gratiam simul Imperatoris occupans Canonem hunc edidit, quo prælatio Constantinopolitanæ sedi immediatè post Romanam supra alios Patriarchas est sancita, idque non vna coniectura facilè suadere potest; Primò enim ex Epistola Synodica ad Theodosium Imperatorem missa post terminatam Synodum, per quam certior redditur Imperator de rebus in Synodo gestis, apparet Canones Concilij Constantinopolitani supremam fuisse eiusdem Concilij lineam, qui ordo etiam in alijs Concilijs obseruatus fuit adeò, vt post plures annos à celebratione quintæ, & sextæ Synodi conuocati fuerint Episcopi, qui in Concilio iam conuenerant, ad Canones condendos, idemque gestum in Constantinopolitano primo, in quo cum editus esset Canon primus de Diœcesum limitibus seruandis, additi sunt alij Canones sub eodem nomine anno subsequenti; nam ex Theodoreti historia vbi supra apparet post Nectarij ordinationem eosdem Constantinopolitanos Patres Canones nonnullos pro recto Ecclesiæ regimine condidisse; quos etiam explicant in eadem Synodica epistola apud eundem *Theodoretum*, & demùm post Nicænæ fidei confirmationem singulos Patres domum suam redijsse, &

Lib. 5. c. 9.
Tom. 4. Annal. Anno 381.
Baron. tom. 4. ann. 381.
Ex Theodoreto lib. 5. hist. c. 9.
Cap. 9.

solùm æstate sequenti ad eandem Constantinopolitanam Vrbem reuersos, ad Occidentales scripsisse acta à se anno superiori, sicque de priuilegio Ecclesiæ Constantinopolitanæ ex Theodoreto nihil tractatum, sed consequenter anno sequenti fuisse de ea præeminentia actum; vnde Damasus, qui confirmauit gesta in Constantinopolitano Concilio, non item approbauit, quæ facta fuere in conuentu secundo, quem tanquam portionem Concilij œcumenici supponere studuerunt Clerici Constantinopolitani, apud quos exemplaria conciliorum seruabantur; non omnia hìc congerimus, quæ historiam Constantinopolitani Concilij respiciunt, at illud satis, inde sumpsisse exordium Constantinopolitanæ sedis prærogatiuam supra alias Patriarchales immediatè post Romanam, & ex ea aditum factum ad incrementa maiora, ad quæ peruigiles summa attentione excubasse Constantinopolitanos Episcopos non est ambigendum, ex tunc enim Thracicæ Diœcesis ipsi facta accessio, iniuncta earum prouinciarum inspectio, quarum rectores hæresi infecti essent, cuius delegati muneris occasione Pontica, & Asiatica Diœcesis obuenere, quæ quidem quamuis ante hunc Constantinopolitanum conuentum non competerent, attamen sedes ipsa Constantinopolitana optabilis semper fuit, tum ob Vrbis ipsius splendorem, tum ob Imperatorum gratiam, quam aucupari, & demereri Constantinopolitano Episcopo non erat difficile, & ideò vel ob hunc aditum vnum Constantinopolitana sedes à maiorum Ecclesiarum Præsulibus exoptabatur. Post itaque conuentum supradictum Constantinopolitani Episcopi non solùm Thracicam Diœcesim nemine resistente, sed & eas Asiaticæ, & Ponticæ Prouincias sibi arrogare cęperunt, quæ pro sæcularibus negotijs ad Præfectum Vrbis Constantinopolitanę per appellationes confluebant, resistentibus nonnullis, sed & sponte adnitentibus alijs, sicque ea ipsa operari cæperunt circa illas prouincias, quæ Romanus Pontifex circa Occidentales, paria cum ipso prætexentes priuilegia, ex quo Constantinopolis facta esset noua Roma; vnde cum Concilium primum locum post Romanam sedem ipsi esset largitum, subinde processu temporis ad paritatem priuilegiorum Patriarchalium est deuentum, & ad ambiendum primatum inter Orientales Patriarchas renitente Alexandrino, cum quo acerrima viguit contentio vsque ad Chalcedonense Concilium; successiuè facta auctoritatis ampliatio per ea, quæ à Patriarchis gesta, exordiendo à Nectario, & post eum à *D. Ioanni Chrysostomo*, vt colligitur ex *Sozomeno*, & sub Attico ex *Socrate*, *& Nicephoro*, *ex l. 6. C. de Sacrosf. Eccles. & l. 45. C. Theod. de Episcopis*, quamuis lex hæc seruata fuerit Attico tantùm superstite inuitis populis, & Episcopis. Lib. 8. c. 6. Lib. 7. c. 25. Lib. 10. c. 39.

Ventum demùm ad Concilium Chalcedonense, quod fuit quartum generale, cui occasionem præbuit Eutichetis Presbyteri, & celeberrimi Monasterij in Regia Vrbe Archimandritæ, qui pretextu declinandæ heresis Nestorianæ vtramque Christi naturam ità confundebat, vt ex vtraque vnam coaluisse assereret. Indictum fuit Concilium, Leone Magno Summo Pontifice cum

pri-

primis solicitante, Chalcedone Ciuitate in prouincia Bithyniæ Bosphoro distans à Constantinopoli regia Vrbe, ipsumque apertum intra Ecclesiam S. Martyris Euphemiæ anno Christi 451. presidentibus Apostolicæ sedis legatis à Leone missis Paschasino Lybetano, Lucentio Asculano, Iuliano Coensi, Episcopis, & Bonifacio Presbytero; secundus post legatos Apostolicæ sedis sedit Anatolius Constantinopolis Episcopus, mox Dioscorus Alexandriæ, quartus Maximus Antiochiæ, Iuuenalis demùm Hierosolymorum. Adfuere Principes à Marciano missi cognitores Senatus.; Actiones plures factæ sunt vsque ad quindecim numero, vt ex actis eiusdem Concilij, quod prostat tomo Conciliorum primò, & peracta demùm actione decimaquinta soluta est Synodus, & ex ea abierunt Comites Senatus cognitores, & Legati Apostolicæ sedis; tuncque AnatoliusConstantinopolitanus Episcopus furtim congregatis Orientalibus Episcopis, præter Aegyptios, ex quo vacabat Sedes Alexandrina ob deiectionem Dioscori, cuius Episcopi Alexandrini fuisset fastum Anatolij reprimere, ac eidem resistere. Imitatus est Anatolius stylum seruatum in Constantinopolitana Synodo, qua finita in subreptitio conuentu iactum est fundamentum ambitioni Constantinopolitanæ Sedis; Canones igitur tres condidit, vel vnum potius, qui tria contineat. Primò, vt ex eo, quod Vrbs Constantinopolis sit regia Vrbs, ac Imperij sedes, & Senatu fulgeat, & sit Roma secunda inhærendo Sanctioni œcumenicæ Synodi sub Theodosio seniore Constantinopoli celebratę, paribus priuilegijs cum seniori Roma gaudere debeat, & proximum post eam dignitatis locum habere. Additum adhuc quid amplius, vt Constantinopolitana Sedes ius ordinandi haberet Metropolitanos Ponti, Asiæ, & Thraciæ, quo decreto subijciuntur ipsi Sedi tanquam Patriarchali tres illæ prouinciæ, & adimuntur Antiocheno Patriarchæ Pontus, & Asia minor, & Romano Occidentali Patriarchatui Thracia.

Non subscripsere huic Canoni Aegyptij Episcopi, quia cum vacaret eorum Sedes, ex quo Dioscorus fuerat expulsus, inualuerat inter eos consuetudo, ne quid inconsulto eorum Episcopo in causa communi omnibus operarentur, aut subscriberent; vnde ex composito occasionem aucupatus est Anatolius, vt liberè rem suam promouere posset, ipseque solus cum Orientalibus, qui secum conspirauerant, huic Canoni subscripsit quasi à Concilio Chalcedonensi emanasset. Vbi fraudem nouere Legati Apostolicæ Sedis, petierunt congregari Concilium, & Sessio decima sexta facta est, interuenientibus Iudicibus cognitoribus, & alijs de more Episcopis; conquæsti sunt Legati de fraudulenta Canonis impostura contra Nicæna decreta, & Sacrosanctum Synodorum stylum, eoq; vehementius doluere, quò Sanctissimus Pontifex Leo præuidens, quæ possent euenire, præsidium in mandatis ijsdem dederat. *Sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari seruantes omnimodis personæ nostræ in vobis, quos vice nostra transimisimus, dignitatem; ac si qui fortè*

Ciui-

Ciuitatum suarum splendore confisi aliquid sibi tentauerint vsurpare, hoc, qua dignum est constantia, retundatis. Hæc Leo Magnus in mandatis Legatorum; contentio in Synodo exarsit, allati sunt Nycæni Canones à Legatis, allati itidem ab Aetio Diacono ecclesię Constantinopolitanæ, sed mutilati, ac fraudulenter allegatus Canon Constantinopolitanæ Synodi sub Nectario de priuilegijs Ecclesię Constantinopolitanæ, de quo iam supra, & demùm, cum cognitores Iudices Ciues essent Constantinopolitani, itum est in Anatolij sententiam, & firmatus Canon in fauorem Constantinopolitanę Ecclesię tanquam ab vniuersa Synodo approbatus, vnde Legati nil aliud habuere reliquum, nisi vt de gestis se ipsis absentibus protestarentur tanquam gestis in Canonum præiudicium, contradictionemque suam semper apparere, ne gestis huiusmodi videantur acquiescere, relaturi vniuersalis Ecclesiæ Papæ, qui de suæ Sedis iniuria, & Canonum euersione possit ferre sententiam.

Tom. 6. Annal. ann. 451. Ita Lucentius Legatus in actis Synodi, & latè prosequitur *Baron.* Illud autem non est omittendum, quod in eadem Chalcedonensi Synodo duo alij Canones firmati fuere, quibus promota, & ampliata extitit Constantinopolitanæ Sedis auctoritas, *Canon.* 5. 9. & 17. *Canon.* 9. statuitur, vt si Episcopus, vel Clericus cum ipsius Prouincię Metropolitano controuersiam habuerit, diœceseos exarchum adeat, aut Regiæ Vrbis Constantinopoleos Sedem, & apud ipsam iudicetur. Idem *Can.* 17. Siquis autem à suo Episcopo, vel Metropolitano iniuria afficiatur apud Exarchum, seu Primatem diœceseos, vel Constantinopolitanam Sedem, *Litiget, sicut superius dictum est*; & habetur in *Cod. Canon. Eccles. Vniu.* Notabile autem hic maximè est, quod Legati Apostolicæ Sedis duobus hisce Canonibus non opposuerunt, sed soli 28. imò ijdem duo isti Canones in collectionibus Dionysij Exigui, & Cresconij, in Synagoga Canonum Theodoreti leguntur, at vigesimus octauus non item. Verùm quod in Canonibus hisce duobus est additum de Constantinopolitana Sede, additum fuit post Legatorum discessum, & ideò ipsis non immeritò displicuit, sicut & displicuit Canon vigesimus octauus; cæterùm collectores Canonum omittere integros Canones non debuerunt, mutilare etiam non decuit, & ideò Canones ipsos cum addita mento recensuere.

Impugnarunt autem Legati solum vigesimum octauum, aut quia virtualiter id continebat, quod nono, & decimo septimus erat additum, aut quia iam inoleuerat consuetudo, vt Constantinopolitanus Antistes in proximis prouincijs in Ecclesias aliquas potestatem exerceret iuxta vsurpationes iam factas ante Concilium Chalcedonense, constat enim ipsum Ephæsinæ, & Ponticæ Diœceseos, & Thraciæ varios Metropolitanos deposuisse, & ideò ne consuetudinem qualemcumque huiusmodi directè impugnarent duos illos Canones dissimularunt prudenter, & solùm postremum vigesimum octauum diuexarunt, quod nullo alio nisi fraudis, & versutiæ nitebatur fundamento. Ambitioso conatui restitit intrepidè insurgens Summus Romanus Pontifex Leo;

opti-

optimè enim norat, non posse Constantinopolitanum Præsulem, vel Patriarchicam potestatem assumere, vel se latiùs diffundere, vel magnificentiùs supra alios Episcopos se efferre, nisi ex illius auctoritate, & consensu, qui solus à Christo obtinuit potestatem amplissimam, & à cuius plenitudine potestatis partem mutuari debent, quicumque supra alios Episcopos, (qui omnes inter se pares) aut intensiori, aut diffusiori potestate gaudent; idque negare non sunt ausi Chalcedonenses Patres, dum protestanti Lucentio, ac petenti intercessionem suam actis concilij inseri, vt nosset quid Leoni Apostolico Papæ referret, *Vt ipse de suæ sedis iniuria, aut de Canonum euersione possit ferre sententiam*, nihil reponere sunt ausi, imò fraudulenti priuilegij confirmationem ab ipso Summo Pontifice petierunt per Epistolam, in qua eumdem totius potestatis fontem agnoscunt, & confitentur per ea verba. *Confidentes, quia lucente apud vos Apostolico radio, & vsque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam consuetè gubernando illum spargentes, hunc sæpiùs expanditis, eò quod absque inuidia consueueritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos*, & paucis interiectis, *hæc sicut propria, & amica, & ad decorem conuenientissima, dignare complecti Sanctissimè, ac beatissime Pater, &c.*

Act.3.Concil. Calced. in fin.

Norat etiam S. Leo sui muneris esse Canones, & Decreta Synodorum generalium tueri, executionem vrgere, & à temerantium audacia protegere; iam autem Nycæna magna Synodus proximum locum Alexandrino Episcopo post Romanum statuerat, tanquam Primati Aegypti, Lybię, & Pentapolis cum potestate plena, aliunde quàm ab humana institutione impertita. Paria etiam priuilegia Antiochena Ecclesia obtinuerat, cui secundum locum post Romanum Pontificem idem Nycænus Canon firmauerat, & tamen Chalcedonensi, subreptitio Canone totus hic ordo conuellebatur, quando assignato Constantinopolitano Antistiti proximo post Romanum loco iam Alexandrinus Secundus, & Antiochenus tertius constituebatur, & præueniendi in appellationibus ius addicebatur in præiudicium tum Alexandrini, tum Antiocheni; ideò euerti Canones generali conuentu editos non est passus Leo ab Orientalibus Episcopis (nec tamen omnibus) seductis, absentibus Aegyptijs, & Occidentalibus renitentibus; sed restitit viriliter scribens primum Anatolio, ipsumque arguens hac ipsa ratione. *Doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt sacratissimas Nycęnorum Canonum constitutiones conareris infringere, tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris priuilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesiæ proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, vt his locis iuri tuo subditis, omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priuentur, &c.*

Epist.53.in princ.

Moxque, quid de constitutis huiusmodi contra Nycænos Canones sentiat paulò inferiùs exprimit subdens de Sanctis Patribus illis Nycænis, *Mansuras vsque in finem Mundi leges Ecclesiasticorum Canonum, quas condiderunt, & apud nos in toto Orbe terrarum in suis Constitu-*

stitutionibus viuunt, & si quid vnquàm aliter, quam illi statuerunt, præsumitur, sine cunctatione cassatur, vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur. Scripsit, & Marciano Augusto Anatolij ambitionem carpens, rationemque eandem ingerens ab immutabili constantia Nycænorum Canonum; *Priuilegia* (inquit) *Ecclesiarum Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nycænæ Synodi fixa decretis nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari*. Horum canonum immutabilem se profiteretur assertorem, ac Marcianum ipsum impensissimè rogat, vt Anatolij fastum reprimat, ac pro vnitate, & charitate Ecclesiæ partes suas interponat; scripsit & ad Pulcheriam Augustam, ac apertè typhum Anatolij repressit irritans quidquid sub obtentu Chalcedonensis Synodi in maiorum Sedium detrimentum tentauerat; exagerans enim cultum, & obedientiam perennem Nycænis decretis debitam claudit; *Consensiones verò Episcoporum Sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobis cum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus*.

Epist. 54.

Ratum igitur habuit, & confirmauit Summus Pontif. Leo quidquid à Chalcedonensi concilio in causa fidei fuerat statutum, at subreptum in augmentum Constantinopolitanæ Sedis nusquam probauit, sed suæ demùm literæ tum ad Marcianum, tum ad Anatolium obtinuere, vt Marciano vrgente morem gereret Anatolius, & statutis in subreptitio canone ad fauorem Constantinopolitanæ Sedis cederet, cum duo alij *Canon.* 9. & 17. de appellationibus Alexandrinæ, & Antiochenæ diœcesis ad Sedem Constantinopolitanam nunquam effectum sint fortiti; nulla enim huius exerciti iuris prostat praxis, imò contrarium fuisse in viridi obseruantia æuo suo testatur *Balsamon*. Itaque Marcianus Imperator literis Leonis Magni receptis (vt par erat) non admodum sollicitus fuit pro executione Chalcedonensis decreti, cui hoc nomine gratulatur S. Leo. *Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum est, quod probasse vos obseruantiam meam de custodia Canonum paternorum pietatis vestræ affatibus indicastis; & meritò geminatur gaudium meum, cum vobis religiosissimè placere cognosco, vt & fides Nycæna suam teneat firmitatem, & priuilegia Ecclesiarum illibata permaneant*. Sed Anatolio persuasit, vt prætenso sibi quæsito iuri ex Chalcedonensi Synodo renunciaret, idque apertissimè indicat eiusdem S. Leonis Epistola, qua & sua in Anatolium correptio, & Anatolij resipiscentia eaq; opera Marciani Imperatoris inducta, ostenditur; sat fuerit pauca verba describere, quæ rem totam innuendo confirmant; Marciani Augusti operam agnoscit, mox excusationem, quam afferebat Anatolius commemorat regerens culpam in clericos Constantinopolitanos, ipsamque acutè retorquet, & subdit; *Sed gratum mihi, frater charissime, est, quod dilectio tua profitetur sibi displi-*

Ad Hom. c. Phot. tit. 9. c. 6.

Ep. 59. circa med.

Ep. 71. circa med.

displicere, quod tunc etiam placere, non debuit. Sufficit in gratiæ communis regressum professio dilectionis tuæ, & attestatio Principis Christiani; Nec videtur tarda correctio, cui tàm venerabilis assertor accessit. Abijciatur penitùs inconcussi iuris,qui dissensionem fecerat, appetitus. Sufficiant limites, quos Sanctorum Patrum prouidentissima decreta posuerunt &c. Hactenus Sanctus Leo, cuius verba qualis demùm fuerit Anatolius, & qualem se gesserit Marcianus Imperator apertissimè indicant,& Chalcedonense Decretum remansisse sine effectu, & ideò quamuis post Decretum ipsum pro varijs occasionibus tentauerint Constantinopolitani Episcopi integrum ius Exarchicum sibi acquirere in Diœcesibus Tracica, Asiana, & Pontica, obtinere tamen non nisi seriùs potuerunt, ac veluti per gradus quosdam vsurpando successiuè sub Imperatoribus varijs, vt sub Zenone, & Anastasio, Iustino, & Iustiniano; sub Iustino enim suffectus in locum Timothei Ioannes, qui communionem Apostolicæ Sedis expetijt, ac permissos legatos obtinuit, cum antea sub Acacio, & successoribus vsque ad ipsum Ioannem Sedes Constantinopolitana à Romana seiuncta mansisset. Ioanni successit Epiphanius, qui in relatione Synodi Constantinopolitanæ ad Hormisdam Summum Pontificem Patriarcha dicitur, sicut & Epiphanius scribens ad eundem Hormisdam de electione sua prædecessorem suum Ioannem Patriarcham appellat, & ex tunc Romana Ecclesia admisisse videtur Patriarcatum Constantinopolitanum, ac in Diœcesibus Tracica, Asiana, & Pontica agnitus Primas, & Exarchus Patriarcha Constantinopolitanus, saltem in ijs Prouincijs, quibus à sententijs Iudicum ad Præfectum Vrbis Constantinopolitanę appellabatur, tacito quodam consensu Apostolicæ Sedis, quæ in titulum, & vsum tacitè consensit; indeque factum, vt Iustinianus passim in legibus, & constitutionibus suis, Constantinopolitanum, & Archiepiscopum, & Patriarcham appellet, & Constitutionem Nouellam ediderit de Patriarchatu Constantinopolitano inter Patriarchas primum locum post Romanum habituro; Vigilius Summus Pontifex in epistola ad Eutichium Constantinopolitanum eum, vt Metropolitam compellat, dum ait; *Eutichio Episcopo Constantinopolitano, & Episcopis sub eo constitutis*: & demùm ante Diuum Gregorium Magnum nemo Romanorum Pontificum Constantinopolitanum Antistitem inter Patriarchas expressè adnumerauit; quatuor enim ipse commemorat Patriarchas excepto Romano, quem vt pote alijs omnibus superiorem excipit, & ab inferiorum nomenclatura excludit, sic enim in Epistola non vna scribit. *Primò namque*, ait: *quod si quilibet ex quattuor Patriarchis fecisset, sine grauissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset*. Scribit ipse Sum. Pontifex, idemque Romanus Patriarcha, & se excepto, de se ipso loquitur; & alibi ad Brunichildem Reginam; *Sed ita illos erroris labes imbibit, vt ignorantiæ suæ credentes vniuersalem Ecclesiam, atque omnes quattuor Patriarchas non ratione, sed malitiosa mente tantummodo refugiant*.

Collat. 1. 5. Syn.

Lib. 2. Ep. 37. in fin. Ind. 11.

Lib. 7. Ep. 5 Ind. 1. circa med.

Cyriaco etiam Constantinopolitano Patriarchæ inscribit epistolam, cum antea ijdem scribens ab hoc titulo

tulo abstinuisset, & scribens etiam Ioanni, quem solummodò Episcopum Constantinopolitanum appellat, cum tamen libenter hoc titulo Patriarchæ vsus esset; cum Anastasio Antiocheno, & cum Eulogio Alexandrino; itaque quattuor Patriarchas commemorat se, tanquam Romano, excepto, quod & factum obscurare licet: in donatione Constantini (qualiscumque ea sit) in Nomocane Photij apud *Balsamonem* loquitur de Romana Sede. *Statuimus, vt habeat principalem potestatem, & sit Caput quattuor Sedium, Sedis Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Constantinopolitanæ, vt semel dicam, omnium totius Orbis Ecclesiarum*, & demùm ex quo Constantinopolitanus cæteris fuit adiectus quinque Patriarchæ numerari in Ecclesia cæperunt, sic apud *Iustinianum in Nouellis*; sic *Balsamo* in meditatis Patriarchar. sic demum *Innoc. III. in cap. Antiq. de priuil. ex Concil. Lateranensi*. Adnumerato autem Constantinopolitano Episcopo inter Patriarchas Diœcesis ipsi assignanda fuit, intra cuius ambitum suam iurisdictionem exerceret, & ex tribus, Thracica scilicet, Asiana, & Pontica, vel integris, vel diminutis vna Diœcesis integrata est, quæ Constantinopolitano Patriarchæ subesset iuxta Chalcedonense decretum. An autem hac assignatione facta Primates harum diœcesum fuerint suppressi, aut extincti non est adeò certum, neque hac de re instituenda nobis disputatio, cum extent hinc inde rationes; hoc certum, quod Constantinopolitanus Antistes, & Patriarcha à decreto, & Canone Concilij Chalcedonensis cœpit gaudere ea prærogatiua, vt primus post Romanum Pontificem inter reliquos Patriarchas recenseretur; facilem ascensum ad hanc gradus dignitatem actu exercendam fecit Dioscori Patriarchæ Alexandrini depositio secuta in ipso Chalcedonensi Concilio; mox continuata in eadem Alexandrina sede hæreticorum successio vsque ad Zoilum tempore Iustiniani, tum Antiochenæ sedis diuturnum schisma, ante Synodum eiusdem sedis inuasio, & occupatio ab instructis hæreticis. Restitere (vt iam diximus) huic fastui Constantinopolitanæ sedis, & Constantinopolitani Patriarchæ Leo Magnus passim in Epistolis suis, nec minùs Gelasius in epistola sua ad Episcopos Dardaniæ, opponentes, esse contra Nycænorum Canonum constitutionem, & auctoritatem, vt Antiochenæ, Alexandrinæ Sedi Constantinopolitana vellet præferri, & eò vehementiùs obstitere, quò à primo hoc gradu ad longè maiora fastus esset progressurus; Progressum iuuit Acacij Constantinopolitani schisma, & prærogatiuam ordinis seruandam fauentibus Imperatoribus euicit; huicque contentioni de loco obstitere quidem Summi Pontifices, sed cum paci Ecclesiæ obesset, impensiùs reluctari noluerunt, longè vtilius existimantes pacem inter Ecclesias tueri; accessit Constantinopolitana Synodus in trullo cuius *Canon. 6.* decernitur, vt Constantinopolitanus Antistes immediatè, & proximus à Romano scribatur; qualem auctoritatem habeat Constantinopolitana hęc Synodus quinisexta non inquirimus, at nobis satis, quod hæc prerogatiua fuerit conseruata adeò; vt soli Romano cederet Constantinopolitanus

Lib. 1. Ep. 4 & Epist. 24 Ind. 9.
Lib. 1. Epist 25.
Lib. 8. Ep. 30.
Epist. 42.
Lib. 11. Epist. 47.
Lib. 8. de Parochijs.
Nou. 131. c. 2.
Nou. 109. 123. c. 3.
Lib. 7. Iur. Græcorum.

Antistes, cuius auctoritas, & praeeminentia impugnata semper à Romanis Pontificibus per tollerantiam demùm eò peruenit, vt & Alexandrinum, & Antiochenum gradu praecederet, & auctoritatem in eos exerceret per ordinationem, ac demùm tres illas Diœceses sibi adrogaret Thracicam, Asianam, & Ponticam, quae omnia Imperatorum potius opera, & constitutionibus, quàm Synodi Chalcedonensis decreto obtinuit; Synodo enim Chalcedonensi ab initio fuit contradictum, & cessit ipsi Anatolius, vt vidimus; sed temporis processu quasi per alluuionem quandam inualuit.

Hęc de origine, & progressu Constantinopolitani Patriarchae inquisitio nos diutiùs, sed necessariò, detinuit, nàm quae in eius sedis fauorem à Canonibus sunt decreta augentur adeò ab infensis Romano Primatui, vt non tam illius decus promouere, quàm huius praeeminentiam deprimere studeant, nouum enim adstruentes Primatum in Constantinopolitana Sede ita duplicem Primatum instituunt, vt iam nullus in Ecclesia remaneat Primatus, eoq; demùm tendit in Constantinopolitanam Sedem zelus, & eius exaltandae studium; nam cum paritate non videtur posse stare praeeminentia vnius sedis supra aliam. Extollitur Constantinopolitani Concilij *Canon Secundus* iam supra allatus, qui dici potest fundamentum Patriarchae Constantinopolitani fastus; sunt eius verba hic repetenda. *Constantinopolitanae Ciuitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum propterea, quod sit noua Roma*. Quanta sit huius Canonis auctoritas, quaeue eius fides iam dictum, quanti fecerit huiusmodi decretum Ecclesia dicat *Diuus Gregorius Magnus*, eius sanctitatis vir, vt ipsius testimonium, etiam si in causa Ecclesię, adeoque sua, sit irrefragabile. De Constantinopolitana Synodo scribit, *Romana autem Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit; in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum*. Eleuat igitur quidquid de Primatu Constantinopolitanae Ecclesiae est decretum; addamus Leonem, Gelasium, Nicolaum Primum, quorum iam supra allegata auctoritas, nec executionem habuisse hunc Canonem consideremus. *Lib. 6. Indic. 15. Ep. 31.*

Sed demus & legitimum, & seruatum canonem; quid demùm euincit? Numquid parem Romanae Constantinopolitanam Sedem? Nihil minus; cedit haec potius illi, & illa omnium prima, & haec post illam proxima, & sub prima aliarum subsequentium prima. Testes profero omni exceptione maiores, & Romanae magnitudini, ac primatui infensissimos Balsamonem, & Ioan: Zonaram ad *Can.* 3. supradictum, vterque ipsum interpretatur, & vterque sententiam commemorat suppresso auctorum nomine, asserentium verba illa Canonis 3. quibus dictum; *Constantinopolitanum Episcopum habere primatus honorem post Romanum Episcopum &c.* accipienda, vt praepositio, *post*, solam temporis praerogatiuam significet non ordinis, aut gradus praeeminentiam. Sunt Zanarae verba *Illa ergo particula*, post, *solum ordinem temporis, non inferiorem honoris conditionem indicare, quidam*

dam existimauere. Quam quidem sententiam suam vigesimo octauo Synodi Chalcedonensis Canone confirmare nituntur. Relatisque eiusdem Canonis verbis, quibus dicitur Constantinopolitanam Ecclesiam æqualibus cum Romana honoribus extollendam; mox subdit. *Aequalibus igitur* (aiunt) *honoribus insignitam Vrbem, eandemque dignitate inferiorem esse, quo pacto intelligi possit.* Reicit hanc sententiam Zonaras in ea verba subdens; *Verùm Iustiniani Nouella centesima trigesima Imperatoriarum constitutionum lib. 5. tit. 3. Canonem aliter explicat. Sanctissimum namque* (ait) *veteris Romæ Papam ex Synodorum placitis totius Ecclesiastici Ordinis principem esse, beatissimum verò Constantinopolitanę Vrbis nouæ Romæ Episcopum Secundum ab Apostolica veteris Romæ Sede locum obtinere, alijs omnibus honore superiorem esse decernimus.* Quo ex loco de subiectionis, non temporis solius ordine, ac de inferiori honoris gradu canonem accipiendum esse facile est intelligere. Cum alioqui præsertim honoris æqualitas in vtraque Sede retineri nullatenus queat; Mox paulo inferius. *Quicumque igitur particulam* (post) *solam temporis seriem, non inferiorem quoque dignitatis gradum significare contendit, is & vim huic loco afferat, & sententiam neque rectam, neque bonam eliciat &c.* Subdit exinde *Can. 36.* Synodi Constantinopolitanæ in trullo, qui renouat priuilegia à secunda Synodo *Can. 3.* & à Chalcedonensi concessa; & demum statuit; *Post antiquæ Romæ thronum secundus Constantinopolitanæ Sedi locus assignetur, post hanc Alexandrina, inde Antiochena, & demùm Hierosolymitana numeretur.* Hucusque ex Canone Zonaras, qui mox concludit; *Vbi de inferiori dignitatis ordine præpositionem intelligendam esse ambigi non potest.* Hucusque Zonaras, cui consonanter & ex ijsdem auctoritatibus Balsamo præpositionem illam *post* interpretatur, & Constantinopolitanum Patriarcham nedum tempore, sed gradu, dignitate, honore secundum ingenuè fatetur; immò ad Nomocanonem Photij, expendens decretum donationis Constantini hæc habet verba. *Quia autem secunda Synodus dedit Archiepiscopo Constantinopolitano omnia Papæ Romani priuilegia conati sunt nonnulli Patriarchæ eadem sibi priuilegia arrogare; sed eis non rectè cessit;* quasi scilicet supra gradum suum se attollere audacter nimis contenderent; quæ quidem testimonia hominum Constantinopolitani Præsulis dignitati impensissimè addictorum planè conuincentia sunt, eosque retundunt, qui ex Canonibus prædictis (quos certè nouerunt Balsamo, & Zonaras) omnimodam paritatem inter Pontificem Romanum, & Constantinopolitanum Præsulem adstruunt; Canonum autem Concilij Constantinopolitani, & Chalcedonensis vim & historiam supra iam retulimus, ex qua, quid demùm sit adeptus Constantinopolitanus, iam satis constat. Itaque claudemus Constantinopolitanæ Ecclesiæ primatum supra alias Patriarchales cæpisse quidem à Constantinopolitana, & Chalcedonensi Synodo, sed minùs efficaciter; subinde promotum

Tit. 8. de Parochys.

Impe-

Imperatorum studijs, ac constitutionibus, iuuante consuetudine, ac demùm annuente Romanæ Sedis indulgentia obuenisse, prout latè prosequitur *Gelas. Epist. 2. ad Dardan.* His de Constantinopolitano Patriarcha traditis ad Hierosolymitanum accedamus; de quo non erit adeò impensè nobis agendum, quando eius prærogatiua infensos Romanæ magnitudini nunquam concitauit.

De Hierosolymitano.

13 QVæ igitur ratio Constantinopolitanam Sedem ad Patriarchatus præeminentiam extulit, eadem proportione facta, & Hirosolymitanam ad eundem Patriarchatus gradum exaltauit, sanctitas scilicet Ciuitatis, & veneranda rerum in ea gestarum memoria; neque enim abire inhonorata debuit Vrbs illa, quæ Ecclesiæ prima præbuit cum fundamentis cunabula, vbi primùm prædicatum Dei verbum, & principalia redemptionis nostræ celebrata mysteria, vbi fides Catholica sua habuit primordia, quam Christus Dominus præsentia sua, vita, & morte decorauit, & santificauit, quam Apostolicus Senatus illustrauit, & quam demùm Patres Concilij Constantinopolitani primi apud *Theodoretum* in libello Synodico aliarum omnium Ecclesiarum Matrem appellant. Hæc enim Vrbs tot augusta nominibus, vtcumque nec Metropolitica dignitate decorata esset, sed Cæsareæ Palestinæ tanquàm Metropoli suæ subiecta, attamen magno semper in honore, ac veneratione fuit à Sanctis Patribus per

Lib. 5. c. 9. in fin.

omnes titulos summis laudum præconijs exaltata, demùm decretum etiam Nicenæ magnæ Synodi promeruit *Can. 7. Quoniam obtinuit consuetudo, & antiqua traditio, vt qui est in Aelia Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam Metropoli propria dignitate seruata.* Ad quem Canonem pauca notauit Zonar. sed quę respectum ad Vrbis excellentiam confirment, & cur dicta Aelia indicat, ab Aelio idest Hadriano Cæsare. De Hierosolymitana Ecclesia loquitur & Balsam. ad *Can. 6. Nicen.* qui vterque id sensisse videtur; per Canonem septimum Nicenum Hierosolymitanam Sedem ad Patriarchatus gradum fuisse euectam, quod tamen falsum Canon ipse euincit, cum nulla prouinciarum ipsi facta sit assignatio, sine qua Exarchatus non consistat, nec desinat ipsa esse sub ditione Metropolitanæ Cæsariensis. Vnde duo hæc conciliat Canon Nicenus, quæ inuicem videbantur pugnare, Nempe, quod maximè honoretur Aeliensis Episcopus, & simul sit Cęsariensi subiectus; sed stare hæc duo possunt sine implicantia vlla, & quod honor præcipuus deferatur Aeliensi Antistiti, & quod remaneat Metropolis Cæsariensis Ecclesia. Quidquid, hunc Canonem interpretando voluerit Balsamo, qui subtractam asseruit Aeliensem Ecclesiam à Cæsariensi throno, qui nihilominus suum ius Metropolitanum retineat quoad alias Ecclesias sibi subiectas dempta Aeliensi. Nam Nicenus Canon nec verbum quidem de huiusmodi exemptione, aut subtractione Aeliensis à subiectione Cæsariensis, & eò minùs, quò Nicenę Synodi fuit illa intentio, vt omnibus Ecclesijs sua

iura,

iura, & priuilegia seruaret, malè autem seruasset, si ipse Canon Palæstinam Cæsaream Ecclesiæ Aeliensi priuasset. Non igitur decreta honoris prærogatiua exemptionem à suo Metropolitano inducit. Zonaras aliter Canonem exposuit, vt scilicet velit Synodus, Hierosolymam in sua ditione tanquam Metropolim honorandam ità, vt ipsa Metropolis sit, non Cæsarea, qualem existimasse alios commemorat; sed hæc expositio admitti non potest, quæ superuacaneum reddit canonem, cum enim Canone sexto præcedenti statutum sit seruari vnicuique Ecclesiæ sua priuilegia, ad quid singularem canonem in fauorem Aeliensis Ecclesiæ statuere? canonis igitur vera intentio est, vt honoretur Episcopus Aeliensis singulari honore, sed & insuper Metropolitano Cæsareæ Palestinæ suum ius conseruetur, cui nihilòminus Aeliensis subiectionem, & obedientiam tanquam suffraganeus debeat; Vnde hanc prærogatiuam, honoris, consequentiam appellat canon, honorariam scilicet quamdam dotem, sed sine re, & iurisdictione maiori, siue auctoritatis præeminentia; non igitur patriarchatus gradum per hunc Nicenum canonem adepta est Hierosolymitana Ecclesia;

Verùm hunc canonis intellectum confirmat celebris *Diui Hieronymi* locus; vrget ibi Ioannem Hierosolymitanum in ea verba. *Tu qui regulas quæris Ecclesiasticas, & Niceni Concilij Canonibus vteris, & alienos Clericos, & cum suis Episcopis commorantes tibi niteris vsurpare, responde mihi, ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? nì fallor hoc ibi decernitur, vt Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius orientis Antiochia; Aut igitur ad Cæsariensem Episcopum referre debueras, cui spreta communione tua, communicare nos noueras, aut si procul expetendum iudicium, erant Antiochiam potiùs littræ dirigendæ. Sed noui cur Cæsaream, cur Antiochiam nolueris mittere; Sciebas quid fugeres, quid vitares; maluisti occupatis auribus molestiam facere, quàm debitum Metropolitano tuo honorem reddere.* Quæ sanè auctoritas apertissimè indicat scribente Hieronymo post Nicenum Concilium nondum Hierosolymitanum Antistitem fuisse adeptum Metropolitani, siue Exarchatus gradum, sed Metropolitani Cæsareæ adhuc suffraganeum extitisse. Donec Hierosolymitani Episcopi paulatim ambitum dilatare cæperunt, & præsertim Iuuenalis, qui alijs prædecessoribus suis longè magis sollicitus demùm rescriptis Principum Phœnicias, Arabiam, & tres Palestinas ab Antiocheno Patriarchatu discerptas obtinuit. Ea separatione ingens commotio facta est in ijs Prouincijs, quę demum transactione inter Maximum Antiochenum, & Iuuenalem Hierosolymitanum sedata est, quæ proposita, & approbata est in *Concilio Chalcedonensi*, ea lege, vt Phenicię, & Arabia Antiochenæ Ecclesiæ restituerentur, at Hierosolymitanus tres Palęstinas retineret, eamque transactionem, & legati Apostolicæ Sedis, & Iudices Imperatoris nomine approbarunt; Non obstitere huic erectioni in Patriarchatum legati Apostolicæ Sedis, sed potiùs acquie-

Epist. ad Pammachiũ num. 3.

Act. 7.

acquieuere ratione non vna. Primò enim cum Hierosolymitana Ecclesia singularis cultus, & reuerentiæ semper extitisset propter sanctitatem, & excellentiam Mysteriorum in ea gestorum irreligiosum, & indecens videbatur maiori eius exaltationi contradicere. Secundò; quia cum exaltatio huius Ecclesiæ Sanctitatis prærogatiua solummodò niteretur, timendum non erat, ne turbæ in Ecclesia, & æmulationes superuenirent, quales ab exaltatione Constantinopolitanæ prudenter præuidebantur, quæ prouectionem suam ab Vrbis splendore, Imperio, Senatu deducebat, & sub nouæ Romę nomine æmulam antiquæ iam se profitebatur, exitus suspicionem comprobauit, nam eam exaltationem hæreses, & schismata in Oriente semper sunt consecuta. Tertiò, quia demùm hæc Hierosolymitanæ Sedis prouectio consentiente Maximo Antiocheno Patriarca fiebat, qui in tribus Palęstinis vices suas delegare, cui libuisset, Episcopo poterat, cum ex opposito Constantinopolitana augeri cæpisset ex voluntaria subiectione Metropolitanorum, qui à proprijs Primatibus se subtrahentes desciscendo ipsi Constantinopolitano se dediderant, quod nusquam ex proprio arbitrio licuit, & ideò acquiescere Hierosolymitanæ exaltationi debuerunt legati Apostolici, at Constantinopolitanæ non item, qui nec violari directè Nicenos Canones videbant; Canon enim Nicænus honorem decernens Hierosolymitano Episcopo potestatem Cæsariensis Metropolitanæ non tam saluam imposterùm statuebat, quàm admonebat, illam eo canone non sublatam, & ideò diuisa Palæstina Prouincia post Concilium Nicenum in tres prouincias, eaque diuisione per consuetudinem confirmata, cum vna ex tribus Palæstinis, concedente Antiocheno Patriarcha, Hierosolymitanus obtinuisset, ac subinde de Exarchica potestate nata controuersia inter Antiochenum, & Hierosolymitanum remittente iure suo Antiocheno, potuerunt legati ipsi Apostolicæ Sedis dissimulare violationem Niceni Canonis, rebus in alio statu existentibus, quàm tunc essent, cum Nicenus Canon conditus fuerat, quod quidem in Constantinopolitano dissimili omninò causa præstare non licuit.

An autem S. Leo Magnus huic Chalcedonensi Decreto acquieuerit, asserere non possumus, quando nulla eius approbatio expressa appareat; cum immò constet eundem scribentem ad Maximum Antiochenum laudasse *Cyrillum Alexandrinum*, Epist. 62. qui erectioni Ecclesię Hierosolymitanæ in patriarchalem restiterat, & iam constet, quantum sit protestatus pro inuiolabili obseruantia Nicenorum Canonum, pro qua Chalcedonensem Synodum noluit approbare nisi in ijs, quæ fidem respicientia decreuerat; vnde erectionem Hierosolymitani Patriarchæ sibi displicuisse constat, quamuis apertè eam non impugnauerit. Itaque approbante Marciano Cæsare, firmante solemnia pacta Orientali Synodo, ac sponte cedente Antiocheno Patriarcha in tribus Prouincijs Palęstinæ agnitus fuit exarchus, & Patriarcha Hierosolymitanus Episcopus non contradicente, si non plaudente, Romano Pontifice, & ex tribus Palęstinis vna ei constituta

dię-

diœcesis; sed ita, vt Palęstinam salutarem regeret tanquam Metropolita; hunc ipsum Patriarchatum agnouit Sanctus Gregorius, & procedente tempore post Concilium Chalcedonense alias aliquas prouincias Patriarchatui Hierosolymitano obuenisse in quinta Synodo generali, qua demùm Ecclesiæ Hierosolymitanæ Patriarchatus prærogatiua pacificè fuit stabilita, vt notat *Baronius*. Quinque igitur Patriarchas nouit Ecclesia, dicere possumus naturales, & proprios, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum; duos adsciticios, vel irreptitios, vt vocat Morinus, Constantinopolitanum; & Hierosolymitanum, de quo numero iam supra à nobis dictum; de alijs, qui Patriarchę gaudent titulo, vt Aquileiensi, Gradensi, seù Veneto, agendum non ducimus, cum ij extrà lineam Patriarcharum, de quibus hucusque actum, præsideant, aliamque rationem in Ecclesiastica politia gerant; superest igitur, vt ad eorum prærogatiuas, & partes in Ecclesia reddendas accedamus.

Anno. 451. Tom. 5. An.

De Patriarcharum Prærogatiuis.

12 IAm supra obseruatum Patriarchas præcipuè ad Ecclesiæ vnitatem seruandam institutos, cuius vnitatis cum sit fons, & principium Apostolica Sedes, nè dilatatione, & ampliatione Ecclesiæ vnitas læderetur, post caput principale, subordinata alia duo capita fuere adijcienda, vt mutua communione adiecta subordinationi vnitas ipsa inconcussa subsisteret, & caput visibile supremum per duo hæc addita membra in totum corpus influeret; Indeque mos ille in Ecclesia peruetustus, vt electi Patriarchæ sibi inuicem communicatorias literas mitterent, quem morem testatur *Diuus Gregorius Magnus* ad Secundinum inclusum sic scribens; *Hinc est etiam, quod quoties in quatuor præcipuis sedibus Antistites ordinantur, Synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se Sanctam Chalcedonensem Synodum cum alijs generalibus Synodis custodire fateantur*. Idipsum executus, & ipse *Gregorius*, cum primùm ad Pontificatus culmen est euectus mittens epistolam ad quattuor Patriarchas Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum à paribus, & ab alijs aliquandò omissum passim in epistolis suis repræhendens. Plura in Patriarchis spectare licebat priuilegia; nam ipsorum nomina in sacris diptycis referebantur, vt in sacris Liturgijs legerentur. Erant autem diptyca tabulæ, in quibus nomina Episcoporum, qui in Ecclesiastica communione decessissent, describebantur, erant & aliæ in quibus viuorum etiam nomina regerebantur, de quo ritu pluriès *Baronius*, sed præsertim vbi de restituto per Innocentium summ. Pontif. nomine Ioannis Chrysostomi in sacras tabulas, à quibus tabulis eius aduersarij illud eraserant, firmatque celebris illa controuersia, quæ tantòpere Orientalem Ecclesiam exagitauit, de nominibus Acacij, & aliorum, qui in Constantinopolitana Sede successerant, delendis, aut retinendis, de qua *Gelasius* & *Baronius*. Patriarchatus insignia vbique ante se deferri iubere poterant Patriarchæ, quod priuilegium firmauit Lateranense Concilium,

Lib. 7. Ind. 2. Ep. 53.

Lib. 1. Ep. 24.

Anno 407. tom. 5. Annal.

Epist. 13. Anno 519. Tom. 7.

lium, ſed cum moderamine, vt ſaluus ſemper emineret Romani Pontificis primatus, vt legimus *in cap. Antiqua. de priuil.* Ornamenta etiam, & inſignia Patriarcharum propria, & planè curioſa, ipſorumque habitum verè ſingularem apud Græcos exhibet acuratè *Balſamo* & ſingula aperit eorum myſteria; memorat enim coronatas lampades, epimanica, collaria, tunicas fluuios habentes, genuum amictum, ſaccum, humeralia, penulas crucibus inſignitas, & triangulis, & tunicam plenam figuris literam *Gamma* repræſentantibus; nos verò aliqua potiora promemus, cum agemus de pallio, tunc enim, & de ſacco Patriarchali, de quo & *Hugon*; fuit etiam ſingularis illa Patriarcharum prærogatiua, vt aſſeſſores, & conſiliarij eſſent Romani Pontificis, ac in ferendo onere Eccleſiaſtici regiminis adiutores; & demùm in ijs, quæ reſpiciunt Eccleſiæ vnitatem cooperatores. Agnouit Diuus Gregorius celebri illa Epiſtola ſua, qua, cum eſſet ad Summum Pontificatum euectus, exaltationem quattuor Patriarchis à paribus nunciat, mutuumq; in regimine ſubſidium explicat ſcribens. *Dum enim nos vobis per orationis opem coniungimus, quaſi ambulantes per lubricum, viciſſim nobis manum tenemus, fitque ex magna prouiſione charitatis, vt eò ſingulorum robuſtius charitas perſigatur, quò in alterum alter innititur &c.* Eſt quidem omnium Eccleſiæ Præſulum in ipſius rectum regimen conſpirare, at Patriarcharum maximè, per quos tota Eccleſiæ moles capiti ſuo nectitur, ac vitales recipit influxus. Hincque factum, vt noua aliqua hæreſi erumpente Patriarcharum maximè fuerit denunciare, vt emergenti malo facile eſſet occurrere; ſic factum teſtatur *Euſebius* in hæreſi Nouatiani, *Pauli Samoſateni*, Arij, Neſtorij, & aliorum. Illud etiam præcæteris obtinent patriarchæ, vt plenitudinis Apoſtolicæ poteſtatis ſint maximè participes, cum enim principes inter omnes Epiſcopos ſint conſtituti, magis etiam eminenter Apoſtolicam auctoritatem participant ab ipſo fonte Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ poteſtatis, Petro ſcilicet, in adeò ſublimi Eccleſiæ gradu collocati. Vnde Apoſtolicam fieri Eccleſiam cum in Patriarchalem erigitur, dixit Sanctus Leo ſcribens ad Marcianum Auguſtum de Anatolio, qui attollere Conſtantinopolitanam Sedem ad Patriarchatum nitebatur. *Non dedignetur (inquit) Regiam Ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem*, hoc eſt Patriarchalem; nec abſimiliter *Iſidorus*. *Patriarcha Græca lingua Summus Pater interpretatur, quia primum, ideſt Apoſtolicum retinet locum, & ideò quia ſummo honore fungitur tali nomine cenſetur.*

Sunt enim primi, & maximè participes vniuerſalis illius poteſtatis, quæ Apoſtolis competijt, vnde, & in Patriarchis Apoſtolica auctoritas præcæteris emicat; nam Patriarchæ ampliſſimas habent diœceſes, ac partitum inter ſe Orbem adminiſtrant ſicut Apoſtoli Prouincias, ac Mundi partes ſorte inuicem diſtribuerunt; indeque factum, vt ipſi pallium, per quod denotatur plenitudo Pontificalis Officij, Metropolitis ſibi ſubditis tradere poſſint, vt apertiſſimè, ex *Concil. Lateran.* ſtatuit *Innoc. III. in Cap.* Anti-

In Medit. De Patriarch. lib. 7. tur. Græcor.

Hugon. in tract. de Patriarch. præſt. tom. 13. tract. p. 2.

Lib. 1. Epiſt. 24. ver. fin.

Lib. 7. C. 9. Lib. 7. C. 11.

Lib. 7. Orig. c. de Clericis.

Euſeb. lib. 2. cap. 1.

Antiqua. De priuileg. & ab hac potestatis patriarchalis amplitudine factum, vt ad ipsos pertineat barbaris gentibus consulere, vt ipsis prædicetur vera fides, & Ecclesiæ instituantur cum Episcoporum ordinatione; quamuis enim certa Diœcesis vnicuique Patriarchæ sit assignata, (Diœcesim hic sumimus lato modo) non tamen scrupulosè adeò est eius angustata potestas, quin extendere, quò vocat Ecclesiæ bonum, valeat, sicut Apostolorum, quamuis forte certa cuique regio obtigisset, non fuit tamen arctata facultas, quin vltra regionis fines eam ampliarent; si quæ igitur essent prouinciæ, aut ab alijs omissæ, aut non adeò excultæ has sibi, & Christo procurare, & lucrari potuit iure suo Patriarcha; quod ipsum, & Mileuitano Concilio Cautum erat, idemque translatum in *Can.* 120. Carthaginensis Concilii ad quemlibet Episcopum, & multò magis obtinet in patriarcha. Vnde non desunt exempla Patriarchæ Alexandrini ordinantis Episcopos, ac ad barbaras gentes mittentis apud *Eusebium*, *Socratem*, *Theodoretum*, *Sozomenum*, quamuis hæc facultas sit demùm reseruata soli Summo Pontifici prouidendi de Ecclesijs Chatedralibus, & Clero, *ex Clem. In plerisque. De elect.*

Lib.6.C.13 Lib.1.C.15 Lib.1.C.13 Lib.2.C.13

Claudet tandem patriarchales prærogatiuas illa, quæ quidem non solis Patriarchis competijt, at ipsorum primùm fuit, subinde & aliorum, & Patriarcharum veluti ordinaria, aliorum verò Primatum, vel Episcoporum extraordinaria, eaq; est Ius Communionis; vbi enim hæresis aliqua per Ecclesiam esset valde diffusa, sicut fuit Ariana, Episcopi fideles anxij admodum erant, quibus deberent communicare, quibusue communicationem subtrahere, cumque debitum examen, ac debita approbatio, vel improbatio à singulis Episcopis Catholicis fieri nec posset, nec deberet, certa regula omninò constituenda visa est, qua tota communicationis ratio dirigeretur. Præstitit hoc Constantinopolitana Synodus generalis secunda, qua damnatis hæresibus Arij iterum, & Macedonij disciplina etiam Ecclesiastica iuxta Niceni Concilij præscriptum circa Ecclesiarum administrationem sancita est; verùm quià valdè interesat, vt hæretici Episcopi dignoscerentur, ideò Theodosius, cuius auspicijs Synodus conuocata fuerat, eadem ità sentiente, constitutionem edidit, qua Episcopi assignantur pro regula communionis, vt qui ijs communicarent verè Catholici, & ab omni hæresis suspicione immunes haberentur; constitutio habetur, & est *l. 3. Cod. Theod. de fide Cathol.* vbi *Gothofred.*, quà constitutione notabile illud est, quod Alexandrino Patriarchæ Timotheo, & Optimo Antiocheno intra suam Diœcesim ius communionis præscribitur; at Nectario Constantinopolitano simpliciter, & nullis præfixis finibus regionis, vel Diœcesis; ait enim *Tex*; *quos constabit communione Nectarij Episcopi Constantinopolitanæ Ecclesiæ*; idque non sine re, eaque considerabili factum; nam cum Ecclesia, & Sedes Romana non solùm propter inconcussam, & illibatam eius fidem, sed propter Petri successionem, & totius Ecclesiæ primatum esset omnium magistra, Pontifex etiam Romanus habitus

Lib. 16. Tom.6.Cod Theod.pag. 10.

tus semper fuit suprema regula, dux, & arbiter Ecclesiasticę communionis, vt cui ipse suam communionem, vel impartiretur, vel negaret, ceterę etiam Ecclesiæ exemplum sectantes darent, vel negarent; sic enim Theodorus Studita scribens Michaeli Imperatori, qui edicto suo exulantes fideles iussu Leonis Iconomachi eius prædecessoris reuocauerat, & ad vnionem amoto schismate excitans apud *Baronium*. *Sed nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis, vt reconciliemus nos Christo auspice, & probante pacato Imperio tuo; vniamur nos vertici Ecclesiarum Dei Romæ, & per eam tribus Patriarchis*, quæ verba contorquere nititur Neotericus nescio quis asserens quinque esse vertices in Ecclesia, & primum in ordine Romanum, cum quo communione inita à Constantinopolitano, & reliqui tres Patriarchę iungentur, quasi in vno ædificio plures dentur vertices solo ordine distincti; vnius ædificij vnus Vertex, & vnius Ecclesiæ Vertex vnus, Romanus Pontifex, qui Vertex, non quatenus Patriarcha, sed quatenus totius Ecclesiæ princeps supremus; cum igitur *Can.* 2. Constantinopolitanæ Synodi Constantinopolitana Ecclesia adepta esset paria priuilegia cum Romana, quia & ipsa noua Roma, Theodosius parem, & in eo voluit, vt sicut Romanus Pontifex ius communionis indefinitum habet, & Constantinopolitanus illimitatè haberet per totum Orientem, & non per Thraciam solam, quamuis hęc prouincia ipsi ex assignatione competeret; tanti fuit Constantinopolitanum Episcopum ad secundum Patriarcharum gradum euectum, & factum Romano proximum, licèt non equalem! tantaque in hoc communionis iure Pontificis Romani auctoritas! qua de causa factum, vt quolibet æuo hæretici communionem cum Ecclesia Romana affectauerint, & suffurari, vel dolo, studuerint, vt inde Catholici possent haberi, sic enim de Montano obseruauit signatè *Baronius*, & de alijs alibi successiuè, & passim. Patriarcharum itaque propria hæc communionis prærogatiua, eaque ordinaria, sed in Romano Pontifice amplissima, nullisque arctata limitibus; post insigniores patriarchatus prærogatiuas iam nunc ad munera, & tanti gradus in Ecclesia partes accedamus.

Tom. 9. Anno 821.

Tom. 2. Annal. Anno 173.

Tribus præcipuè capitibus Patriarchalis auctoritas continebatur, & per tres singulares actus explicabatur; primò enim Episcopos suæ Diœcesis, ac prouinciarum sibi subiectarum, ac præsertim Metropolitanos, aut ordinabant, aut confirmabant, & Patriarcha inconsulto in Episcoporum ordinationibus nihil agebatur. Secundò Synodos, & Concilia cogebant, tractaturi de Patriarchatus, aut prouinciæ, vel paræciæ alicuius negotijs, ac deliberaturi. Ter iò Metropolitarum quisquam prisco illo æuo in alium Metropolitam ius, aut potestatem non obtinebat; Patriarcharum hoc maximè erat, & post Romanum Pontificem, soli potiebantur Alexandinus, Antiochenus; de vtroque capite pauca ad robur, & confirmationem adnectamus. A tempore Apostolorum quæ viguit subinde Ecclesiastica disciplina circa Metropolitarum, & Episcoporum ordinationes traditione ab ipsis Apo-

stolis deducta, & consuetudine constitit, quæ legibus firmari pro necessitatis varia exigentia, & roborari cœpit in Concilio Niceno *Canon. 6.* quo totus Orbis in tres partes distributus singulis Patriarchis assignatus fuit, & sua cuique portio tributa, Romano, Alexandrino, Antiocheno, & sui cuique limites statuti. Antiqui mores, vt seruarentur admonitum, & nè quid nouum contra tentaretur, vetitum; consultum etiam Metropolitanorum iuribus, & ordinationibus Episcoporum, & demùm firmata Patriarcharum in suis Patriarchatibus potestas in Episcopos scilicet Patriarchatus sui, cuius quidem potestatis intuitu illud precipuè seruabatur, vt in Metropolitarum ordinationibus Patriarcha Prouinciæ consuleretur, idque Niceno Canone stabilitum, qui omnium exemplar ponit Romanum Episcopum; confirmat Innocentius Primus Summus Pontifex scribens Alexandro Antiocheno Episcopo, & improbans Cypriorum prauam consuetudinem. *Quos non tenuisse* (ait) *Nicenos Canones in ordinandis sibi Episcopis, & vsque adhuc habere præsumptum, vt suo arbitratu ordinent neminem consulentes.* Hoc ius facilè in vnoquoque Patriarcha ostendere possumus; & primò quò ad Antiochenum testatur Innocentius in principio dictæ Epistolæ suæ ad Alexandrum, *Itaque arbitramur (frater charissime), vt sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & cæteros non sine permissu, conscientiaque tua sinas Episcopos procreari; in quibus hunc modum rectè seruabis, vt longè positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu: vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas peruenire; quorum enim te maxima expectat cura præcipuè tuum debent mereri iudicium.* Hactenus Innocentius, qui quod competebat Antiocheno Patriarchæ ex Canone Nicæno ius, temporis lapsu subuersum restituit; vnde epistolam suam exorditur ab amplitudine Antiochenæ Sedis, quæ non alicui certæ prouinciæ præsit, sed toti diœcesi, indeque consequenter deducit ius ijdem sedi competens omnes Episcopos suæ Diœcesis ordinandi. Habuit quidem ius hoc ex Patriarchali præeminentia competens, quamuis negari non possit, quin consueuerint etiam ordinari Episcopi ex prouincijs ipsi subiectis sine eius consensu, & auctoritate, prout exempla prostant apud *Eusebium*, *Theodoretum*; & de Episcopis Cypri innuit Innocentius dicta Epistola sua, quæ exempla, ne nimis abundet scriptura, omittimus, innuisse contenti.

Ep. 10. tom. 1. Ep. Decr. Sum. Pont.

Hist. lib. 6. c. 9. Hist. lib. 4. c. 15.

Haud absimilitèr, & de Alexandrino Patriarcha obseruatum circa nedum Metropolitanorum, sed & Episoporum ordinationem in omnibus sui Patriarchatus Prouincijs testatur Epistola Nicæni Concilij ad Patriarcham Alexandrinum, & sibi subiectos Episcopos, quam regerit *Theodoretus*, & ex eo *Cassiodorus*. Studebat Concilium sedare, & extinguere schisma inter Meletium, & Alexandrum Patriarcham Alexandrinum, & pro bono pacis statuit, vt ordinati à Meletio remanerent quidem Episcopi, sed nomine tantùm tenùs in propria Ciuitate

Lib. 1. Hist. c. 9. Tripart. lib. 2. c. 12.

uitate

uitate, & sine auctoritate vlla eligendi, aut aliud quidpiam agendi absque consensu Alexandrini Patriarchæ, mox subdit. *Si quem verò contigerit requiescere in Ecclesia, tunc prouehi in honorem defuncti eos, qui nuper assumpti sunt, solummodò si videantur digni, & populus eos elegerit, condecernente simul, & designante maximæ Alexandriæ Ciuitatis Episcopo*; quæ postrema verba requisitum ordinarium indicant consensum scilicet Alexandrini Episcopi. Synesius Ptolemaidis Episcopus scribens Theophilo Alexandrino confirmat; Pentapolitana regio suberat Vrbi Ptolemaidis, & Episcopo eius tanquam Metropolitæ; vnde subditorum sibi Episcoporum curam gerens super eorum moribus, & ordinationum defectibus excubabat; repræhendit igitur Philonis Episcopi Cyrenes audaciam, qui Siderium Episcopum Palebiscæ ordinauerat inconsulto Alexandrino Episcopo, & Patriarcha, & contra fas ordinatum asserit; *Si nec Alexandriæ constitutus est, nec à tribus Episcopis hic* (nempè Palebyscæ) *si nec signum designaturus illhinc* (hoc est Alexandriæ) *datum erat*. Idem Synesius ad eundem Alexandrinum Theophilum de Olbitarum Episcopo scribens à se cum tribus alijs Episcopis, Clero, & populo illius loci Olbitarum electo, subdit nihil aliud superesse nisi vt ipse *Theophilus* consecrationem compleat; *Vnde* (ait) *adhuc superest, quod præcipuum est, scilicet, sacra tua manus, hoc vno Olbiatis opus est, mihi verò precibus*.

Ep.67.tom. 5. Biblioth. p. 1.

Epist.76.ad Theophil.

Certè D. Athanas. ad Dracontium, & alibi frequentissimè testatur se in subiectis Prouincijs Episcopos ordinasse. Hoc ipsum Patriarchicum ordinationum ius in Romano Patriarcha obtinuisse non est ambigendum à duobus primis Patriarchis argumento ducto; si enim solùm in Prouincia Romana, quo iure plures Metropolitani gaudebant, sed etiam in finitimis prouincijs hoc ius obtinuit, de Prouincijs enim Vrbicarijs, quæ scilicet à Vicario Vrbis regebantur, nemo ambigit, quæ quidem per Campaniam, Brutios, Apuliam, Calabriam, vsque ad Siciliam extendebantur; vt enim Diœcesis Orientalis à Nicena Synodo Antiocheno Patriarchæ fuit applicata, vnde & ius ordinandi tanqnam adnexum, & consequens aduenit, ita, & Diœcesim Vrbicariam ab eadem Nicæna Synodo Episcopo Vrbis addictam consentaneum omnino est, vnde etiam ordinationum ius per decem illas prouincias fuerit adnexum, quas quidem Metropolitanis caruisse admittendum nullo modo est, & ex ijs aliquos fuisse propiores, alios verò remotiores, propiores fuisse ordinatos à Romano Episcopo certum est, remotiores non sine eius auctoritate, & consensu; de primis prostant exempla in Rauennatensi, Capuano, Regitano, Syracusano, & quorum Clerici immediatè à Romana Sede iudicabantur, & ad Romana Concilia vocabantur, testis *Io: Diaconus* in Sancti Gregorij Vita, & idem *Sanctus Gregorius* ad Nob. Syracusanos rescribens, qui ex Presbyteris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Bonifacium Regij, Festum Capuæ, Maximianum Syracusis per se ipsum ordinauit; sic & Nicolaus Primus ad Michaelem Imperatorem

Lib.3 c. 7. Lib.4.c.47.

rem

rem de Episcopo Syracusano à Sede Apostolica consecrando; quamuis postea potentia Græcorum Imperatorum sit factum, vt Siciliæ Metropolitani fuerint ordinati à Patriarcha Constantinopolitano, vsquequò demùm Sicilia à Northmanis, & Francis fuerit Romano Pontifici restituta.

Remotiores verò Metropolitani Romano Primatui subiecti, quamuis immediatè à Romano Pontifice non ordinarentur, eius tamen auctoritate, & consensu solummodò ordinabantur; sic enim *Diuus Ambrosius* ordinationem suam à Damaso Pontifice fuisse confirmatam testatur, dum ait, *eam Occidentales iudicio, Orientales exemplo probasse*. Occidentales non singulos accipias, sed omnes in Capite suo Romano scilicet Pontifice, à quo quidquid probatum, id etiam ab omnibus ipsi subiectis laudatum meritò dixeris; conformitèr, & *Diuus Gregorius*, mortuo Laurentio Mediolanensi, statim literas dedit Presbyteris, Diaconibus, & Clero Mediolanensi de Successore eligendo, & Ioannem Subdiaconum misit, qui electioni præesset, à quo certior factus de secuta Constantij electione. Statim Sanctissimus Pontifex rescribit, *Quantò Apostolica Sedes Deo auctore cunctis prælata constat Ecclesijs, tantò inter multiplices curas, & illa nos valde sollicitat vbi ad consecrandum Antistitem nostrum expectatur arbitrium*. Et quia plerique Mediolanensium ob barbaricam feritatem Ianuam se receperant, iubet, vt idem Ioannes eò proficiscatur singulorum voluntates scrutetur, & vbi omnium concordes voluntates, & consensum comperit, *tunc eum* (Constantium scilicet) *à proprijs Episcopis sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ auctoritatis assensu solatiante, & auxiliante Domino facias consecrari, quatenus huiusmodi seruata consuetudine, & Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, & à se concessa alijs iura non minuat*.

Epist. 82. ad Vercellens.

Lib. 2. Epist. 29. Ind. 11. Ep. 30. seq. ad Ioan.

Eorum autem Metropolitarum, quos Romanus Episcopus consecrare ipse solebat, suffraganeos ordinandos ad se venire iubebat, idque præsertim de ijs accipiendum, qui intra fines Vrbicariæ Diœcesis continebantur, & qui erant intra limites Patriarchalis Synodi ordinariæ Episcopi Romani; nam conuertebantur duo hæc, idemque significabant ad Synodum alicuius Patriarchæ pertinere, & ad eius ordinationem spectare; aliàs enim, quamuis Concilium Nicænum componat tanquam cum exemplari suo Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum cum Romano, attamen adhuc differentia supererat, quod Romanus præter Patriarchatum ordinarium, qui constabat ex decem Metropolitanis in Vrbicaria Diœcesi, toti etiam præerat Occidenti, sub quo vltra sexaginta erant Metropolitani maioris partis Italiæ à Romano Pontifice ordinabantur in ipsa Vrbe, vel postquam Comprouincialium Episcoporum consensu fuisset confirmata electio, eiusdem licentia, & assensu Metropolitani ordinationem peragebant; at singulariter Diœcesis Vrbicaria iam obtinebat, vt Episcopi alijs Metropolitanis subiecti ab ipso Romano Episcopo ordinarentur, & in hoc similitudo viget Alexandrini Episcopi

eum Romano, quam inducit Canon. VI. Nicęnus, nam & Alexandrinus (vt supra vidimus) ex subiectis sibi prouincijs aliquos immediatè ordinabat, aliquibus verò in remotioribus assensum, & facultatem præbebat; aduocari huc possent in confirmationem *Sancti Leonis Magni*, *& Sancti Gregorij* attestationes luculentissimæ ex varijs ipsorum Epistolis, quæ verissimam praxim huius Ecclesiæ ritus exhibeant, at notasse sat fuerit, ne nimis excrescat auctoritatum congeries. Dubitari posset de Italica Diœcesi speciali, cuius Metropolis est Mediolanum, & de Aquileiensi, quem ordinatum à Mediolanensi certum est, & Mediolanensem ab Aquileiensi; Aquileiensis à Mediolanensi, quia erat caput Diœcesis Italiæ, vnde ipsi erat subiectus; Mediolaennsis verò ab Aquileiensi, quia hic erat primus inter Metropolitanos Diœcesis Italicæ; sed dispensatum cum ipsis, nè ordinarentur à Summo Pontifice asserit *Pelag. Summ. Pontif. in C. Pudenda* 24. *q.* 1. ob difficultatem, & longinquitatem itineris At verò de assensu præstito à Summo Pontifice non est ambigendum ex auctoritate Sancti Gregorij iam supra relata, præsertim cum Pelagius ibidem detestetur acerrimè ordinationem in schismate, & diuisione ab Apostolica Sede factam; hæc satis de Romano Patriarcha. Pauca subdamus ad idem intentum de duobus alijs adscititijs Constantinopolitano, & Hierosolymitano.

S. Leo. Ep. 4 ad Ep. Sicil. c. 1: S. Greg. lib. 6. epist. 38. ind. 15. Lib. 7. Ep: 25. 51. 52. Ind. 2. Lib. 6. Ep. 39. Ind. 15. Lib. 7. Ep. 99. Ind. 2. Lib. 2. Ep. 19. Ind. 10

Constantinopolitanum Patriarcham ius habuisse ordinandi Metropolitanos trium Diœcesium, nempe Thraciæ, Ponticæ, & Asianæ iam supra fundatum ex Concilij Chalcedonensis *Canon.* 28. sed ita, vt Episcopi Metropolitanis subiecti ab ijsdem Metropolitanis ordinarentur; cæterum, si quæ barbarę regiones extarent circa Constantinopolim, ipsis idem Patriarcha Episcopos constitueret; & discriminis ratio euidens est, quia reseruatur quidem ordinatio Constantinopolitano Patriarchæ, sed electio ijs relinquitur, ad quos spectat, eaq; facta ad Patriarcham fiat relatio, & confirmatio habeatur, & ordinandi auctoritas. At in Barbaris regionibus dat Episcopos Patriarcha, quia nulli ibi sunt Episcopi, qui possint eligere, & nulli Metropolitani, vt notat *Balsam. ad Can. 6. Sardicens.* Extensa fuit etiam hæc ipsa auctoritas, vt scilicet Patriarcha Constantinopolitanus Episcopos etiam illos ordinaret, qui titulo Archiepiscopali donati nullos habebant suffraganeos; obtinuit enim mos ex Concilio Calcedonensi, vt quæ Vrbes ex priuilegio Imperatoris Metropolis titulum, & dignitatem essent adeptæ, hæ Metropolitico mero honore fruerentur, & non vltra, vt tradunt *Balsam. & Zonar. Seruatis scilicet veræ Metropoli proprijs iuribus.* Sed demùm Episcopi huiusmodi sic decorati exempti fuere à potestate Metropolitani suæ nationis, & subiecti patriarchæ Constantinopolitano, & ab eo in posterùm ordinati, vt indicat notitia Leonis Imperatoris, in qua passim leguntur Episcopatus, qui Metropolitani honorem sunt adepti, & subtracti à proprio Metropolitano sunt collocati sub throno Constantinopolitano, vt ad eum proprio iure spectarent; indeque nacti occasionem ipsi Patriarchæ plures Episco-

Ad Can. 38 in Trull. Ad Can. 12. Chalced.

Lib. 2. Iur. Græcorum.

Episcoporum ordinationes sibi vindicarunt prout ampliandæ auctoritatis libido suggessit, præcipuè cum ad Imperatorum beneplacitum dispositio huiusmodi mutaretur.

Hierosolymitanus verò Patriarcha, & ipse sibi subiectos Metropolitanos ordinauit, nec certè in suffraganeos eorumdem Metropolitanorum plus iuris habuit, quàm Constantinopolitanus in suffraganeos suorum, & eò certius hoc asserendum est, quò infimus ipse inter omnes alios Patriarchas, & ob sui Patriarchatus angustos limites vix Primatis, & Patriarchæ in eo agnoscitur differentia; Metropolitanos eius in speciali ipsius tractatione enumerauimus, attamen, & aliquando aliquos suffraganeos de facto ordinasse eorumdem Metropolitanorum non est dubium, quando spectauimus id factum apud Euagrium, dum *Theodosius* intrusus in Hierosolymitanam Sedem à seditione Monachorum multos. ad se accedentes ex Palestina designauit Episcopos, & inde notabilis differentia, quæ viguit inter Patriarchas illos primarios, & naturales, ac aduentitos hosce duos, siue adscititios, illorum enim longè magis patuit potestas in Metropolitanos, & eorum suffraganeos, quàm horum, qui extra prouinciam, quam regunt. tanquam Metropolitani, possunt quidem ordinare Metropolitanos sibi subiectos, at eorum suffraganeos non item, & ideò in appellationibus etiam causarum Clericorum diuerso modo ferebatur appellatio ad priores illos Patriarchas, ac ad posteriores; sed hac de re agere modò nostrum non est. Hæc igitur de primo Patriarchali munere ordinatione, scilicet Metropolitanorum. Succedit munus secundum Synodorum scilicet, & Conciliorum suæ Diœcesis conuocatio; Patriarchæ enim est, & Exarchæ Diœcesis Metropolitanos sibi subiectos conuocare, quod quidem, vel primis Ecclesię temporibus agnouit *Anacletus* Pontifex Romanus in Epistola sua prima circa finem; de causis enim grauioribus decidendis scribit Episcopis omnibus, & fidelibus. *Si autem difficiles causæ, aut maiora negotia orta fuerint ad maiorem sedem referantur, & si illic facilè discerni non poterunt, aut iustè terminari vbi fuerit summorum congregata congregatio, quæ per singulos annos bis fieri solet, & debet, iustè, & Deo placitè, coram Patriarcha, aut Primate Ecclesiastico, & coram Patritio sæculari iudicentur negotia, in commune &c.* Vbi summorum congregatio alia certè non est, quàm Metropolitarum à Patriarcha facta conuocatio, nam paulò inferiùs subdit, in grauioribus adhuc causis ad Sedem Apostolicam esse confugiendum; idipsum firmauit Synodus octaua generalis, quæ est Constantinopolitana IV. *Can.* 17. iuxta latinam Anastasij ęditionem, & praxis demùm, qua Romanus Episcopus Synodum totius Italiæ Episcoporum conuocare consueuit tanquam ordinarium Romanæ Sedis conuentum; quem quidem agnouere Patres Synodi Sardicensis, qui relationem facientes omnium, quæ Sardicæ gesta erant ad Iulium Primum Summum Pontificem, ab eo petiere, vt easdem res omnibus Siciliæ, Sardiniæque, ac totius Italiæ Prouincijs communicaret, quod quidem præstare vtcumque Metropolitani cuiusque in sua Prouincia esset,

Lib. 2. C. 5

Tom. 1. Ep. Sum. Pont. pag. 40.

esset, in duabus tamen Italiæ Diœcesibus ad Romanum Episcopum spectabat Patriarchico iure; *Sua autem excellens prudentia* (scribunt Patres illi ad Iulium) *disponere debet, vt per tua scripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, & in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt, & quæ definita cognoscant, nè ignorantes eorum recipiant litteras communicatorias, quos extra Episcopatum iusta sententia declarauit.* Confirmat demùm; *Iustinianus. Vt autem omnis Ecclesiasticus Status, & Sacræ Regulæ diligenter custodiantur, iubemus, vnumquemque beatum Archiepiscopum, & Patriarcham Metropolitam Sanctissimos Episcopos sub se constitutos in eadem Prouincia semel, aut secundò per singulos annos ad se conuocare, & omnes causas subtiliter examinare, quas Episcopi, aut Clerici, aut Monachi ad inuicem habebunt, easque disponere, & super hoc quidquid extra regulas à quacumque persona delinquitur emendare.*

Epist. Synodica Sardicensis.

Nou. 123. C. 10. Auth. de Sanctiss. Episc.

Indeque commodè manuducimur ad tertiam Patriarcharum prærogatiuam, qua causarum Diœcesis decisio ad Patriarcham ipsum deuoluebatur à Metropolitanis. *Anacletus* Epistola sua secunda hoc ius apertissimè confirmat *Patriarchas, vel Primates, qui vnam formam tenent, licèt diuersa sint nomina, leges Diuinæ, & Ecclesiasticæ poni, & esse iusserunt, ad quos Episcopi (si necesse fuerit) confugerent, eosque appellarent &c.* Consonant *Eleuther.* epistola sua circa medium *Felix. I Ep.* 1. ad Paternum Episcopum paulò post principium. *Iustin. d. Nouell.* 123. *C.* 22. Præter appellationum ius, & relationes ad Patriarchas fieri consueuisse certum est, idque summarum sedium fuit maximè proprium, & est prærogatiua longè sublimior, quàm appellationum, vtpote qua non partes ipsæ, sed iudex ad Principem referret, vt ex titulo de Appellat. & in *Pandect. tit. de Appellat. & relationibus*, per quas quasi ad Oraculum iudices consulentes confugiebant; Hoc igitur relationum, & consultationum ritu vsa est Ecclesia, aut vbi de fide aliqua emergeret controuersia, aut vbi de dubia ageretur disciplina, & in vtroque casu ad summarum Sedium Antistites recurrebatur; neque enim hìc de relationibus ad Apostolicam Sedem agimus, ad quam multò magis in vtroque casu, & alijs etiam referebatur; immò & à Concilijs generalibus, postquam iam terminata essent.

Tom. 1. Ep. Dec. p. 3. p. 1.

Ep. 9. tom. 1. p. 1. p. 86. d. tom. 1. p. 147.

Relationem ab Episcopis factam Metropolitanis suis, aut Patriarchis in causis fidei testator *Hieronymus* loco aliàs à nobis commemorato; doluit enim Hieronymus, & conquestus est, quod Ioannes Hyerosolimitanus de erroribus Origenis, qui in Palæstina repullulabant, retulisset ad Theophilum Alexandrinum Archiepiscopum, cum tamen referre debuisset ad Cæsareæ Metropolitam, cui subiecta erat Palęstina, aut ad Antiochenum, qui Patriarcha erat Orientis, & consequentèr eiusdem Palęstinæ. Vbi verò de dubia disciplina ageretur relationem factam præcipuè temporibus illis, quibus Ecclesiæ Occidentis nondum Canone aliquo scripto regebantur, ad Romanum Pontificem tanquam Ecclesiæ caput, & Occidentis

Epist. 61.

dentis Patriarchâ testatur *Siricius Romanus* in epistola ad Himericum Episcopum Tarraconensem, qui cum de quibusdam disciplinæ dubijs consuluerat super Baptismum, pœnitentium, & Monachorum officia nonnulla, & frequentissimum relationum vsum confirmat Hieronym. sub Damaso, & Innocentio Primo, Epiphanius etiam narrat Meletium Lycopolitanum Episcopum adiutorem Petri Alexandrini Patriarchæ ad eumdem de causis Ecclesiasticis referentem, alia etiam fuisse Patriarcharum munera, aliasue partes compertissimum est; sed grauiores, & sublimiores recensuisse contenti munus ipsum Patriarcharum breui epilogo ob oculos ponemus, quod graphicè exhibet Basilius Macedo Orientis Imperator, & ex Iure Græcorom. desumpsit *Baronius*. Inscribitur titulus, *officium*, & *deffinitio Patriarchæ. Patriarcha est imago Christi viua, & animata operibus, & verbis in se ipsæ veritatem exprimens; scopus Patriarchæ propositas est; primum quidem, vt quos à Deo accepit in pietate, ac honestate vitæ conseruet, deinde, vt omnes hæreticos pro virili sua conuertat ad rectam veritatis sententiam, & vnitatem Ecclesiæ. Vocantur autem hæretici tam legibus, quàm Canonibus, qui Catholicæ Ecclesiæ societate non continentur; præterea, vt fideles quoque claris, & illustrissimis, & admirabilibus factis suis stupefaciens imitatores fidei reddat. Finis Patriarchæ creditarum sibi animarum salus, & Christo quidem viuere, & Mundo Crucifixum esse. Propria Patriarchæ, facultate docendi pollere, atque erga vniuersos tam sublimes, quàm humiles æqualiter absque animi contradictione semet gerere, ac mansuetum esse erga omnes se conuenientes. Eliam in docendo, & redarguendis contumacibus acrem; pro veritate æqui, iustique conseruatione, proque pietate Imperatori loqui non erubescere; cum Respublica ex partibus, & membris ad similitudinem corporis humani constet, amplissimæ huius, maximeque necessariæ partes sunt Imperator, & Patriarcha, indeque subditoram pax, & fœlicitas tam animi ratione, quàm corporis est, Imperij, atque Pontificatus in omni vnanimitate consensus.* Hucusque Leo, & hactenus Patriarchæ Idea, ad cuius exemplar vtinam dentur in Ecclesia Præsules, & Patriarchæ! Transeamus ad Primates.

Tom. 1. Ep. Sum. Pont. pag. 39.

Iur. Græcor lib. 4. Sent. Synod. 2. C. p. 196.
Tom. 10 Annal. Ann 886.

CAP. XIII.

De Primatibus.

1 *Ratio Primates constituendi, & id nominis imponendi, ac multiplex vocis acceptio.*
2 *Vocis Diœcesis acceptio varia.*
3 *Origo Primatum retegitur, & exhibetur.*
4 *De Primatibus Occidentis singulariter, & eorum occasione de diuisione Prouinciarum Ecclesiasticarum, & de Primatis in singulis institutione.*
5 *De Primatum Officio, & auctoritate singlatim.*

QVAE



VAE vnitatis intentio successiuum ordinem in Ecclesiam inuexit, vt à Capite Supremo in reliqua vasti corporis membra virtus simul, & auctoritas deflueret, ac indiuiso consensu totam diffusam molem, & animaret, & in vnitate contineret, hæc ipsa, vt post Summum Pontificem Patriarchas, ita post Patriarchas Primates statuendos indicauit, ac persuasit, qui medij inter Metropolitanos, & Patriarchas vtrumque hunc gradum communicata virtute fęliciter necterent.

1 Primates isti à Græcis dicti ἔξαρχοι, quæ vox Principatum, & præsidentiam significat, eaque indigitatus augustior Italiæ Rector, quem ei recuperatæ præfecit Iustinianus, ac Italiæ ipsi, & exercitibus cum summa potestate præerat, qui, quod Rauennæ resideret, Exarchus Rauennatensis dictus; qui Summus Magistratus erectus à Iustiniano vsque ad tempora Caroli Magni perdurauit. Hæc ipsa vox, quæ ex sui innata vi principatum infert, ad eundem in Ecclesiasticis gradibus significandum variè est adhibita, modò enim ipsi Patriarchæ Exarchi sunt dicti, Chalcedonensis Synodi *Act.* 10. Vbi Ibas Edessenus Episcopus Ioannem Antiochenum Patriarcham suum Exarchum appellat; *& Act.* 14. eiusdem Synodi Stephanus Episcopus Epiphaniæ in actis ibi regestis Concilij Antiocheni Domnum Antiochenum Patriarcham Exarchum nominat Orientalis Diœcesis. Modò Metropolitani hac ipsa voce designati apud *Euagrium*, modò etiam Corepiscopi ipsi hoc eodem nomine donati apud *Harmenopulum Epitome, & breuissimo Scholio suo*; Immò & Monachus, qui pluribus Monasterijs pręesset Exarchus Monasteriorum dictus. Hunc ipsum elato vocabulo Pantocratorem Græci nuncuparunt apud *Balsam.* Τὸ δὲ προΐςασθαι τὸν Παντοκράτορα εἶναι ἡγούμενον πολλῶν μοναςηρίων. Sic enim in Synodo Constantinopolitana sub *Mena Act.* 5. libellus legitur Monachorum cum subscriptionibus eorumdem, & prima est. *Marianus Miseratione Diuina Presbyter, & Archimandritta Monasterij Sancti Dalmatij, & Primas* (Græcè ibidem) καὶ ἔξαρχος *venerabilium monasteriorum huius Regiæ Vrbis subscripsi, & supplicaui.*

Lib.4.Hist. c. 11.

Tit.9. Sect. 1. Iur. Græcorum. lib. 1

Ad Nomocanon. Phot. tit. 1. c. 20. in fin.

Apud Zonar.

Monasteria si quidem omnia Patriarchæ Constantinopolitano erant subiecta, & ab eius visitatione, ac correctione pendebant, ipseque ea regebat per vnum Monachum, quem præficiebat, patriarchalis, & patriarchalium iurium Primas; institutionem huius præfecturæ intueri licet, apud *Balsam.* & in sententijs Synodalibus Germani Patriarchæ, nec non ex formula mandati, quod Exarchis Patriarchalium Monasteriorum dari consueuit inter responsa; demùm Exarchi apud græcos dicti, qui Primates apud Latinos, ordo scilicet, siue gradus Episcoporum inter Patriarchas, ac Metropolitanos medius; ad quem respicit Chalcedonense Concilium *Can.* 9. *& Can.* 17. quatenus vtrobique clerico iniungitur, vt in causa cum Metropolitano adeat Exarchum Dięcesis, aut Constantinopolitanum Patriarcham. Vt autem multiplex est Primatis acceptio, ita & multiplex

Lib. 2. Iur. Græcorum. Nou. 8. lib. 3. ibid. Lib. 6. ibid. respons. lib. 2.

plex vox Diœcesis, quæ & ipsa distinguenda est, vt Primatialis auctoritatis limites dignoscantur, & medius gradus eius appareat.

2 Primò itaque hæc vox Diœcesis administrationem, dispensationem, ac regimen significat primigenia, ac planè radicali sua significatione ἀπὸ τοῦ διοικεῖν, quod est regere, & administrare. Secundò accipitur pro toto eo Orbis tractu, qui Patriarchæ subest ab eo regendus; iam ostensa hæc acceptio, cum supra de Patriarchis egimus, ex Concil. Chalcedonensi, nec in ea confirmanda immorandum vlteriùs; à qua significatione factum, vt & aliquandò clima pro Diœcesi sumatur, vnde & Patriarcha Diœcesis dicatur *Nouell. 6. C. 2.* Clima autem est non exiguus terræ, & Cœli tractus inter duos parallelos compræhensus; veteres septem tantùm climata constituebant, recentiores optimis rationibus ad viginti tria auxerunt, vt doctè ostendit *Adm. Reu. Pr. Hieronym. Vitalis Cler. Regul.* Tertiò accipitur diœcesis pro vnico plurium prouinciarum regimine, & vnica administatione, hæcque inualuit acceptio cum apud Cæsares, tum apud iureconsultos, post diuisam à Constantino Orbis administrationem, ac erectos Præfectos prætorio *Nou. 131.* In Ecclesiasticis hæc eadem acceptio fuit in vsu, *vt Can. 2. & 6. Constantinopol.* primi Concilij, eiusdemque generalis *sec. Can. 9. 17. 28. Synodi Calcedon.* in quem sensum (licèt etiam generalius) sumitur Diœcesis, pro vniuerso ambitu trium Patriarcharum Orientalium; Id videre est in principio *Act. 7. Synodi* 7. quę fuit Nicęna Secunda, in qua inter patres Synodo interuenientes, qui ibidem successiuè reguntur, legimus, *Ioanne, & Thoma Religiosissimis Presbyteris, & Monachis agentibus vicem Sedium Apostolicarum Orientis Diœcesis,* & si cui fortè hac generalitate non satisfiat, in calce eiusdem actionis septimæ ponitur definitio eiusdem Synodi, cui omnes Patres subscribunt, & quarto loco subscribit. *Ioannes Miseratione Diuina Presbyter, & Assessor Patriarchicus, et vices agens trium Apostolicorum Thronorum Orientis, Alexandriæ, Antiochiæ, et Hierosolymorum.* Vt autem vagatur hæc ipsa vox *Diœcesis* per significationes varias restrictam aliquando obseruamus ad prouinciam specialem, quæ Metropoli subest, & à Metropolitano regitur, quam Græci dicunt ἐπαρχίαν; itá vsus est, an potiùs abusus, hac voce *Zonaras ad Can. 28. Chalcedon. in fine.*

(In Lexico Mathem. Verbo Clima.)

Immò augustiorem adhuc vocis significatum reddidit vsus, qui frequentior validiùs, & pleniùs commendat, dum Diœcesim appellat, quam Canones antiqui, & auctores parœciam nuncuparunt, territorium scilicet Episcopi; quarum vocum significationem vsus ipse inuertit paræciam dicens titulum, cui præest Presbyter, diæcesim verò, quam regit Episcopus; sic acceptam vocem legimus à *D. Leone Magno* dum scribens da Africæ Episcopos de locorum qualitate, quibus debeant pręfici Episcopi, ne humilia sint, & solitaria municipia, ait, *Quod nunc in sua Diœcesi Restitutus Episcopus factum esse causatus est, & rationabiliter postulauit &c.* Africani Patres aliquando adhuc pressiùs diæcesim arctarunt

(Ep. 87. C. 1. circa med.)

runt, vt ſcilicet non territorium Epiſcopi indicaret, ſed partes potius aliquas, oppida ſcilicet vrbi Epiſcopali adiecta, & ideò plurali potius numero tunc redditur, quam ſingu-
Can. 23. lari. Ita in *Concil. Afric. Honoratus, & Vrbanus Epiſcopi dixerunt. Audiuimus conſtitutum, vt Diœceſes non mereantur Epiſcopos accipere niſi cum conſenſu eius, ſub quo fuerint conſtitutæ*; idem plane, & in *Concilio Carthagin.* 111.
Can. 46. & in eodem *Afric.* & Gelaſius I.
Can. 23.& 38. Summus Pontifex Epiſtola ſua VII.
Can. 43. ad Epiſcopos Siciliæ, quæ breuiſſima eſt. *Illud etiam adnecti pla-*
Tom 1. Ep. Decretal. p. 374. *cuit, vt ſi (quod abſit) facultates Eccleſiæ, nec non & Diœceſes, quæ ab aliquibus poſſidentur Epiſcopis, iure ſibi vindicent, quod tricennalis lex concluſit*. Sic ſumptas Diœceſes oppidanas paræcias nuncupauit Concilium Chalcedonenſe *Can.* 17. ad differentiam vilium, & ruralium, vt interpretatur *Balſam. & Zonar. ibid.* Hæc multiplex Diœceſis acceptio gradus nobis exhibet, quos ſemper diſtinxit, & in ſui regimine adhibuit Eccleſia, iique ſunt, Pontifex, Patriarcha, Primas, Metropolita, Epiſcopus, Corepiſcopus, Paræcus; Pontifex toti præeſt orbi, Patriarcha orbis tractui, Primas Diœceſi propriè, & ciuilitèr ſumptæ, Metropolita Prouinciæ, Epiſcopus Parochiæ, quæ dicitur Diœceſis, Corepiſcopus pago Ciuitatis, ſiue Metrocomiæ, Parochus demum regioni vrbis; obtinent adhuc in Eccleſiæ politia omnes iſti gradus, vno Corepiſcoporum excepto, dequibus dicemus loco ſuo; nunc Primates proſequamur.

3 Primatuum igitur originem, & eorumdem inducendorum rationem exhibet Anicetus Romanus Pontifex iu Epiſtola ſua ad Epiſcopos Galliæ, vnde ſumpſit *Gratian. Can.* 2. 99. *Diſt.* propagata ſiquidem per Orbem Chriſtiana fide, & aucto fidelium numero Epiſcopi plurimi creati fuere, quorum multitudo vt cum vnitate conſiſteret, Metroplitani conſtituendi fuerunt, qui præeſſent, ac nécterent, & vt faciliùs, ac per congrua media vnirentur Metropolitani cum Patriarchis, gradus viſus eſt inſtituendus, iſque fuit Primatûm, qui medij inter Patriarchas, & Metropolitanos vtroſq; nexu appoſito iungerent, & Monarchicum Eccleſiæ regimen præſeferrent, ac conſeruarent. Nec minùs quàm Epiſcoporum multitudo, locorum, ac regionum diſtantia Primates ſtatuendos indicauit, vt *ex Can. IX. Chalcedonenſi* inſinuari videtur, & *XVII. Carthaginenſi*, ſumpto ibidem Exarchi nomine pro Primate, vt ſumendum notauit Balſamon ita, vt exarchus, ſiue primas, idem ſonaret, ac vicarium vel legatum Patriarchæ, in quem ſenſum, & Chorepiſcopum exarchum Epiſcopi, vicarium ſcilicet obſeruat *Cuiac. in paratit. ad Cod.* quos igitur græci dixere exarchos, latini appellauere Tit. de Ep. & Cler.
Primates.

Hi Diœceſi, prout ex pluribus prouincijs conſtat, præſunt, vt indicant *Can. ſecundi* Concilij Conſtantinopolitani, quo Canone poſt duos commemoratos patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum tres enumerantur Diœceſes, quæ à ſuis Epiſcopis regi debent, præeunte ſcilicet, & præſidente metropolitis Primate, ſicut Epiſcopis Metropolita; ſic enim &

Can.

Can. 6. eiusdem Concilij maiorem Sinodum Diœcesis conuocandam statuitur, vbi prouinciales Episcopi crimina Episcopis obiecta nequeant in sua Synodo prouinciali corrigere; Vnde sicut Patriarchale Concilium conuocat Patriarcha, prouinciale Metropolita; ita Diœcesanum, qui præest Diœcesi, qui auctoritatem, & iurisdictionem in Metropolitas exercuit; vt ex *Socrate* colligere licet, & rationi omninò est consentaneum; fuisse Primates sub Patriarchis nemo melius indicat quam *Can.* 28. Chalcedonensis Concilij, qui Episcopo, aut Clerico causam cum Metropolita habenti, edicit, vt adeat aut Primatem (Exarchum græcè) Prouinciæ, aut Constantinopolitanam Sedem tanquam Patriarchalem, idemque firmat *Canon. XVII.* & demùm Iustinianus Imperator *Nouella sua* 123. *C.* 37. Vbi; quod si quisque à suo Metropolitano lædatur *apud Primatem Diœcesis, aut apud Sanctam Constantinopolitanam Sedem iudicetur*, quæ verba, vt & omnia præcedentia, Primatem indicant Metropolitano superiorem, cum de eo iudicet, sed & Patriarcha inferiorem cum ab eo iudicetur; & probat luculentissimè *Theod. Balsamon ad Can. 9. Chalcedon. in fine*, cuius præcisa non sunt regerenda verba in re compertissima. Dicta hactenùs de primatibus, vtcumque sint omnibus communia, attamen singularia plura, quæ in primatibus Occidentis intuemur, exigunt omninò, vt & de ipsis singularitèr disseramus, ad quod intentum incidit opportuna prouinciarum Ecclesiasticarum constitutio, & partitio, à qua & Ecclesiastici regiminis administratio formam sumpsit. Diuisiones Orbis factas ante Constantinum Magnum non est cur exactiùs proponamus, aut impensiùs illustremus, sed magis proximam, quam fecit Constantinus ipse exhibebimus, indeque fax rei nostrę.

Lib. 5. C. 8.

4 Quæ potestas olim penès Præfectum Prætorio viguit summa, & ab Imperatore proxima, atque à Tiberio Cæsare vni tantùm tributa, qui arma simul, ac iura tractaret, à Constantino in quattuor est deriuata, qui sub nomine Præfecti Prætorio vniuersis Imperij prouincijs regendo prȩessent. Primus fuit Prȩfectus Prætorio Orientis, qui præerat Aegypto, Lybię, Pentapoli, Cypro, Asiæ, Cappadociæ, Ciliciæ, Armeniæ, Syriæ, Traciæ, Mysiæ, & reliquis Orientis regionibus. Secundus fuit Præfectus Prętorio Illyrici, cui suberat Illyricum, Dacia, Triballi, Pannonia, Mysia superior, Macedonia, Thessalia, Græcia, Peloponnesus, Creta, & adiacentes vndequaque Insulæ. Tertius, cui parebant Italia, Sicilia, Africa, cum circumpositis Insulis. Quartus demùm fuit Galliarum præfectus, sub cuius ditione erant Gallia, Hispania, Britannia, & circumstantes Insulę. Quęlibet harum præfecturarum in plures diuidebatur Diœceses, quatenus Diœcesis sumitur vt plures sub se continens prouincias, sicut ad *dict. Can. 9.* definit Balsam. quæ Diœceses à Vicarijs præfecti prætorio regebantur, quę etiam Vicariæ dictæ, vt cernitur ex notitia dignitatum vtriusque Imperij, & Panciroli commentarijs in eam. Diuiso Imperio in Orientale, & Occidentale, vnicuique suæ remansère Diœceses; sex Orientalis

talis

tali, reliquæ Occidentali; Prima, dicta, cuius Vicarius vocatus speciali indigitatione Vicarius Orientis, & cuius apex, siue Metropolis fuit Antiochia; secunda Diœcesis fuit Aegypti, cuius Vicarius singulari titulo Præfecti Augustalis fuit insignitus, de quo tituli habentur in Pandectis, & Codice eius officium explanantes. Tertia Diœcesis fuit Asiana, in qua Metropolis fuit Ephesus; vt testis *Chrysostom. in Ep. ad Ephes.* Quarta Pontica, cuius Metropolis erat Cæsarea Capadociæ, vt testis *Naziazen.* Quinta fuit Thracica, cuius Metropolis à tempore Constantini fuit Byzantium, & ex tunc Constantinopolis dictum; cuius Episcopus cum primùm in Patriarcham fuit euectus, tres istæ Diœceses Pontica Asiana, & Thracica abstractæ fuere, Thracica à Romano Patriarchatu, Asiana, & Pontica ab Antiocheno, quibus respectiuè fuerant subiectæ; neque enim noua sedes potuit sine aliarum detrimento institui. Sexta demùm Diœcesis fuit Illyricum Orientale, cuius Metropolis Thessalonica, *Vrbs amplissima, & multis hominibus frequentata, & quæ tametsi subiecta est ditioni Macedonum, præ cunctis tamen Vrbibus Thessaliæ, Achaiæ, & aliarum gentium plurimarum, quas præfectus Illyricæ moderatur, primas obtinet*; quæ Theodoreti verba ipsam huius Diœcesis Metropolim testantur. Hunc Vrbis splendorem minuit Iustinianus, qui assentiente Vigilio Summo Pontifice, & Metropolis prærogatiuam, & Vicariatus Summi Pontificis transtulit Acridum Dardaniæ oppidum, natali ipsius Iustiniani nobilitatum, & exinde primam Iustinianam voluit nuncupari; sed Nicolaus Papa I. per Michaelem Imperatorem pristinum decus Thessalonicæ restitui curauit, & Vicariatum Apostolicę Sedis per omnes subiectas prouincias instaurari, vt ex Epistola eius ad Michaelem Imperatorem apparet.

In argum.

Orat. de laud. Basil.

Theodoret. Hist. lib. 5. C. 17.

Nouella. 11

Tom. 3. Ep. Decr. Sum. Pontif. Ep. 2. in fin. p. 11.

In totidem sex Diœceses fuit diuisum, & Occidens, quę per suos Vicarios administrabantur; prima fuit Italiæ specialitèr sumptæ cuius Metropolis Mediolanum; secunda Illyrici Occidentalis, ad Imperium scilicet Occidentale spectantis, cuius Metropolis Sardica Vrbs in Illyrico celebris, & Oecumenico Concilio inclyta, quò Ariana hæresis post Nicænum primum iterum compressa. Tertia Diœcesis fuit Africæ, cuius tum Ciuilis, tum Ecclesiastica Metropolis Carthago, cuius etiam Episcopus primatum supra omnes Africæ Præsules gerebat, de quo tamen Africanorum Antistitum primatu plura infra. Quarta fuit Galliæ, & eius Metropolis Augusta Treuirorum, quam *Saluianus* summam Galliarum Vrbem appellat. Quinta fuit Hispaniæ, de cuius Metropoli, vtcumque ambigatur, attamen Hispalis, vt plurimùm habetur eo nomine celebris, eoque ipso certiùs, quò *Salustius* eius Vrbis Episcopus legitur Vicarius Apostolicus constitutus ab Hormisda Summo Pontifice epistola ad ipsum scripta, qua eadem primatus prærogatiua vsos legimus Leandrum, & Isidorum Hispalenses Episcopos. Sexta demùm Occidentalis Diœcesis fuit Britaniæ, eiusque Metropolis Eboracum Romanorum Colonia, in qua Constantinus Chlorus Constantini Magni genitor regiam posuit,

Lib. 2. de Prouid.

Tom. 1. Ep. Hormisda. 61.

posuit, ac vitam clausit; præter hasce Diœceses, & hosce Vicarios Roma non Vicarium, sed Præfectum proprium habuit, qui super omnes alias Vrbis dignitates excellebat, & omnes alios præfectos, quasi Prætorio cedente Vrbi, sicut amplius, ac speciosius est Vrbis nomen *l. 2. C. de off. præf. Vrbi.* ad hunc cura, & custodia totius Vrbis regiæ spectat, & quidquid intra centesimum lapidem admittitur, quæ fuit meta suburbicariarum regionum, vltra verò Præfecti Prætorio cognitio est; verùm de Suburbicarijs regionibus nos iam alibi.

Cuiac. paratit. ad Cod. titul. de off. Præf. Vrbi.

Tandem vindicata per Iustinianum à VVandalis Africa quattuor Præfectos Prætorio idem auxit adijciens, & quintum, cuius sedem Carthagini fixit, & à suo nomine Iustinianam tertiam gloriæ œstro voluit nuncupari *l. vn. C. de off. Præf. præt. Africæ*. Ex hac prouinciarum partitione emicat Primatûm, & Exarchorum occasio, & origo; cum enim Apostoli in Ecclesiæ primordio Sæcularis Reipublicæ normam in Ecclesiasticæ distributione statuenda sint secuti, decuit, & ipsorum successores innouatam à Constantino Christiano Principe formam sectari, ac pro Magistratuum Sęcularium dispositione Ecclesiasticos gradus aptare, vt vniuersa respublica vnum corpus constituens in optimam consonantiam coalesceret; nouus igitur typus Romanæ Reipublicæ administrandæ primæuam, etiam Ecclesiasticæ formam commodiùs immutauit; cum enim ab Apostolis, & à Diuo Petro præsertim instituti essent tres Patriarchæ, & sub ipsis Archiepiscopi in Prouincijs, & Episcopi in Vrbibus, constitutis Diœcesibus, quæ plures sub se prouincias continerent, rationabile visum est vnicuique Diœcesi præfici Episcopum, qui Archiepiscopis, & Episcopis præesset, sicque vbi essent Præsides, Proconsules, & Correctores præfecerunt Metropolitas; & vbi demùm creati Vicarij Præfecti Prætorio, qui præessent Rectoribus Prouinciarum, seruata proportione instituti sunt Primates, qui Metropolitis, & Prouinciarum Rectoribus præessent; & sanè si Primates Ecclesiasticos cum Vicarijs præfecti prætorio conferas aptissimè respondere inuicem intueberis. Vicarius multis præest prouincijs, & multis præficitur Primas; Vicarij ditio dicitur Diœcesis, & eodem nomine Primatis, siue Exarchi ditio. A Consularibus, & prouinciarum Præsidibus appellatur ad Vicarios, & à Metropolitis ad Exarchos, & Primates: à Vicarijs ad Præfectum prætorio interponebatur prouocatio, & ab Exarcho, aut Primate ad Patriarcham; indeque factum, vt ante Constantini diuisionem, & Vicariorum factam institutionem nulla legatur apud Ecclesiasticos Auctores primatûm mentio, Exarchorum, vel Diœcesûm. Concilium Nicænum omnium antiquissimum vltra Romanum Pontificem Alexandrini & Antiocheni Patriarchæ meminit, & Hierosolymitani solius honoratioris consessus intuitu, nullumque alium gradum agnoscit supra Metropolitas, & Episcopos; supra prouincias nullas Diœceses, & supra prouinciales Synodos nullas Diœcesanas. Vbi apparuit medius Vicariorum gradus, statim erupit, & ille Primatûm, statim Diœceses Ecclesiæ cognitæ, comperta

Diœce-

Diœcesana Concilia, vt apertissimè indicant *Canon 2. & 6.* Constantinopolitani Concilij primi, & Synodica eiusdem ad Damasum, & Romanum ab eo conuocatum Concilium, *& Canon 8. Ephæsinæ Synodi*. Hæc ergo primatûm occasio, & origo in Oriente, in quo ita secuta est Ecclesia dispositio sæculares ditionum mutationes, vt vel ipso Calcedonensis Synodi decreto *Canon. 17.* fuerit statutum; *Sin autem Ciuitas antiqua ab Imperatoria auctoritate innouata est, vel deinceps innouata fuerit, ciuiles, et publicas formas Ecclesiasticarum quoq; paræciarum ordo consequatur*, quem Canonem adoptarunt suum facientes Constantinopolitani Patres *in Trullo Canon. 38. Canonem, qui à Patribus factus est, nos quoque obseruamus, qui sic edicit. Si qua Ciuitas ab Imperatoris potestate innouata est, vel rursus innouata fuerit, Ciuiles, ac publicos typos Ecclesiasticarum quoque rerum ordo consequatur*. Sed demùm eò res deuenit, vt non solùm Græci Imperatores per Vrbium, aut ditionum alterationem, mutationem in Ecclesiasticis inducerent, sed etiam circumscripta ciuilis administationis alteratione Metropolitani honorem alicui Episcopo conferrent, quo casu Metropolita merè honorarius erat, sine vllo veri Metropolitæ detrimento ità, vt ipsi subiectus adhuc omnibus alijs Comprouincialibus Episcopis præferretur honore, & consessu. Hanc tamen prouinciarum diuisionem fieri ab Imperatore necesse erat sponte sua, & absque vlla alicuius Episcopi suggestione, quæ, si interfuisset, ipse solicitans Episcopus gradu cadebat, qua consideratione conciliatur *Canon 12. Chalcedonensis cum sup. 17.* qui pugnare inuicem videntur; cum autem diuisiones istæ augerentur in dies, ac faciles se præberent Principes huiusmodi innouationibus Innocentius Primus Summus Pontifex Romanus quid de huiusmodi innouationibus sentiret, ac statueret rescripsit Alexandro Antiocheno Episcopo in ea verba; *Nam quod sciscitaris, vtrum diuisis imperiali iudicio prouincijs, vt duæ Metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari, non verè visum est ad mobilitatem rerum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque, aut diuisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator. Ergo secundùm pristinum prouinciarum morem Metropolitanos Episcopos conuenit nominari etc.* quem sensum sectati semper & qui secuti sunt Romani Pontifices cuilibet mutationi Ecclesiasticæ disciplinæ constanter restiterunt, quod fecisse obseruauimus Leonem Magnum, dum de prouehendo ad secundum Patriarchatus gradum Episcopo Byzantino ageretur, vtcumq; id contenderet, ac vellet Marcianus Augustus; & ideò Primatûm etiam aliam rationem videmus in Occidente, qui quidem cum primùm apparuere non primates dicti, sed Vicarij Summi Pontificis, qui de Metropolitanis, & prouincialium Synodorum sententijs vice verè sacra, adeòque eiusdem Pontificis, iudicarent, sicque verè Vicarij, ac Ordinarij, & perpetui ad differentiam aliorum, qui cum vices gererent, legatio tamen ipsorum extraordinaria, & arbitraria esset. Verùm de his singulis agere, & eos assignare remit-

Theodoret. hist. lib. 5. c. 9.

Tom. 1. Epist. Decretal. p. 77.

remittimus. Cum primò vniuersus Occidens vni Romano Patriarchæ esset creditus, is Vicarios suos constituit, qui medij inter Patriarcham, & Metropolitas essent; inter primates autem, siue Vicarios præcipuus fuit Thessalonicensis Archiepiscopus, cuius Vicariatus per Illyricum, & Græciam longè, latèque patebat; Diœceses enim Macedonicam, & Thracicam regebat, quibus subeant Prouinciæ, quas enumerat Nicolaus Primus ad Michaelem Imperatorem hortans, vt gradum pristinum Thessalonicensi Archiepiscopo restituat; *Tom. 3. Ep. Decr. ep. 11.* quæ enim ciuitas proprio fulgebat splendore, aucta etiam maiestate ob sedem Præfecti pretorio, meritò visa est Summis Pontificibus decoranda, vt eius Archiepiscopus primatum gereret in omnes Metropolitanos subiectarum prouinciarum, ac proinde Vicarius esset Apostolicæ Sedis; idque à prædecessoribus suis largitum testatur *Leo Magnus* scribens ad Anastasium Episcopum Thesalonicensem; *Ep. 84.* *Sicut prædecessores mei prædecessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ priorum secutus exemplum vices mei moderaminis delegaui &c.* Huius Vicariatus prærogatiua Thessalonicensis Archiepiscopus in consessibus Synodalibus immediatè post Patriarchas sequebatur, & omnibus Asiaticibus, ac Orientali præcedebat; *Sic in sexta Synodo act. 16. & 18.* Ioannes Thessalonicensis Episcopus subscripsit post Patriarchas ante omnes Episcopos, se Vicarium exprimens Apostolicæ Sedis Romæ, & legatum.

5 Floruit Thessalonicensis Archiepiscopus in eo gradu auctoritatis vsquequò Diœcesis Macedonica, & Dacica violenter de Patriarchatu Romano fuit abstracta, & subinde inter vulgares Metropolitas fuit recensitus; vnde notitia Leonis sapientis Episcopatuum throno Constantinopolitano subiectorum Thessalonicensem Metropolitanorum decimum sextum connumerat; vtcumq; enim antea erigente Iustiniano natale Acridi solum in Primatum, annuente Vigilio Romano Pontifice, Dacica Diœcesi Thessalonicensis sedes esset mulctata, attamen idem honor, & eadem potestas in alios Metropolitas ipsi remanserat. Theodor. Balsam. in principio Concilij Constantinopolitani in Trullo alios etiam recenset præter Thessalonicensem Romani Pontificis Legatos, vt Sardanensem, Heracleanum, Corinthium, Gortiniensem in Creta; sed isti non fuerunt Ordinarij, qualis Thessalonicensis, at extraordinarij ad Concilium directi; de Corinthio suspicari licet, non *Balsamonis* auctoritate, sed *Diui Gregorij Magni* testimonio, qui pallium ipsi more maiorum se largiri testatur, & Helladis Episcopos ei obedire admonet. *Lib. 4. Indict. 13. Ep. 55. Ep. 56.* Vnde tres Prouinciæ ipsi subiectæ erant Hellas, quæ in duas postea diuisa, & Peloponnesus; de alijs, præter Balsamonis, nullum aliud extat testimonium: itaque quod de duobus hisce Primatibus dictum, & de alijs accipiendum, quos in Diœcesibus sibi, & Patriarchatui suo subiectis Romanus Pontifex instituit, cum enim vastissimi essent eius Patriarchatus fines extra Italiam in qualibet Diœcesi Primatem præfecit, qui vices suas gereret, vt quod immediatè propter distantiam præstare non poterat, per interpositos Primates, præcipuè circa Episcoporum ordinationem, obtineret, sic supra

in

in Gallia, in Hispania, Britannia, Illyrico constitutos Primates indicauimus, qui essent Romani Episcopi Vicarij, vtpote eius arbitrio, & prudenti auctoritate præfecti, & ideò non Primates, sed Vicarios potiùs se ipsos appellare consueuerunt, idque ea de causa, quia cum Primatia esset recens inuenta apud Græcos, & Conciliorum auctoritate introducta extra Apostolicas ordinationes, quibus gradus huiusmodi fuit planè ignotus, Pontifices morum, & institutionum veterum tenacissimi non in modum stabilis dignitatis, sed mutabilis, & precariæ contulerunt sub Vicariatus nomine, ne SS. Patrum Constitutiones viderentur conuellere, sed re ipsa administrationis exigentiæ vbique per repræsentantes consulerent. Habuit quidem, & Africa Primates suos, verùm longè ab alijs diuersa fuit ipsorum ratio, non enim certæ alicui sedi fuit hæc Primatus prærogariua affixa, sed cum ex antiquitate ordinationis procederet, fiebat, vt qui Episcopus inter alios suæ Prouinciæ esset ordinatione prior, & antiquior is Primas eius Prouinciæ diceretur, vt Primas Numidię, Primas Mauritaniæ vtriusq; & aliarum prouinciarum; sed inter omnes eminuit in Africa Primas Carthaginensis tum amplitudine, tum magnitudine potestatis, cum longissimè à Patriarcha Occidentis abesset, mareque medium eos diuideret, rationabile visum est, vel à prima Africanæ Ecclesiæ fundatione, vt maior in Africanos suos, quàm cæteris ei tribueretur auctoritas; testatur passim Carthaginense Concilium, adstipulaturque *Diuus*
Lib.4.Ep.8. *Cyprianus* ad Cornelium Romanum Pontificem scribens, ex cuius verbis colligitur Carthaginensem Primatem fuisse veluti fontem vnitatis, & communicationis Ecclesiæ in Africa, quatenus cum omnia negotia illius Ecclesiæ ab omnibus Africanis Episcopis ad eum deferrentur, ipse itidem communionem cum Apostolica Sede coleret adeò, vt quem Carthaginensis Primas legitimum Pontificem Romanum agnosceret, hunc etiam reliqui omnes Africani suspicerent; auctoritatem huius Primatis in Synodis, ordinationibus Episcoporum, & Iudicijs Ecclesiasticis non est cur fusiùs tractemus, & exactiùs fundemus; sed ad ea accedamus, quæ muneris Primatûm propria, omnibus etiam Primatibus sunt communia, ijs enim relatis nihil erit reliquum, quod ad huiusce gradus notitiam desideretur.

Ad summa capita, eaque potiora primatûm munera reuocabimus prout si non omnia singulis, saltem singula omnibus competiere, iuxta mores varios, & regionum conditionem: Illud primò generaliter supponentes, semper ac à Summis Pontificibus Primates fuere constituti, ità id fuisse factum, vt illibato, & nec, vel minimùm, imminuto Metropolitanorum iure censeretur, id enim expressum legimus, vbi quis à Summo Pontifice constitueretur Primas, sic Hormisda Remigio Arelatensi expressit, cum eum Primatem declararet, *saluis* (ait) *priuilegijs, quę Matropolitanis decreuit antiquitas*; ratioque ipsa suadet, non enim decet, vt Primas Metropolitanum destruat, sed eius auctoritate salua tanquam inferiorem superiori recta subordinatione connectat, vnitatemque semper in

Ecclesia spectandam foueat. Primum igitur munus Primatûm erat Episcopos, ac Metropolitas electos, priusquam consecrentur, approbare, ac confirmare. *Leo* Summus Pontifex scribit Anastasio Thessalonicensi Primati, ac Vicario Apostolico, eumque sigillatim muneris admonet sui, & præsertim *Cap. 6. De persona autem consecrandi Episcopi, & de Cleri, plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in prouincia benè placuit scire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas*, totoque illo capite idem intendit. Secundum munus erat de rebus in Concilio prouinciali gestis cognoscere, ac iudicare: à Concilio enim prouinciali ad Primatem legitima erat appellatio. Idem *Sanctus Leo* ad eundem Thessalonicensem postquam de Episcopalibus Concilijs præmisit; *At si fortè inter ipsos* (subdit) *qui præsunt de maioribus* (*quod absit*) *peccatis causa nascatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negotij qualitate Metropolitanus curabit instruere, & si coram positis partibus, nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitionem quidquid illud est transferatur*. Huic prærogatiuæ connexa est tertia, quæ præcipuum Primatis munus exhibet, conuocatio scilicet, ac celebratio Diœcesani Concilij ex prouincijs, ac Metropolitis subiectis. Idem *Sanctus Leo, in reuocandis autem ad te Episcopis moderatissimum te esse volumus, ne per maioris diligentiæ speciem fraternis videaris gloriari iniurijs; vnde si causa aliqua maior extiterit, ob quam rationabile, ac necessarium sit fraternum aduocare conuentum, binos de singulis Prouincijs Episcopos, quos Metropolitani crediderint esse mittendos ad fraternitatem tuam venire sufficiat*. Apertissimo huic testimonio liceat addere aliud planè conforme *Sancti Gregorij* æquè Magni, qui scribens Galliarum Episcopis de Vigilio eis prælato, & Arelatensi Primate ait; *Et quoniam necesse est, vt ad eum, cui nostras vices iniunximus, quotiens opportere perspexerit pro facienda collatione aptis debeant Episcopi temporibus conuenire, hortamur, vt mandatis eius nullus inobediens esse præsumat, nec communi congregationi interesse postponat*. Quartò ad Primatûm munus incumbit, vt tanquam excubitores pro sarta tecta Ecclesiastica disciplina in tota Diœcesi peruigilent, vbi eam laxari obseruent, opportunè accurrant, congruisque remedijs prospiciant, ac quomodocumque turbatam, aut conuulsam auctoritate sua restituant Concilia ex diuersis prouincijs (si opus sit) conuocantes, aut Episcopos ex varijs prouincijs euocantes, cum ipsis de rebus arduis, quę emergant, deliberaturi, ac iudicaturi; apertissimè *Diuus Gregorius* in eadem, qua supra, epistola dum Vigilium Vicarium suum, ac Primatem constituit, hoc munus commemorat, qui & epistola præcedenti Episcoporum conuocandorum numerum ad duodenarium definiuit. Quintum demùm munus, ac speciosa planè prærogatiua est, vt Primatis sit, formatas literas concedere clericis nedum, sed & Episcopis, ac Metropolitanis extra Diœcesim, ac ipsius Primatis tractum abeuntibus,

Ep. 84. — Can. 8. eiusd. epist. — Cap. 10. eiusd. — Ep. 52. lib. 4. Indic. 13. — Ep. 51.

vt vbique in communionem recipiantur. Admonuit *Diuus Gregorius* Galliæ Episcopos, vt id auctoritatis in Vigilio, quem Vicarium suum, & Primatem præfecerat, agnoscerent; *Hoc etiam vos pariter preuidimus admonendos, vt nullus vestrum ad longinquiora loca sine præfati fratris Coepiscopi nostri Vigilij auctoritate tentet aliquo modo proficisci, scientes quia & prædecessorum nostrorum, qui vices suas eius prædecessoribus commiserunt, sic procul dubio mandata definiunt*. Ep.53.Rep. in fin.

Hæc fuere Primatûm munera cum ipsorum fuit frequentior vsus; immutata enim forma, qua Episcopi præfici solebant, remansit nomen, nominisque decus, nec tamen ab re fuit venerandæ antiquitatis retexisse memoriam, qua Ecclesiasticæ politiæ norma exhibetur, eamque prosequentes ad Metropolitas descendamus, quorum gradus adhuc viret, & auctoritatem commendat vsus.



CAP. XIV.

De Metropolitis, & Archiepiscopis.

1 *Ecclesiæ in Prouincias distributio, & per auctoritates confirmatio.*
2 *Archiepiscopi ethimologia, & an differat à Metropolita.*
3 *Archiepiscopus quot Ciuitates, & quot Episcopos sub se contineat.*
4 *Metropolitæ quæ potestas, & Iurisdictio in prouinciam suam, & quæ eius potiores partes, sed tres præcipuæ.*
5 *Quid possit Archiepiscopus respectu subditorum Suffraganeorum, & in eorum Diœcesi*



FVNDAMETVM dabunt dicendis peropportunum S. Leonis Magni ad Anastasiem Thessalonicensem scribentis elegantissima verba. *Inter beatissimos Apostolos* (ait *Sanctus Leo*) *in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris preemineret, de qua forma Episcoporum etiam orta est distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent; sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursus quidam in maioribus Vrbibus constituti sollicitudinem susciperent* Ep.84.C.11 in fin.

perent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret &c. planè conformiter ad id, quod longè antea statuerat Canon Apostolorum. *Episcopos vniuscuiusque gentis nosse oportet* (inquit Canon) *quisnam inter ipsos primus sit, habereque ipsum quodammodò pro capite, neque sine illius voluntate quidquam agere insolitum, illa autem sola quemque pro se tractare, quæ ad Parochiam eius, & loca sibi subdita attinent. Sed neque ille citra omnium voluntatem aliquid facito; ita enim concordia erit, & Deus glorificabitur per Dominum in Sancto Spiritu.*

Can. 34. 35. 36. Iuxta var. edit.

1 Vnitas Ecclesiæ fuit prima, & principalis intentio, ad quam prospexere Apostoli eius administrationem instituentes, primaque regiminis fundamenta ponentes, vt diffusa per totum Orbem, vnum corpus nihilominus esset, & Episcopatus vnus, cuius vnum esset Caput, & qui ex plurium Episcoporum concordi communione consisteret, quemque singuli in solidum tenerent, vt loquitur *Diuus Cyprianus*; sed tamen vnicuique sua portio fuit assignanda, vt procedere posset administratio, at verò separatim ita regeret, vt per charitatem, & communionem mutua corporis non laxaretur compages, & vnitas non fatisceret, nè si quis Episcopus ab ea communione recederet, velut ramus recisus arescens cum communione, & vitam amitteret. Huc prospexere (vt iam diximus) sapienter Apostoli, dum Ecclesiasticæ administrationi ponerent fundamenta, sectantes Romani Imperij dispositionem, cui inserendam Ecclesiam ipsam statuerant; intuentes enim Imperium in prouincias diuisum, & Ecclesiam per prouincias disponendam nouerunt; & cum prouincia quælibet Romani Imperij Vrbem aliquam primariam tanquam caput, & Principem suspiceret, quę Metropolis, adeòque Mater diceretur, in qua Magistratus subditorum causas cognoscebant, ac definiebant, & ad quam ex subiectis Vrbibus populi frequentia confluebat tanquam ad Matricem; Et Apostoli per Vrbes, & loca maiora ita Episcopos constituerunt, vt tamen ab vno penderent, qui in Vrbe maiori præesset, ita dictante vnitatis consilio, quod semper intendebant; neque pugnat hoc cum illorum sensu, qui Metropolitici iuris institutionem aut Diuo Petro, aut Romanæ Sedi, aut Diuino Iuri tribuunt, vel Ecclesiasticæ consuetudini; consentiunt siquidem opiniones istæ, vtcumque variæ, si traditioni Apostolicæ tribuamus, quæ demùm in Diuinum Christi Domini fontem resoluitur, vt inde cæpta institutio Apostolis communicata executionem tandem, & praxim ab Ecclesiastica consuetudine receperit.

De Vnitat. Eccles.

Diuisisse Apostolos Ecclesiam in prouincias, corundem Principes Petrus, & Paulus apertissimi testes; Petrus enim primam suam scribit ad nouos fideles dispersionis per varias prouincias distributos, prout Romanæ ditionis dispositio exigebat, *Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Asię & Bithiniæ*, quorum vnicuique Vrbs vna præerat tanquam Metropolis. *Bithiniæ namque Metropolis erat Nicomedia, Capadociæ Cęsarea, Ponti, Amasea, Asiæ, Proconsularis, Ephesus, & demùm*

mùm Galatiæ, *Ancyra*, & ideò cum Diuus Paulus Epistolam suam scripserit ad Galatas, hoc est ad Ecclesias Galatię, & sic ad Ciues Ancyræ, Ecclesia Ancyrana semper Ecclesia Apostolica habita fuit. Hanc ipsam Ecclesiarum distributionem per prouincias attendit & idem Diuus Paulus in Epistolis suis; secunda enim ad Corinthios Cap.8. *Notam autem facimus vobis, fratres gratiam Dei, quæ data est in Ecclesijs Macedoniæ*; & prima ad Corinthios. *De Collectis autem, quę fiunt in Sanctos, sicut ordinaui Ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite*; & demùm à Romanos Cap.3. *Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui sunt in Hierusalem*; per Achaiam autem, & Macedoniam intelligere Apostolum Ecclesias, quæ essent in Achaia ipsa, & Macedonia nulli ambigendum credimus. At verò, quod constitutis Ecclesijs per prouincias Episcoporum certum numerum ita disposuerint, vt sub vno Metropoleos Episcopo tanquam sub vno capite consisterent, aliundè euidentiùs constare non potest, quàm ex ijs, quæ idem *Diuus Paulus* scripsit ad Titum. *Reliqui te Cretæ* (inquit) *vt constituas per Ciuitates Presbyteros sicut & ego disposui tibi*; quod quidem nil aliud est nisi eundem Titum Metropolitanum constituere; Presbyteri enim, quos mandat Apostolus constituendos, alij non sunt nisi Episcopi, vt apertè exponit *Diuus Ioannes Chrysostomus*, & contextus verborum Pauli in eadem Epistola indicat; Episcopi igitur in Vrbibus prouinciæ statuuntur, & ab vno ordinantur cum Comprouincialium concursu per impositionem manuum Presbyteri. Manus quidem imponunt alij Episcopi, sed vnus præ cęteris auctoritatem, ac vim ordinationi præbet, isque Metropolitanus, qualis Titus Cretæ, cuius Metropolis olim Gortyna. Fuit Creta Romani Imperij prouincia à Tito Diui Pauli Discipulo ad Christianæ fidei lumen vocata, & conuersa, vbi & sancto fine vitam clausit. Quieuit ibidem vsque ad annum 1669. donec Turcarum vi exturbatus Venetias migrauit, postquam intrepida, ac religiosissima Respublica ad miraculum vsque pugnando Titi quietem propugnauit. Sed demùm vbi vi, verè maiori, fuit cedendum, & Numini sic visum, Sacra omnia, cum Titi corpore exportauit, ac in sinum suum pia Mater, ac Domina Venetiarum Vrbs excepit. Sed ad rem. Factam Episcoporum institutionem, ac dispositionem per prouincias indicat *Diuus Ioannes Apostolus*, dum in Apocalypsi sua datæ litterę septem Angelis, hoc est, Episcopis Asię, quorum vnus fuit Ephæsinus; fuit Asia hæc proconsularis Romani Imperij prouincia pars illius Asiæ, quam minorem appellant Geographi, eius fuit Metropolis Ephesus inquit expressè *Vlpianus in l.4. ff. de off. Proconſ. & legati*, & ideò Diuus Paulus instructurus Asianos ad Ephesios scribit tanquam ad caput, & Metropolim, vt notat *Diuus Ioannes Chrysostom.* scribit, idem Apostolus Epistolam suam secundam Corinthijs pro omnibus fratribus, qui sunt in Achaia, cuius Metropolis erat Corinthus, ratus omnibus scriptum, quod Capiti totius prouinciæ scriptum; titulus Epistolæ suæ intentionem scriben-

Ep. ad Tit. Cap. 1.

Homil. 11. in epist. ad Tit. in pr.

In Apocalyp. c.1.

In Præfat. Comment. Epist. ad Ephes.

ben-

bentis exhibet: *Paulus Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi cum omnibus Sanctis, qui sunt in vniuersa Achaia &c.* Demùm, & instructurus vniuersam Macedoniæ Prouinciam Epistolam suam dirigit ad Thessalonicenses tanquam totius Prouinciæ Metropolim, & corporis caput. Eminuere quidem Ecclesiæ huiusmodi, & eo titulo, quod scilicet Apostolicæ dictæ, & eo, quod ab Apostolis immediatè fundatæ, & instructæ cæteris norma fidei, & disciplinæ proponerentur, at non eò tendit modò obseruatio nostra, quæ id vnum euincit ex Diui Pauli, & aliorum allato testimonio, seruatam ab Apostolis ad Imperij typum Ecclesiarum per prouincias distributionem, vnicuique prouinciæ suo assignato capite, quod cunctis ad vnitatis tutelam præsideret; idque vel ab ipsa Ecclesiæ infantia probat Tertulliani testimonium pro veritate doctrinæ haurienda tanquam ad fontes ad prouinciarum Metropoles hæreticos ablegantis: *Agè iam* (ait Tertullian.) *qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum, si non longè es à Macedonia habes, Philippos, habes Thessalonicenses; si potes in Asiam tendere, habes Ephesum, si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est.*

C.1. & C.4.

De præscrip hæret. c. 36.

Africæ Ecclesias fuisse diuisas in prouincias, sicut & Galliarum, ac Hispaniarum compertius est, quàm vt probatione indigeat, vnde concludere possumus ad euidentiorem hucusque dictorum certitudinem, & Ecclesiarum distributionem in prouincias ab Apostolis institutam, cum celebri illa *Diui Augustini* regula; *quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Neque obijcias *Can. 26. Concil. Cartaginiens.* Tertij, quo dictum. *Ne quis primæ sedis Episcopum Principem Sacerdotem, aut Summum Sacerdotem, aut aliud huiusmodi appellet, sed tantùm primæ Sedis Episcopum*, quasi pugnet Canon cum probata hactenus Apostolorum intentione, & institutione; quia dicemus primò Canonem immò intentum supponere, & præferri vnum cæteris confirmare, quamuis de titulo, & nomine caueat; addimus secundò; esto, quod Carthaginensis Synodus Canone suo humilitatem commendet, immò præcipiat inter Ecclesiæ Præsules adeò, vt eliminare ab ipsis studeat ambitiosum titulorum, ac nominum fastum; sit hic repressus; at non rem ipsam, ac præeminentiam sublatam, aut vetitam per hoc rectè inferas, ad quam sanciendam inducti fuere Apostoli non solùm lumine, & insinuatione diuina, sed & prudenti, & congrua ratione, quam tangit Concilium Antiochenum decernens: *Per singulas prouincias Episcopos singulos scire oportet, Episcopum Metropolitanum, qui præest, curam, & solicitudinem totius prouinciæ suscepisse, propter quod ad Metropolitanam Ciuitatem ab his, qui causas habent,*

De Baptis. cont. Donatistas Lib. 4. c. 24.

Can. 9

bent, *concurratur*. Hęcque ipsa opportunitas suasit, vt qui gradus inter Episcopos sublimior præesse ad regimen deberet; is in Vrbe Imperij omnium prima, ac præstantiori poneretur, vt ex ea, tanquam è specula, totius prouinciæ à se regendæ ambitum facilè circumlustraret, quæ fuit etiam ratio, vt quamuis Hierosolymorum Vrbs Mysterijs redemptionis nostrę in ea peractis celebris, & Episcopatu Iacobi fratris Domini suspicienda, attamen Episcopo Cæsareæ Palestinæ tanquam Metropolitano suo fuerit subiecta, vt ex *Can. VII.* Nicæno fuit aliàs obseruatum; fuit enim Cæsarea caput, & Metropolis illius prouinciæ à tempore Vespasiani, qui Proconsulatum Iudeæ Cæsaream transtulit, vt colligitur ex Iustiniani *Nouella* 103. *apud Cuiac.* & ideò Cæsareæ Episcopus Episcopis eiusdem prouinciæ præesse debuit, & inter eos ipsi Hierosolymitano, qui subditus extitit, donec in Patriarcham euectus fuit, & à Iure Metropolitico subtractus, vt iam supra ostensum, cum de eo Patriarchatu ageremus.

Hicque opportunè reijcimus iterum, ac retegimus Nouatorum fallaciam, qui Ecclesiasticorum graduum præeminentiam ab Vrbium splendore profectam volunt, vt inde Pontificij Primatus causam Vrbem Romam arguant abutentes, ac detorquentes Chalcedonensis, & Taurinensis Concilij auctoritatem, quæ Concilia in dignitatum Ecclesiasticarum assignatione ad Vrbium nobilitatem respiciendum docent, peruertunt enim sensum, quia aliud est maiores, & illustriores Episcopos in Vrbibus maioribus constitui, ac eorum sedem alijs præferri, & hoc volunt Concilia, ad hoc respexit Diuus Petrus cum Sedes Patriarchales erexit, ad hoc Apostoli, dum Metropolitas instituere. Aliud est maiores, ac celebriores Vrbes, maiores, ac sublimiores efficere Episcopos ita, vt à maiori, ac splendidiori Vrbium nobilitate, & causam, & incrementum habeant, quod maximè intendunt sectarij, respuit veritas, Concilia, & Patres detestantur. Ab Apostolis igitur, & successiuè in Ecclesiam transmissa hæc institutio traditione, veluti per manus, non scripto iure, vnde non immeritò veteres eam non Apostolis aut Patribus, sed moribus, & consuetudini tribuerunt, quæ rudior eorumdem Apostolorum æuo subinde processu temporis amplor, & perfectior reddita est, præsertim post Costantini Imperatoris tempora, & factam ab eo diuisionem occasione institutæ dignitatis Præfecti Prætorio, quam sectati sunt Patres centum quinquaginta in Concilio Constantinopolitano primo, vt indicat *Socrates*. *Lib. 5. Hist. c. 8.* Hæc igitur fuit Prouinciarum, & Metropolitanorum ab Apostolis deducta, & altiùs repetita origo, quam tamen non turbat, aut conuellit morum, & consuetudinis mentio præsertim Nicæni *Can. VI.* Stat enim, vt sit ab Apostolis facto inducta, & obseruatione, ac moribus in Ecclesiam transfusa; vnde, & non minùs verè, moribus ipsis tribuitur.

2 Metropolitanus igitur à Metropoli dictus tanquam matricis Vrbis, & Ecclesię Præsul, idemque Archiepiscopus appellatus quasi Episcoporum Princeps, vt interpreta-

Lib. 7. & bim. c. 12. tur *Isidor.* & quamuis idem *Isidor. in Can. Cleros.* 21. *Dist.* Metropolitanum ab Archiepiscopo distiguere videatur, atramen si ritè obseruetur Isidori contextus apparebit, Archiepiscopum *ibi* accipere tanquam medium inter Patriarcham, & Archiepiscopum, sicque velle Primatem, de quo à nobis iam dictum, quod indicat, & *Teod. Balsam. in meditat.* vbi ex Canonum auctoritate Archiepiscopum vocat primum, & supra Metropolitam. Archiepiscopum Episcopum etiam esse nemo ambigit, ideòque habere Diœcesim propriam, intra quam potestatem suam tanquam Ordinarius exerceat, & ordine inspecto nihil diferre ab Episcopo, idemque sub hac ratione considerandus nobis non est, sed eo agendum cum de Episcopis tractabimus.

3 Archiepiscopus igitur prouinciam habet sub se, pluresque Episcopos; diximus plures; neque enim necessarius est præcisus ille numerus, quem statuit Pelag. Papa relatus *in Can. scitote 6. q. 3.* vt scilicet decem, aut vndecim Ciuitates, aut Episcopos sub se contineat; fuerit quidem congruum tot Episcopis præsidere Archiepiscopum, at non necessarium, vnde nec perpetuum fuit, variatusq; numerus pro rerum exigentia, siuè ad Principum nutum, siuè annorum lapsu, Immò Archiepiscopum etiam sine vllo suffraganeo legas, solo honorario titulo gaudentem, quales voluit esse Concilium Chalcedonense illos, quos Græcorum Imperatorum placitum erigere voluisset; consueuere enim Cæsares in Oriente Episcopum aliquem in Metropolitam erigere, vt assentantium votis annuerent, & eo casu voluit Chalcedonensis Synodus, vt sic euectus nomen, dignitatem, ac Sedem Metropolitæ Imperiali rescripto consequeretur, sed inanem, titulo tenùs, & iurisdictione casam; sunt verba Canonis. *Peruenit ad nos, quod quidam cum præter ritus Ecclesiasticos ad potentatus accessissent per pragmaticas vnam prouinciam in duas diuiserunt, vt ex eo duo essent Metropolitani in eadem prouincia; statuit igitur Sacra Synodus, nè Episcopus deinceps tale quid audeat: quoniam is, qui hoc aggreditur, à suo gradu excidit. Quæcumque autem Ciuitates per literas Imperatoris Metropolis nomine honoratæ sunt, solo honore fruantur, & qui eius Ecclesiam administrat Episcopus, seruato scilicet veræ Metropoli suo iure*: hucusque Canon, quem exponens Theodor. Balsamon subdit, *Eius enim Episcopus ab antiquo Metropolitano ordinabitur, & ab ipso iudicabitur, & ipsi omninò subijcietur.* Confirmat & Zonaras, qui demùm obsoleuisse Canonis obseruationem æuo suo testatur ob Principum auctoritatem. Honorarius igitur erat Metropolita, & titulus sine re; at misso inani hoc gradu, ad veri Metropolitæ auctoritatem, & iurisdictionem in Prouinciam sibi subiectam acedamus. *Can. 11. Cap. Peruen. 101 Dist.*

4 Metropolitani igitur auctoritatem ad duo Summa Capita reuocamus, ad suffraganeorum scilicet consecrationem, siue ordinationem, & Synodorum prouincialium conuocationem, ad quam redigitur & iudiciorum de Causis prouincialibus examen. Vetustissima semper in Ecclesia viguit obseruatio, vt Episcopi de nouo electi à Metropoli-

poli-

politano tanquam proprio consecratore, & à reliquis comprouincialibus Episcopis tanquam adiutoribus conuocatis ordinaretur, vetantibus districtissimè antiquissimis Ecclesiæ constitutionibus aliter fieri; indicat *Canon Apostolorum primus*; testantur vetustissimæ Epistolæ *Clementis*, *Anacleti*, *Aniceti*, & passim Ecclesiastici Annales vbi de noui Episcopi ordinatione incidit sermo. De Epistolarum illarum auctoritate, & fide non est modò differendi locus, vetustissimæ illæ sunt, & ad ritum Ecclesiasticum comprobandum idoneæ, & de his aliàs cum de origine iuris agemus; conuocabantur itaque vacante aliqua prouinciali Episcopatus Sede comprouinciales Episcopi; & certè non alio iussu, aliauè actoritate, quàm Metropolitani; Anicetus vbi supra; *Reliqui verò comprouinciales Episcopi, si necesse fuerit cæteris consentientibus, à tribus iussu Archiepiscopi consecrari possunt Episcopis*. Hæc prouincialis Episcoporum conuocatio Synodus certè fuit, omnem dubitandi occasionem eximit Concilium Antiochenum in ea verba statuens. *Episcopus ne ordinetur absque Synodo, & præsentia Metropolitani Prouinciæ*, & paulò inferiùs *per Epistolam Metropolitanum eos conuocare*. Erat hæc Synodus extraordinaria, & semper conuocanda, ac ferret occasio, ad differentiam alterius Synodi statæ, & ordinariæ, de qua opportunè sumus acturi; & non conuocabatur hæc Synodus ad electionem, sed ad ordinationis solemne perficiendum, cuius ritum exhibent Apostolicæ constitutiones, dum iubent, *vt electo ab omni populo Episcopo nominato, & approbato, conueniat populus cum Collegio Presbyterorum, & Episcopis, qui adsunt in die Dominico, præcipuus ex omnibus*, (vel vt ex Græco) *reliquorum Princeps*; qui certè non alius quàm Metropolitanus, vel Archiepiscopus *interroget Presbyteros, & plebem, an is sit quem petunt in Rectorem &c.* & subinde attexitur tota ordinationis, siue consecrationis ceremonia. Hæc ipsa Metropolitarum iura confirmant, & Epistolæ *Diui Cypriani*, quæ sunt indubiæ fidei. Supponit hęc eadem iura moribus innixa anteriori æuo Concilium Nicænum primum, vbi enim dixit Episcopos comprouinciales conuenire debere ad constituendum nouum Episcopum, mox concludit; *Eorum autem, quæ fiunt confirmationem in vnaquaque prouincia à Metropolitano fieri*. Addere liceat, & Concilium Sardicense, ex quo cura Metropolitani, quem prouinciæ exarchum ibi appellat, in conuocandis Episcopis ad ordinationem apparet; immò & Chartaginense secundum, *Placet omnibus, vt inconsulto Primate cuiuslibet prouinciæ tàm facilè nemo præsumat, licet cum multis Episcopis in quocumque loco, sine eius* (vt dictum est) *consensu Episcopum ordinare*; & demùm omnibus adstipulatur Siricius summus Pontifex, scribens enim ad Episcopos Africæ regulas, ac veluti Canones nonnullos determinat, inter quos ille omnium primus; *Vt extra conscientiam Sedis Apostolicæ, hoc est Primatis, audeat ordinare*.

Per Sedem autem Apostolicam non intelligit Siricius Romanam, sed se conformans Africano-

Epist.1. post med. Epist.3. post princ. Epist.1. post princ. Can.19. in princ. Lib.8. C.2. Ep. 40. 42. 45. & passim. Can. 4. Can. 6. Can. 12. Tom.1. Ep. p.2. p.46.

rum stylo Ecclesiam Metropolitanam Apostolicam appellat; quod factum, & à Tertulliano obseruamus, qui matrices Ecclesias Apostolicas appellat, *à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ cęteræ exinde Ecclesię mutuatę sunt*. Antiquissima hæc monumenta hanc primam Metropolitani auctoritatem probè confirmant, quam etiam per subsequentia sæcula ostendere facilè omnino esset, *ex Innocentij Primi, Leonis Primi, Innocentij III. Gregorij Magni* auctoritatibus, quæ apertissimæ sunt; sed in re compertissima fusiùs non est immorandum auctoritatibus, vna illa *Bernardi* omnium instar erit, qui immutatam hanc disciplinam conquerens hucusque eam viguisse testatur; *Murmur loquor, & querimoniam Ecclesiarum, truncari se clamitant, ac demembrari vel nullæ, vel paucæ admodum sunt, quæ plagam istam; aut non doleant; aut non timeant. quæris quam? subtrahuntur Abbates Episcopis; Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, siue Primatibus; bona ne species hæc? mirum si excusari queat, vel opus.* Obtinuit hæc disciplina priscis Ecclesiæ temporibus; humanarum rerum conditio in deterius labentium exposcere est visa, vt à Summorum Pontificum prouidentia aliqua immutatio circa Episcoporum electionem induceretur, de qua opportuniùs loco suo.

Epist. 1. ad Victor. Rotom. Epist. vnic.
Epist. 84. ad Anastas. Thessalon: C. 2.
Lib 2. Ind. 11. Epist. 32. lib. 4.
Ep. 50. lib. 6 Ind. 15. Ep. 39. & Ep. 14.
De Consid. lib. 3. c. 4. in princ.

Pendebat autem ab Archiepiscopi, & Metropolitani auctoritate non solum noui Episcopi ordinatio, sed & eiusdem confirmatio, immò hæc magis ad ipsum pertinebat; *eorum autem, quæ fiunt confirmationem (ait Nicæna Synodus I.) in vnaquaque prouincia à Metropolitano fieri*, loquens de Episcoporum electione, & ordinatione *Can. innotuit 84. dist. C. cum dilectus de elect. C. inter corporalia de transl. Episc. C. qua fronte de appell.* & quia hæc ipsa confirmatio causa cognita, & re ritè inspecta fieri debebat, ideò eam præcedebat examen ipsius electi, & confirmandi, quod ab ipso Metropolitano fiebat coram comprouincialibus Episcopis, eoque peracto (Si nil Canonicum obstaret) Metropolitanus ipse cum duobus Episcopis ordinabat electum, ac subinde literas ei tribuebat, quibus fidem faceret ordinationis, aliasque insuper mittebat ad Populum, & Clerum Ecclesiæ, à quibus fuerat electus, quem morem testatur codex Canonum Ecclesiæ Africanæ per hæc verba, *Deinde placuit, vt quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur per prouincincias Africanas literas accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum conscriptas continentes consulem, & diem*; quarum literarum vicem subeunt hodie diplomata, siue Bullæ Romani Summi Pontificis. Verùm hæc attigisse satis luculentiùs tractaturis, vbi Episcoporum electionem examinabimus. Transeamus ad secundam principalem partem auctoritatis Metropolitanæ, siue Archiepiscopalis, quæ in Conciliorum conuocatione posita erat. Hæc Concilia constant ex Metropolitano, & Episcopis suæ prouinciæ, & ideò prouincialia, siue Metropolitica appellantur; ea celebrandi quotannis vetustissimum est preceptum in Ecclesia, vel ab ipsis Apostolorum Canonibus promulga-

Can. 4.
Can. 19.

mulgatum, Canone enim 37. statuitur in ea verba, *Bis in anno fiat Episcoporum Synodus, & inter se examinent decreta religionis, & incidentes Ecclesiasticas controuersias componant semel quidem quarta hebdomada Pentecostes, iterum Hyperberethæi duodecimum*; quem mensem Octobris interpretatur ibidem Balsamon, & Zonara confirmauit, & Nicæna Synodus *Can.* 5. Antiochena *Can.* 20. praxisque ipsa, & vsus primis illis Ecclesiæ temporibus commendauit. Ad Archiepiscopum, siue Metropolitanum spectasse ea conuocare ostendendum nobis est, reliqua enim in locum suum sunt transferenda, cum scilicet de Concilijs, & Synodis agemus.

Hæc prouincialia Comitia conuocare munus adeò proprium Metropolitani semper fuit, vt Episcopi prouinciæ absq; eius decreto, & consensu non possent conuenire; apertissimè Antiochenus prædictus Canon, dum ait primò, *Metropolitano prouinciales Episcopos admonente*, & in fine Canonis, *Nec vllis liceat Synodos per se facere sine ijs, quibus sunt creditæ Metrpoles*, Nam & perfectam Synodum dixit Canon Antiochenus XVI. illam, *cui vnà quoque adest Metropolitanus*, sicut & plenarium Concilium ex primatis auctoritate interpretatur Ferrandus Diconus in sua Breniatione Canonum; Vnde conuocante, & iubente Archiepiscopo, & Metropolitano parere, & conuenire tenentur Episcopi prouinciales sub pœna suspensionis à communione; vt statuit Laodicenus *Can.* 16. & 19. Chalcedonensis; sed demùm septima Synodus, quæ fuit Nicæna secunda *Can.* 6. semel tantùm in anno celebrari hæc Concilia decreuit; & æuo suo ea vbique contemni notat *Zonar. ad d. Can.* 37. *Apost.* Concil. tamen *Trid.* ea singulis triennijs saltem conuocari statuit, nec rem adeò salubrem Ecclesiasticę Disciplinæ post habendam censuit *Sess.* 24. *de Reform. c.* 2. Nobis satis Metropolitani auctoritatem in hac parte declarasse, vt peruetusta Ecclesiastica politia innotescat; subdamus quæ recentiorem praxim circa Metropolitanos spectandam exhibeant.

5 Metropolitanum igitur dupliciter possumus considerare, primò, vt in se, & cum respectu ad propriam Diœcesim; secundò, respicit prouinciam suam, & subditos sibi suffraganeos; consideratus sub primo respectu idem est, ac purus Episcopus, vnde omnia iura, onera, & potestas, ac iurisdictio, quæ in quolibet alio Episcopo ponuntur; & in ipso sunt statuenda, de quibus in propria de Episcopis tractatione differemus. Duo nihilominùs singulariter in metropolitano veniunt notanda, per quæ ab Episcopis adhuc distinguitur. Primum respicit electionem, & consecrationem, siue ordinationem; Metropolitanus enim debet eligi à Comprouincialibus Episcopis, qui plenum ius suffragij habent, cum enim ab eo pendere debeant, eorum etiam intererat qualis homo ipsis præficeretur *Cap. Metropolitano* 63. *Dist. S. Leo Ep.* 88. at verò consecrari à Patriarcha omnibus alijs præsentibus Episcopis, vel saltem, quo casu legitimo impedimento sint detenti, per literas consentientibus *C. quia per ambitionem* 64. *Dist. C.* 1. 66. *Dist.* Nisi fortè is esset Archiepiscopus,

qui

qui se exemptum à Patriarchæ auctoritate in hac parte profiteretur, qualis olim Archiepiscopus Constantiæ in Cypro, quem Synodus Ephæsina ordinandum à sua Synodo Prouinciæ decreuit, & non ab Antiocheno Episcopo, quam exemptionem obtinuit, duplici de causa, prima fuit nauigationis incommodum; vbi enim hiemali tempore Metropolitanus moreretur, Antiochenus Cyprum proficisci, aut Cyprij Episcopi Antiochiam, non poterant; ne igitur sine Metropolitano per plures menses manerent, ordinatio ipsis est relicta; secunda ratio fuit dirum schisma, quod per annos quadraginta octo Antiochenam Ecclesiam, vexauit, de quo *Baron.* cum enim tres primo essent Antiocheni Patriarchæ, & deinde duo, quem magis consulerent Episcopi Cyprj ignorabant, & ideò suum sibi Metropolitanum ordinarunt, & subinde posteri hanc ipsam ordinationem sui iuris esse crediderunt, sicque Metropolitanus Cyprius à Patriarchæ Antiocheni iure subtractus remansit.

Annal. tom. 3. ann. 360. & succes-siue.

Secundum verò, in quo differt Metropolitanus est, quod vt cumque ritè consecratus, & possessionem etiam sit adeptus non potest tamen se Archiepiscopum nominare, aut munera exequi quæ sunt potestatis ordinis, aut iurisdictionis nisi pallium à legitimo superiore suo acceperit, vnde nec conuocare Concilium, nec Chrisma conficere, nec dedicare Basilicas, ordinare Clericos, nedum Episcopos potest consecrare *C. nisi specialis de auct. & vsu pal.* At consideratus Metropolitanus in ordine ad suam prouinciam plura potest, pluraque ei incumbunt, quam alijs Episcopis; præter illa enim, quæ supra sunt considerata, generaliter ipsi super tota prouincia, & suffraganeis sibi subiectis excubandum est attentèque curandum vt Ecclesiastica disciplina exactè custodiatur, vt suffraganei ipsi resideant, & quo casu absint ab Ecclesia sua, inquiret super causis absentiæ iuxta Concilij Tridentini Decretum *Sess. 23. de reform. C. 1.* Vt ius, & iustitiam subditis suis ministrent munerique suo in nulla parte desint *Gloss. ad C. Conquestus 9. q. 3.* & in omem euentum agere cum ijsdem poterit suspendendo, interdicendo, excommunicando *C. Venerabilis, & ibi Ab. de Sent. excom. C. 1. §. fin. de off. ord. in 6.* Negligentiam illorum supplebit in ijs, quæ ex munere præstare tenentur *C. cum simus 9. q. 3. C. 1. §. sanè de censib. in 6.* Notabilis autem est altercatio inter scribentes; an scilicet ob solam negligentiam Episcopi fiat deuolutio ad Metropolitanum; disceptant hinc inde variè sentientes, sed demùm illa obtinuit sententia negligentiam solam non esse sufficientem deuolutionis causam, nisi in casibus à iure expressius, hæc enim deuolutio immediatè non deducitur ex natura rei, aut ex ratione aliqua conuincenti, sed ex iure constituto, & Canonici Iuris decretis, & ideò in ijs terminis, & casibus locum sibi vindicabit in quibus fuerit expresse statutum eam locum habere, vt indicat apertè *tex. in C. 1. de suppl. neglig. præl. in 6.* casus passim pro diuersitate materiæ recensent scribentes; à quibus enumerandis iuxta institutum nostrum temperamus.

Non solùm autem circa suffragane-

ganeos versatur Metropolitani auctoritas, sed etiam ad subditos ipsorum suffraganeorum extenditur, sed duplici medio huius auctoritatis exercitium competere potest, aut scilicet per appellationem, aut per visitationem, hæc enim duo media ius communè constituit, per quæ agere in subditos suffraganeorum possit Archiepiscopus, & iurisdictionem ipsam exercere, extra quæ nihil potest, apertissimè *tex. in cap. 1. de suppl. neglig. prælat. C. pastoralis in pr. de off. ord. C. Romana C. Venerabilibus. De Sent. excom. in 6.*

Causæ igitur subditorum Episcopis ad Metropolitanum per appellationem deuoluuntur *C. 1. de off. ord. in 6. cap. 1. de foro compet.* idque adeò verum, vt etiam si Episcopus exerceat aliquid iure accidentali, siue iure speciali, & non iure communi, nihilominus tamen appellatio ad Metropolitanum sit facienda. Vnde si iurisdictio Episcopi à Summo Pontifice in aliqua causa fuerit excitata, quod tunc factum intelligimus, quando Pontifex committit causam Episcopo, quam nihilòminus iure suo ipse potuisset cognoscere, adhuc appellatio ad Metropolitanum spectabit, secus si esset propriè delegata, quia tunc appellandum esset ad delegantem *C. licet. 12. de off. Iud. Deleg. & exactè Sigismund. Scaccia*, & post eum *Augustin. Barbosa* latissimè, vbi, & per plures limitationes casus enumerat, in quibus extra causam appellationis ordinariam potestatem in subditos suffraganei potest exercere; qui facilè apud eundem possunt videri.

De Appellat. lib. 3. c. 2. q. 8. n. 88. & seq.

Iur. Eccles. Vniu. lib. 1. c. 7. nu. 52. & seqq.

At præcipuè potest Metropolitanus iure suo prouinciam visitare, & eo nomine procurationem exigere à subditis suffraganeorum. *C. cum Apostolus, & ibi Gloss. in verbo Archiepiscopi C. sopitæ C. super eo de censib. C. cum ex officio de præscrip. Cod. 1. de censibus in 6.* tuncque potest confessiones eorumdem audire, & absoluere à casibus reseruatis, & censuris tam per se, quàm per alios, quo tempore enim visitat censetur illa Diœcesis tanquam sua, & habet in ea iurisdictionem quasi Episcopalem Episcopo superiorem, præcipuè in foro conscientiæ, & interiori, in quo poterit etiam dispensare. Quamuis per *Concilium Trident. sess. 24. de reform. Matrim.* C. 3. sit statutum, ne possit Archiepiscopus Diœceses suffraganeorum visitare nisi causa cognita, & probata in Concilio prouinciali, & tunc habebit potestatem illam, quæ iure communi ante *Concil. Trid.* competebat, & illa etiam exequi poterit, quæ fortasse à Concilio prouinciali ipsi committerentur. Non tamen potest ordinare, au dimissorias literas concedere, quia nullibi à iure hoc ei reperitur indultum, immò nec iurisdictionem fori contentiosi in subditos suffraganei exercere, exceptis criminibus notorijs, & contra impedientes ipsius iurisdictionem.

Vltimò demùm considerari potest Archiepiscopus in euentum vacantis sedis Episcopalis alicuius ex suffraganeis suis; & si enim vita functo, excommunicato, aut in captiuitatem redacto Episcopo Ecclesiæ vacantis administratio ad Capitulum eiusdem Ecclesiæ spectet; *C. Non licet alicui 12. q. 2. C. 1. penult. & ult. de suppl. neglig. prælat.*

lat. in 6. attamen in duplici casu potest, immò debet, Metropolitanus auctoritatem ordinariam suam pro recta Ecclesiæ vacantis administratione impendere. Alter est, cum Ecclesia ipsa vacans nullum idoneum habet ministrum *d. C. Non licet alicui*; puta si Ecclesia non habeat capitulum actu, sed habitu tantùm, vel si nulli ex Canonicis existant, & sint idonei sint tamen negligentes, tunc enim poterit Archiepiscopus visitatorem, administratorem, aut œconomum instituere prout opportunum videbitur, cum aliàs visitatorem Ecclesiæ vacanti deputare nemo alius pòssit nisi Romanus Pontifex C. *fin. de supl. neglig. præl. in 6.* quod quidem ius ipsum nouissimè confirmauit *Concilium Trid. sess. 24. de Reform. c. 16.* statuentes, vt vacante Episcopali Ecclesia si Capitulum intra octo dies Vicarium, seu officialem non elegerit, vel elegerit non idoneum, Archiepiscopus consulat, ac deputet; Hæ sunt partes, circa quas versatur Archiepiscopi munus, quas generaliter recensuisse, ac ponderasse nobis satis, singularia enim ad praxim remittimus, ad quam descendere instituti nostri non est; prostant Auctores luculentissimè tractantes. *Azor. Inst. Mor. p. 2. lib. 3. c. 33. Quaranta in summa bullarij. Verbo Archiepiscopi auctoritas. Marc. Ant. Genuens. in praxi Archiepiscop. cap. 70. August. Barbosa Iur. Eccles. Vniuer. lib. 1. cap. 7.* à quibus mutuari magis singularia curiosus quilibet facilè poterit. Transeamus ad Episcopos.

CAP. XV.

De Episcopis.

1 *Episcopatus inducendi intentio, & partitio tractationis in capita.*
2 *Institutio, & origo Episcopatus detegitur, & nominis ratio expenditur; differentia ab Apostolatu.*
3 *Obiectio excitatur, & soluitur.*
4 *Episcopatus à Diuino Iure.*
5 *Episcopi quatenus Apostolorum successores, & congruè, ac necessario instituendi.*
6 *Quæ nouatores contra Diuinam Episcoporum institutionem, eaque soluuntur.*
7 *Vtcumque nomen Episcopi olim fuerit commune cum Presbyteris, gradum tamen semper fuisse diuersum.*
8 *Quæ potestas Episcoporum, eamque competere ostenditur remissiuè.*
9 *Potestatis quæ excellentia; & amplitudo, ex consideratione duplicis Corporis Christi veri, & mystici.*
10 *Episcopatum esse verissimum ordinem, & quæ eius munia.*
11 *Quæ potestas iurisdictionis, eaque duplex.*
12 *Potestas iurisdictionis in foro vnde processerit exactè inquiritur, & vnde procedat.*



CONSIDERAVIMVS hucusque gradus, qui in Sacra Republica regimine exercent, & sunt instituti, vt vnitas, quę in omni politia spectanda quidem est, at in Ecclesiastica maximè, vt

vtpotè per Orbem dispersa, ac diffusa seruetur, iam nunc ad Episcopatum deueniendum nobis est tanquam Magistratum Ecclesiasticę politiæ fundamentalem, ordinarium, & ab ipso Christo Domino institutum ad perenne Ecclesiæ à se fundatæ, atque redemptæ regimen.

1 Quia igitur Princeps non tam Magistratus, quàm apex Magistratuum, apprimè nouit Dei sapientia, non satis Principem, & Caput Ecclesiæ pręfecisse, nisi & Magistratus adderentur, qui à supremo capite pendentes Rempublicam ad mystici corporis tutelam, ac conseruationem vnà cum capite, mutuato ab eodem influxu, conspirarent. Episcopatus is est, ijque Episcopi, quorum consideratio ad faciliorem explicationem in plures articulos diuidenda est, & primò institutionem, & originem detegemus.

2 Monarchicum Ecclesiæ regimen Christus instituens, vt iam supra à nobis fundatum, Petroque toti Ecclesiæ tanquam ordinario Pastore, & capite præfecto, tria sanè præclara in eodem cumulauit; Principatum scilicet, quo rationem capitis in mystico corpore gereret, Apostolatum, & Episcopatum; per Principatum omnibus præesset, & Apostolis ipsis, per Apostolatum ijsdem par esset, per Episcopatum quodammodò subesset; vt caput omnia posset, vt Apostolus, omnia, quæ & reliqui, vt Episcopus regeret priuatum gregem; à capite Patriarchalium Sedium institutio, ab Apostolatu Episcoporum ordinatio, ab Episcopatu Presbyterorum consecratio.

Primus ille, supremusque gradus, & ordinarius, & perpetuus esse debuit, tertius itidem, secundus in Petro quòad pleraque ordinarius, at quòad reliquos extraordinarius in totum, & tanquam iniuncta personis legatio, tota extraordinaria, & cum personis expiratura; Ecclesiam igitur nunquam Capite, aut Magistratibus destituendam disposuit, & instituit. Prima verò Politiæ erectio ab Apostolorum electione exordium sumpsit *quandò vocauit discipulos suos* (ait Diuus Lucas) *& elegit duodecim ex ipsis, quos, & Apostolos nominauit.* c.6. Hanc electionem, ac destinationem amplissimis muneribus instruxit; misit enim eos ad prædicandum, potestatem addidit ad curandos infirmos, mortuos sucitandos, leprosos sanandos, dæmones eijciendos, nec satis ad singula hæc mirabiliter patranda dedisse potestatem, sed supremam quasi manum apponens latissimam, nullisque circumscriptam limitibus addidit, & qualis ad disseminandum per totum Orbem Euangelium necessaria erat, dum dixit, *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ioan.c.20.

Mirum! quæ, & quanta amplissima hac delegatione comprehendat! Verùm quia Apostolica hæc potestas, vtpote specialiter delegata, cum Apostolorum vita erat expiratura, alia fuit addenda potestas, qua Ecclesiastica moles vsque ad consumationem sæculi duratura administraretur, ideò Christus ligandi, atque soluendi potestatem in vtroque foro ijsdem Apostolis tradidit. *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terra erunt ligata & in Cœlo*; & alibi, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum reti-* Matt.c.18 Ioan.20.

nueritis, retenta sunt, & demùm baptizandi, & docendi addidit potestatem: *Euntes igitur docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; quæ singulæ potestates in Ecclesiastica Republica administranda semper necessariæ gradum etiam inuexerunt in Ecclesiam ordinarium, qui, & tanquam ordinarius Magistratus Ecclesiæ ipsius regimini incessanter præesset, ac veluti fundamentum quodam gradibus alijs, vtcumque sublimioribus, substerneretur. Vnde Apostolatus ipse, Patriarchatus, Archiepiscopatus Episcopum inuoluerent, & simul aliud quidpiam Episcopatu sublimius. Episcopatus autem nomine visus est hic Magistratus, & hic gradus donandus, quia tanto muneri visum est aptissimè hoc nomen arridere.

Matt. cap. vlt.

Peruetustum enim est nomen, & apud Ethnicos etiam veteres frequenter in vsu, apud quos magistratum significauit, cui demandata erat panis, & cæterorum cura, quę Ciuitatum populis quotidianum victum suggerunt, vt loquitur *Iureconsultus in l. fin. ff. de muner. & honor*; quia igitur Ecclesiastici Antistitis est, tanquam speculator attentè excubare super moribus, religione, salute crediti sibi gregis, spirituale pabulum ipsi procurare, ac ad æternam vitam dirigere, hinc est, quod proprium, ac planè adequatum visum est Episcopi nomen, & ab Ethnico vsu aptissima analogia ad principale in ecclesia hoc munus transferendum; cui quidem prolusit & Regius Propheta *Dauid*, dum spiritu prospiciens Iudæ lapsum cecinit *fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter*. In primis ergo nascentis Ecclesię cunabulis, immò & cum ecclesia ipsa, hoc Episcopi nomen cępit esse in vsu, vt ad uertere licet ex *Baronio*, & ad eum præcipuè demonstrandum adhibitum, qui supra Presbyteros, & Clericos omnes, sed & Laicos in spirtualibus constitutus auctoritatem supremam quidem, sed subordinatam obtinuit, & obtinet; hæcque nominis huius applicatio apertè indicat, quantum distet Episcopalis gradus ab Apostolatu, qui Episcopatu est superior, & presbyteratu, qui longè inferior, ad retundendam illorum peruicaciam, qui Apostolatum ita extenuarunt, vt ab Episcopatu merè accidentali exigua differentia segregarint, & presbyteratum sub nominis communione ita cum Episcopatu confuderint, vt vix discrimen inter vtrumque admitterent; omnes eo intuitu, vt Hierarchicam seriem in Ecclesia, licèt diuersa via, preturbarent, ac tollerent; vnde Apostolatum in eo positum voluit ex ijs quispiam, & eo vno ab Episcopatu distingui, quod Apostolus alius non sit, nisi discipulus Christi familiaris, & testis oculatus vitæ, & doctrinæ eius, ab eodem Christo destinatus, & missus ad prædicationem. Quam quidem Apostolatus formalem rationem si spectes, dices tandem Apostolatum ab Episcopatu sola temporis prærogatiua differre; nam Apostolus vidit Christum in carne, audiuit prædicantem indiuiduus comes, & spectator operum eius, & immediatè ab eo missus ad Euangelij disseminationem; vnde factum, vt donati Apostoli per amplissima illa verba *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, summa potestate, & ipsi mitterent, & quos

Psalm. 108

Tom. 1. An. nal. An. 51

quos

quos ad fundandas, & regendas Ecclesias mitterent, eo ipso Episcopos cum pari mittentium potestate constituerent, vna illa præeminentia excepta, quæ planè incommunicabilis erat, nempe vt essent oculati testes vitę, & resurrectionis Christi, ab eoque immediatè vocati, & missi ad euangelizandum, quæ in facto consistens erat merè personalis dignitas Apostolorum.

Cęterùm Apostolatus quidem Episcopatus est, sed dignitas Episcopatu longè eminentior, sicut Patriarchalis, & Archiepiscopalis dignitas Episcopatus est, sed Episcopatu ipso excelsior, longèque sublimior; sit quidem proposita illa inter Episcopatum, & Apostolatum differentia, sed non sola, plures aliæ viguerunt, & vigent, quæ propriç ipsius Apostolatus cum Apostolorum vita interiere; Apostolatus enim propriè sumptus in vniuersum Orbem extenditur, Episcopatus verò vni addictus prouinciæ, vni Diœcesi; Apostolatui fuit adnexa virtus eximia prodigiosa operandi, pluraque alia adiecta gratiæ dona, quæ quidem ad nascentem Ecclesiam fundandam erant omninò necessaria, sed hæc, vt fuerunt extraordinaria, in ordinariam Episcopatus dignitatem non migrarunt. Debebant esse Apostoli prima surgentis Ecclesiæ fundamenta, ideòque debuit & ipsis adesse potestas ędendi Sacras Scipturas, easque condendi, quod nunquam Episcopis datum, Apostolorum doctrina vel eo nomine solo, quod Apostolica est, vt sacra, & irrefragabilis colitur, quod Episcoporum doctrinæ, quatenus Episcopalis est, nunquam tributum. Demùm Episcopus vnus, & solus alium Eipscopum ordinare non potest, vetante *Can. 1. Apostolorum*, & Apostolorum constitutionibus, *Lib. 3 C. 20* quæ statuunt Episcopum à tribus, vel duobus ad minus Episcopis ordinari; at Paulus solus Titum, ac Timotheum ordinauit, sicut Apostolorum quilibet alius. Demptis igitur extraordinarijs hisce dotibus, quæ ita Apostolis datæ, vt tamen ad posteros non essent transituræ, Apostolatus re vera nil aliud est nisi Episcopatus, at non continuò rectè inferas Episcopatum esse Apostolatum propriè, & verè sumptum.

3 Neque hanc inter Apostolatum, & Episcopatum differentiam, Apostolorum, & Episcoporum disparitatem vel minimùm lædes, si obijcias, à Christo Domino Apostolis dictum; *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; indeque inferas, quod sicut Christus mittendo Apostolos eos cum tota eadem sua potestate misit, & Episcopos instituit, sic & Apostoli, cum Episcopos ad Ecclesias regendas mitterent, illos cum tota, eaque Apostolica auctoritate ordinauerint, indeque factum deducas, vt Sancti Patres vnanimiter Episcopos Apostolorom successores nuncupauerint, *Clemens*, *Anacletus*, *Xyxtus Primus*, *Cyprianus*, *Augustinus*, *Hieronymus*, *Chrisostomus*, & omnes alij fermè, quod effatum consistere non potest cum tanta Apostolorum, & Episcoporum diparitate; aut enim pares omninò debent dici Episcopi, & Apostoli, excepta exigua illa, iam suprà relata differentia, aut cum veritate enunciari non potest, Episcopos in Ecclesia esse Apostolorum successores.

Epist. 1. & Const. Ap. lib. 28. vlt. Epist. 2. Epist. 2. Bib. 2. Epist 10. & lib. 4. Ep. 9. De baptis. cont. Donat. lib. 7. c. 43. Epist. 13. & 54. serm. de Anathem.

Namnemo est, qui non videat, vtcumq; ampla verba illa, *sicut misit*

sit me Pater, non esse tamen ita accipienda, vt per ipsa communicata, ac transmissa in Apostolos quęlibet Christi potestas credatur, neque enim translatam potestatem excellentiæ dixeris, quæ Deo homini adeò propria, vt homini puro non veniat communicanda; immò si ipsa Christi verba obserues, comperies quidem, dedisse ipsum Apostolis similem, at non eandem, quam ipse habuit, potestatem, qua ad regendam Ecclesiam vterentur, cum debita ad Petrum subiectiua relatione; neque inferre inde rationabiliter licet, quod missos voluerit ita Apostolos *Sicut misit me Pater*, vt & ipsi mitterent, ac ordinarent Episcopos, eandemque tribuerent ijsdem potestatem, quam ipsis, mittendo, tribuisset, fuisset hoc à Christo Domino dicendum, si hoc intendisset, neque à Diuino ore omissum ex humano audacis cuiusque capite est supplendum; inuoluatur quidem in verbis illis plena ad Episcopos ordinandos potestas, quando ad propagationem, ac regimen Ecclesiæ erat omninò necessaria, at par ad omnia potestas non item, vtpotè nec necessaria; Saluatur verborum illorum, *sicut misit me Pater*, proprietas, impletur similitudo iuxta sensus varios, quos Sancti Patres ijsdem tribuunt; *sicut misit me Pater*, exposuit *Gregorius*, *ea charitate vos diligo, cum inter scandalum persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit*; quam expositionem probauit, *&* *Petrus Chrysologus*, *sic & ego mitto vos* (inquit Chrysologus) *ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squalorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum, ad subleuandum cunctis execrabile mortis iugum, quę omnia charitas vtique humanis mentibus imperat, non potestas*. *Chrysostomus* similitudinem tantùm in offitio, ac ministerio per ea verba agnoscit; *Quare hoc dicit*? Sunt verba Chrysostomi, *eorum animos erigit*, *&* *suam proponit auctoritatem*, *siquidem suum eis erat relicturus ministerium*. *Cyrillus Alexandrinus* similitudinem ponit in prædicandi, ac docendi munere, relatis enim Christi verbis subdit; *Ordinauit his verbis Orbis Doctores*, *&* *Diuinorum Mysteriorum Ministros*. *Augustinus*, *&* *Beda* ab ijsdem verbis omnem excludunt similitudinem, & solum mediatorem per ea indicari volunt; *Medium quippe se ostendit dicendo, ille me, & ego vos*. *Cyprianus* demùm similitudinem in potestate reponit, ac vt similem agnoscit, non tamen asserit eandem; quod si horum verborum is esset sensus, quem hucusque exclusimus, credibile non est, Patres eum omissuros fuisse. Dixerunt quidem Sancti Patres iam supra enumerati, Episcopos esse Apostolorum successores, at non ità, vt transmissam in eosdem Apostolicam formalem potestatem velint, & secundùm eius plenitudinem. De successione Episcoporum in Apostolorum locum abundè alibi supra à nobis dictum; summa illa sit; dici quidem succedere Episcopos Apostolis, primò ratione Sacri Ordinis Episcopalis, secundò per analogiam, & proportionem, quæ sic exponitur, vt sicuti Christo Domino in terris degente primi sub ipso erant Apostoli, & post eos Discipuli septuaginta duo,

Hom. 26. in Euang. *Serm. 64.* *Homil. 85. in Ioan.* *Lib. 12. in Ioann. c. 55 in pr.* *Tract. 131. in Ioann.* *Lib. de Vnit. Eccl.*

ità modò in Eccleſia primi poſt Romanum Pontificem ſunt Epiſcopi, poſt eos Presbyteri, ſubinde Diaconi. Malè habet eruditum aliquem virum hæc Epiſcoporum ſucceſſio reſpectu Apoſtolorum per analogiam, & mauult dicendum, ſucceſſores quidem Apoſtolorum eſſe Epiſcopos in ijs, quæ ordinariæ poteſtatis ipſis collatæ debebantur, non in ijs, quæ extra ordinem ad tempus conuenire debebant, quod demùm nil aliud eſt niſi non ſucceſſiſſe eos in Apoſtolica illa legatione, quæ tota extraordinaria Apoſtolis erat iniuncta, & cum eorum vita expirauit; quod, vt veriſſimum eſt, ita ſupponit differentias illas, quas iam ſupra inter Apoſtolatum, & Epiſcopatum aſſignauimus.

4 Ex quibus conſequitur euidenter, ac neceſſariò Epiſcoporum inſtitutionem, & gradum Epiſcopalem à iure Diuino eſſe, cum enim tum in veteris legis monumentis promiſit, tum in natiuitate ſua, quaſi erumpente Eccleſia, in paſtorum typo confirmauit, & demùm peracto redemptionis opere ad patrem reuerſurus re ipſa, & inſtituit, & præbuit. Promiſit in veteri Lege apud *Ieremiam*. *Et dabo vobis Pa-*
Cap. 3. 15. *ſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina*; & alibi
C. 23. idem propheta; *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, & ſuſcitabo ſuper eos Paſtores, & paſcent eos, non formidabunt vltra*; & re ipſa in veteri Lege ſui extitere Paſtores, quos paſſim Iſaias, & Ieremias tanquam parùm vigiles, ac ſolertes reprehendunt; habuit veteris Legis ſtatus ſacra officia tum Sacerdotum, tum Leuitarum, quibus ordinaria docendi, ac regendi poteſtas addita erat, eaq; per diuerſa loca diſtributa, quæ quidem futurum in vera eccleſia Paſtorum regimen prænunciabat. In ipſo natiuitatis ſuæ primordio, cum iam vera eccleſia erumperet, proponuntur ſtatim, & adſunt Paſtores; *Paſtores erant eadem Regione* Luce c. 2.
vigilantes; Myſteriumque ſtatim retegit *Ambroſius*. *Videte Ec-* Comment. in Lucam ibid.
cleſiæ ſurgentis exordium. *Chriſtus naſcitur, & paſtores vigilare cæperunt, qui gentium greges pecudum more ante viuentes in caulam Domini congregarent*: & paucis omiſſis concludit demùm. *Grex igitur populus, nox ſeculum, Paſtores ſunt Sacerdotes*.

Paſtorem tandem ſe ipſum Chriſtus expreſſit, & Paſtorem, ad cuius exemplar futuri in eccleſia ſua Paſtores paſtorale munus con- Ioann. 11 14.
diſcant. *Ego ſum Paſtor bonus*; *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis; Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, fugit*. Quos autem ſub Paſtorum & nomine, & munere præfigurans eccleſiæ ſuæ promiſit, hos demùm ipſe inſtituit, oreque ſuo in terris degens, & vocauit, & eccleſiæ præfecit, dum ex diſcipulis, & eorum maiori numero duodecim elegit. *Vocauit* Luce 6. 13
enim diſcipulos ſuos, elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit, electis extraordinariam tradidit poteſtatem curandi infirmos, dæmones eijciendi, miracula patrandi, cum facultate etiam alios ſimiliter mittendi; *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, cum pari ordinaria poteſtate, quam ijſdem Apoſtolis fuit largitus, & quia ſimul,

& ſe-

& ſemel eoſdem, nedum Apoſtolos, ſed & Epiſcopos creauit: ita, vt Apoſtolus eſſet extraordinarius gradus pro ſurgentis eccleſię ſtatu, & euangelij propagatione neceſſarius, epiſcopatus verò ordinarius per totum æuum in eccleſia manſurus, vtpotè fundamentalis ad Reipublicæ regimen exercendum; Cum igitur Apoſtolatus idem ſit, ac Epiſcopatus, ſed eminentior, ſicut ex verbis Dauid, *& Epiſcopatum eius accipiat alter* arguit *Ambroſius* dum ait, *caput itaque in Eccleſia Apoſtolos poſuit, qui legati Chriſti ſunt, ſicut dicit idem Apoſtolus, pro quo legatione fungimur; ipſi ſunt Epiſcopi, firmante illud Petro Apoſtolo, & Epiſcopatum eius accipiat alter*: & Apoſtoli ſunt Epiſcopi, vnde & Epiſcopi dicuntur Apoſtoli adeò, vt quamuis aliqua differentia inter Apoſtolatum, & Epiſcopatum vigeat, & inter Epiſcopum, ac Apoſtolum, attamen hæc nomina conuertuntur, & ſicut Apoſtoli dicti Epiſcopi, ità Epiſcopi dicti Apoſtoli, *Paulus* enim Epaphroditum auditorem ſuum, & cooperatorem Philipenſium vocat Apoſtolum, & *Petrus*; *memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborum à Sanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum.*

In 1. ad Corinth. c. 12. ſi volo etus.

Ad Philipenſ. c. 2. 25

Ep. 2. c. 25.

Cum igitur (inquam) Apoſtolatus, vtcumque ſublimior, ſit Epiſcopatus, Apoſtoli Epiſcopi, non poſſumus Apoſtolatum, & Apoſtolos à Deo inſtitutos agnoſcere, quin & ſimul Epiſcopos, & Epiſcopatum diuini & operis, & iuris agnoſcamus; ſic enim *Cyprianus* ad Rogatianum; *Meminiſſe autem Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, ideſt Epiſcopos, & præpoſitos Dominus elegit*, & ideò epiſcopalem ſedem, Sedem Apoſtolicam non veretur nuncupare *Sidonius* ſcribens Lupo Epiſcopo: *cum poſt deſudatas* (ait) *militiæ lirinenſis excubias, & in apoſtolica Sede nouem iam decurſa quinquennia*: per apoſtolicam ſedem aliam certè non intelligit niſi Epiſcopalem, nec deſunt eiuſdem *Sidonij* auctoritates, quibus paſſim Epiſcopatum Apoſtolatus nomine exprimit, ſicut nec aliorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum teſtimonia hiſce nominibus promiſcuè vtentium, indeque meritò eandem vtriuſque inſtitutionem, & eundem vtriuſque auctorem arguimus.

Lib. 3. Ep. 9 circa med.

Lib. 6. ep. 1.

Lib. 6. Ep. 4 & 7. Lib. 7. Ep. 4

Baſil. Ep. 55 ad Ambroſ.

5. Et ideò iuſtè, ac verè Epiſcopos Apoſtolorum Succeſſores denominauimus & aſſerimus, nec figura tantùm & ſimilitudine, ſed ita, vt eundem locum, & auctoritatem (quà ordinaria eſt) retineant, & habeant, quod tamen non pugnat cum eo, quod aliàs dictum, ſucceſſores ſcilicet Apoſtolorum eſſe Epiſcopos per analogiam: conferri huc poſſet Sanctorum Patrum agmen hanc Epiſcoporum ſucceſſionem in locum Apoſtolorum conteſtantium, at vno, aut altero ex vetuſtiori, & medio æuo contenti erimus. *Clemens Romanus*; *Epiſcopos igitur vicem Apoſtolorum gerere Dominum docuiſſe dicebat* (Petrus ſcilicet,) *& reliquorum diſcipulorum vicem tenere presbyteros debere inſinuabat*: *Et Epi 2. in pr. Dominus noſter mittens vos vice ſua in loco Apoſtolorum ad prædicandum.* *Anacletus*; *qui etiam* (nempè Apoſtoli) *iubente Domino in toto Orbe diſperſi Euangelium prędicauerunt, ipſis quoque decedenti-*

Epiſt. 1. poſt med.

Epiſt. 2. in med.

dentibus in locum eorum successerunt Episcopi. Vetustiorum denìum claudat agmen *Cyprianus Cornelio Romano Pontifici* scribens. *Hoc enim vel maximè, frater, laboramus, & laborare debemus, vt vnitatem à Domino, & per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus.* Asserit idipsum apertè *Hieronymus*. *Absit, vt quidpiam sinistrum de his loquar qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt.*

Lib. 1. Epist. 10. vers. fin.

Epist. 1. ad Heliod.

Generaliter quidem de Sacerdotibus loquitur, sed tamen nec Episcopos inde secernas. Expressiùs alibi. *Episcopi, ac Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum*; præcisè ad Marcellam. *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos* (Montanistas scilicet) *Episcopus tertius est.* Nefas sit assertorem huius dicti omittere *Augustinum in comment. in Psalm. Genuerunt te Apostoli, ipsi missi sunt, prædicauerunt, ipsi Patres. Sed nunquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt &c. Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia, absit; pro patribus tuis nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi; hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum vnde nati sunt?* Claudit omnium testimonia *Gregorius Magnus*. *Horum profectò* (Apostolorum) *nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, ligandi, atque soluendi auctoritatem suscipiant, qui gradum regiminis sortiuntur.* Quæ quidem cumulatæ Sanctorum Patrum auctoritates ad intentum principale egregiè concludunt, dum enim successionem Episcoporum in locum Apostolorum quòad ordinariam auctoritatem confirmant, & eorumdem Episcoporum institutionem Diuinam supponunt, vnde fas sit rationem adstruere; si enim ex eo, quod Diuus Petrus sit institutus à Christo Domino Caput totius Ecclesiæ colligitur, iuxta Catholicam fidem, & Sacrorum Doctorum vota, Romanum Pontificem Petri successorem Diuino Iure eiusdem Ecclesiæ caput institutum fuisse, & potestatem Petro collatam, vtpote ordinariam, ad eius personam non esse limitatam, sed eodem iure in successores transire; cur & de Episcopis respectu Apostolorum idem non est asserendum? potestatem scilicet ad Ecclesiæ regimen necessariam Apostolis non ita tributam, vt cum eorum vita expiraret, sed ita impertitam, vt quòusque duraret administranda Ecclesia, & potestas ipsa in Apostolorum successoribus, quà ordinarium, ac perpetuum est ipsorum munus, interminata consisteret. Congruum autem nedum, sed immò necessarium id omnino fuit, vt pastores Ecclesiæ suæ præficeret Deus, qui capita, & fundamenta essent; capita ratione dignitatis, fundamenta ratione necessitatis.

Epist. 13. ad Paulin.

Epist. 54.

Psalm. 44.

Homil. 26. in Euang.

Congruum fuit Ecclesiasticam Hierarchicam ad exemplar Angelicæ, & Cœlestis institui, quæ ita disposita est, vt superiores Angeli inferiores sibi subiectos purgent, illuminent, ac perficiant, non quidem mero voluntatis arbitrio, sed ipsa naturæ spiritualis lege à Deo indicta; vnde & Ecclesiastica debuit habere pastores ex muneris, seù offitij obligatio-

gatio-

gatione docentes, & regentes, quibus pari obligatione inferiores debeant esse subiecti. Si autem ad magis sensibilia descendamus, exemplar haud minùs patens natura ipsa exhibuit; matrimonium carnale inter homines adeò necessarium intuemur nulla alia de causa, nisi vt Pater certus adsit, qui sobolem susceptam nedum alat, sed & educet, ac instituat, non solùm secundùm rationem rectam, ac vitam moralem (quod in vnaquaque secta fieri potest) at secundùm religionem, fidem veram ità, vt filij nascentes recta institutione fiant membra viua Ecclesiæ, verumque Deum agnoscant, ac ritu vero colant, & adorent, quæ ratio concubitum vagum, & fornicarium inter homines, tamquam inordinatum damnat. Si in vita naturali, & morali pater ideò requiritur, isque certus; quis credat in vita spirituali, per quam regeneramur, ac renascimur in Christo, Deum non instituisse spirituales patres, qui fideles sibi creditos in vita spirituali instituant, foueant, & ab ijs, qui huic vitæ insidiantur, eos tueantur? non ex charitate quidem, sed ex munere, & indita obligatione; quæ quidem, nedum congruam Episcoporum institutionem, sed & necessariam ostendunt.

Namque necessitatem temporalis Reipublicæ exemplum confirmat, quę sine Magistratu consistere non potest, neque enim magis Ecclesiastica sine Rectore, ac Præside valet subsistere, vnde *Martyr. Ignatius*, vbi de Episcopo, presbytero, & Diacono verba fecit, mox subdit, *sine ipsis Ecclesia electa non est, neque collectio Sanctorum, neque Congregatio Sancta*. *Tertullianus* Hæreticorum conuenticula à vera Ecclesia distinguit, quòd apud illos omnia inordinata omnia confusa. *Plerique nec Ecclesias habent*, ait Tertullianus, *sine matre* (hoc est Matrice Ecclesia) *sine sede* (hoc est Episcopali Cathedra,) *orbi, fide extorres sine lare vagantur*; Inferius. *Vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita, & cura sollicita, & adlectio explorata & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & processio modesta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia*. tantum Episcopalis præfecturæ vigilantia in Ecclesia operatur, vt ab ea vnitas, & totius mystici Corporis conseruatio dependat.

Epistol. ad Trallian. in pr.

De præscr. hæret. c. 41. & 43.

Cap. 43.

Nouit, ac expressit *Optat. Mileuit*, & Patrum alij plerique necessitatem Episcopalis gradus in Ecclesia contestantes, & ex aduerso tragicè exaggerantes, ac deplorantes miserrimum Ecclesiæ statum, quæ suo sit viduata sponso, ius, ac destituta Pastore, quales *Basilius*, *Greg. Nazianz. Athanas. & Sidon. Apollin.* qui eleganter à triplici effectu Pastoris, & Episcopi defectum deplorabilem exhibet; expendit enim primò disciplinæ Clericalis excidium: secundò fidei in populis periculum: tertiò Clericalis ordinis exterminium, vt fas sit concludere, Christum Dominum, & Deum Ecclesiam suam fundantem non ita erecturum, vt gradus adèo necessarius in ea deficeret, sed qui Ecclesiasticæ Reipublicæ fuit auctor, idem, & Episcopalis dignitatis fuerit institutor, & tam Eccle-

Lib. 2. cont. Parmenian.

Epist. 61. ad Eccl. Neocæsarien. Orat. 32. in Synod. Constantinop. Apolog. 2. de fuga. Lib. 7. epist. 6. ad Basil.

sia

ſia quàm Episcopus ſit à Deo, qui ita Epiſcopatum erexit, vt ab Apoſtolatu eum ſeiungens tanquam ſublime ab eminentiori, & à Presbyteratu tanquam ab inferiori diſcreuerit; quamuis Nouatores ſectarij, quos nil màgis torquet, quàm Hierarchica ſeries in eccleſia, ſicut omnia turbida, ac confuſa eos delectant, id ſuadere contenderint, quod ipſi erroneè credunt, in primæua ſcilicet eccleſiæ ætate non fuiſse diuerſos Epiſcopos, & Presbyteros; ſed, ſi quæ vigeat diſtinctio, proceſſiſſe ipſam in ſchiſmatis, ac diuiſionis remedium, & tunc demùm exortam, cum eccleſiaſtica vnitas fatiſcere cæpit, quod vbi oſtendant, Diuinam Epiſcoporum inſtitutionem conuellere ſe, ac ſubuertere ſperant.

6 Blandiuntur ſibi à promiſcuo vſu nominis Epiſcopi, & Preſbyteri, quam apud *Lucam obſeruant in Act. apud Paulum* 1. *ad Timoth. & ad Tit. & ad Philipenſ. apud Petrum*; ſed præter ſcripturarum auctoritatem adſtipulatorem, gloriantur habere Hieronymum opinantem, vſque ad diſsenſiones, & ſchiſmata eccleſias communi Preſbyterorum conſilio fuiſse rectas, abſque eo, quod vnus cæteris præficeretur; vulgatiſſimæ ſunt Hieronymi auctoritates *Ep.* 83. *ad Occanum*; vbi proferens principium *Epiſt. Pauli ad Timoth. & Titum* per parentheſim ſcribit; *quamquàm apud veteres ijdem Epiſcopi, ac Presbyteri fuerint*. *Ep.* 85. *ad Euagrium*, in cuius princ. *Audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, vt Diaconos Presbyteris, ideſt Epiſcopis, anteferret; Nam cum Apoſtolus perſpicuè doceat, eoſdem eſſe Presbyteros, quos Epiſcopos*, & collatis Pauli, & aliorum auctoritatibus idem confirmat occurrens exiſtimanti, in vna eccleſia plures potuiſſe eſſe Epiſcopos, & inculcat, eundem fuiſſe presbyterum, & Epiſcopum, ponderans verba *Diui Pauli ad Tit.* & poſt plura ad idem congeſta claudit; *Quod autem poſtea vnus electus eſt, qui cæteris præponeretur in ſchiſmatis remedium factum eſt*. Idem aſſerit apertè, ac diffusè in *Comment. in Epiſ. Diui Pauli ad Tit.* ſed contenti erimus paucis verbis illis, quibus ait concludens; *Sicut igitur Prepoſiti ſciunt ſe magis ex Eccleſiæ conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe maiores, & in commune debere Eccleſiam regere imitantes Moſem*.

Ɛ. 20. C. 30. & C. 1. P. C. 5.

Num. 11.

Verùm non eſt noua in Dei Eccleſia hæc Presbyterorum, & Epiſcoporum aſſerta confuſio, ſed immò peruetuſta, eò directa, vt Chriſti Domini Diuinam inſtitutionem Epiſcopatus excluderet. Aerius enim antiquiſſimus hæreſiarca primus fuit, (vt ex *Epiphanio* notat *Baronius*) qui, cum ambiens Epiſcopatum fuiſſet repulſus, ordinatus iam Presbyter in eodem gradu ſemper perſeuerauit, & vt animi ſui amaritudinem leniret, aſſerere cæpit nihil Epiſcopum à Presbytero differre; vtriuſque enim vnus eſt ordo, vnus eſt honor, vna dignitas, dicebat procax hæreticus apud Epiphanium, quam ſententiam imputare Diuo Hieronymo impium eſt; ſicut nec credibile vnquam, virum ſanctiſſimum cum procaciſſimo heretico confudiſse, quæ maximè diſtincta à Chriſto Domino, & au-

Hæreſ. 75. Annal. tom. 1. an. 58. in princ.

ctore apprimè nouit; igitur, vt percipiantur, & soluantur rationes, quæ ex auctoritatibus tum sacræ scripturæ ex actibus apostolicis, tum Diui Pauli in epistolis proferuntur ad tollendam distinctionem, & differentiam, quæ inter Episcopum, & Presbyterum viget, missis aliorum expositionibus aptissima illa est, quam suggerit *Diuus Ioannes Chrysostomus*, qui collatis varijs Apostoli auctoritatibus ostendit, nomen Episcopi tunc temporis fuisse, & Episcopis ipsis, & presbyteris commune. *Tunc enim temporis* (inquit Chrysostom.) *adhuc vocabulum erat commune*, & paulò inferiùs post auctoritates expositas concludit. *Post autem proprium cuique vocabulum tributum est, vt alius dicatur Presbyter, alius Episcopus*; quam veritatem si attendamus, concidunt omnes iam supra tactæ auctoritates, quæ facilimè conciliantur. Chrysostomi sensum secutus est etiam Diuus Hieronymus, qui quidem, vtcumque nomen commune Presbyteris, & Episcopis cognouerit, rem tamen asseruit omninò diuersam; Vnde nihil indignius dici potest, quàm Hieronymum eandem cum Aerio opinionem sustinuisse; & vt diuersitas euidentior appareat, obseruabile illud maximè est, existimasse D. Hieronymum breue admodum fuisse illud tempus, quo Presbyterorum communi consilio tanquam Aristocratica politia administrata fuit Ecclesia, hoc enim regimen sine Episcoporum creatione ad summum vsque ad illud tempus extendit, quo dici cæptum, *Ego sum Pauli, ego Cephæ, ego Apollo*, ac nata sunt dissidia illa in Ecclesia, ob quæ dolet ipse Diuus Paulus in Ep. ad Corinth. immò in eadem epistola ad Euagrium scribit, tempore Diui Marci in ecclesia Alexandrina communi Presbyterorum voto electum vnum, qui in sublimiori gradu positus quasi per excellentiam episcopus diceretur. Hoc tempus certè aliud non fuit, nisi tempus Apostolorum, Marco enim plures fuere superstites; vnde colligitur, vel ab ipso tempore Apostolorum vnum fuisse electum ex Presbyteris, qui cæteris præsideret, ac singulariter diceretur Episcopus, quod siquidem antea, & per exiguum illud tempus electio huiusmodi facta non fuerit, non indicat, humanum fuisse inuentum episcopi electionem, nam tunc exiguus erat fidelium numerus, & is ecclesiæ status, vt mutua charitate, & communi consensu posset commodè regi.

Homil. 1. ad Philip.

7 Quamuis autem existimauerit Diuus Hieronymus fuisse ab Apostolis fundatas ecclesias sine Episcopis, & rectas communi Presbyterorum consilio, non tamen per hoc censuit, ordinem episcopalem non esse distinctum, ac diuersum à Presbyterali; idque duo indicant, quæ ex eadem epistola ad Euagrium apertissimè colliguntur; alterum est, quod quamuis asseruerit plures fuisse in eadem ecclesia presbyteros, negauit tamen plures fuisse Episcopos, quod negare, fuisset planè inconsideratum credenti episcopum à presbytero non distingui; alterum, quod quamuis existimauerit plura fuisse munera Episcopis, & presbyteris communia in ecclesiæ regimine, attamen ordinationem ita propriam Episcopi asseruit, vt competere Presbytero

tero

Num. 6. tero omnino negarit; *Quid enim facit* (ait vbi supra) *excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* & demùm omnimodam distinctionem in extremis verbis eiusdem epistolæ ad Euagrium confirmat, ab altiori fonte repetita origine claudens; *Et vt sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron, & filij eius, atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesia*. *De Hieron.* supradicta auctoritate latè *Dionysius Petauius* Igitur quod ait D. Hieronymus in primitiua ecclesia eundem episcopum, quem & Presbyterum fuisse, & apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, & episcopos, non de ordinis potestate, quæ eadem vtriusque sit, non de dignitate, quod idem vtriusque fuerit gradus, sed de nominum communione, ac regiminis participatione accipiendum, quandò tunc temporis censuerit cum Diuo Ioanne Chrysostomo, presbyteri nomine, & episcopum comprehendi, ac venire; cum episcopi nomen ad superioris ordinis Sacerdotes nondum esset restrictum; neque enim nouum est, aut insolitum, vt cum rei diuersitate consistat nominis communio. Natura id comparatum videmus, vt cum sub vno genere plures contineantur species, aliquæ proprio indigitentur nomine, quæ verò careat, generis sui nomine ostendatur; idipsum faciliùs in dignitatibus, & ciuilibus administrationibus obserues; Prætoris enim nomen generale fuit à præeundo dictum adeò, vt & ipsi Consules initio dicerentur Prætores, quod præirent populo; vt ex *Liuio*, & *Varrone* notarunt *Cuiacius* & *Brissonius* & Magistratus generaliter dicerentur Prætores, vnde & locus, in quo resideret Magistratus, dictus Prætorium; immò Prætoris nomine ædilem intellexit *Paul. Iure-Consultus*, vt interpretatur *Cuiac.* & tamen restrictum fuit hoc nomen ad singularem Magistratum significandum, qui æquitatis custos viua vox iuris ciuilis dicebatur, & licèt temporis processu multiplicati sint Prætores, nec æqualis omnium esset dignitas, omnes tamen eodem Prætoris nomine explicantur.

De Ecclef. Hierarchi. lib.2.c.5.& lib.1.Disser. c.2.

Ad Nouell. 24. Iustin. De verb. signi. lib. 14.

Ad lib. 1. Sent. tit. 15.

Immò Romanus ipse Pontifex totius ecclesiæ Caput, & omnibus episcopis superior, Antiochenus, & Alexandrinus Episcopus, Carthaginiensis omnibus alijs Episcopis subditarum regionum maiores extitere, & tamen primitùs non alio, quàm Episcopi nomine, siue titulo denominabantur, id enim humilitas, & moderatio illorum temporum suadebat; & hæc ipsa ratio potissima fuit, propter quam in nascentis ecclesiæ primordio Episcopi, etsi superiores, non alio tamen, quàm presbyterorum nomine voluerunt signari; vbi verò procedente tempore Presbyterorum audacia cœpit nimis attolli, congruum omninò, planèque necessarium fuit visum, vt ad retundendam procacem æqualitatem, quam inferiores affectabant, vel etiam ità extorquente superiorum fastu, hæc nominis communio tolleretur, & singulis muneribus, siue ordinibus proprium adaptaretur ita, vt cum antea tam primi, quàm secundi ordinis Sacerdotes presbyteri ob senilem, & maturam pru-

dentiam dicerentur, & ob vigilantiam, ac præsidentiam in gregem Episcopi; in posterum secundi ordinis Sacerdotibus relinqueretur solum presbyteri nomen, episcopi verò ad Sacerdotes superioris ordinis transferretur, & demùm superioris ordinis Sacerdotes preessent, inferiores verò subessent, quod quidem in paritate, & æqualitate Sacerdotalis offitij, & consensus ad regimen ecclesiæ, cum esset postea factum, consuetudini potiùs, quàm Dominicæ institutioni Hieronymus tribuit, quam & Apostolorum æuo introductam, & ab ipsis Apostolis confirmatam considerat *Baronius*, ac ex cumulatis *Diui Pauli* auctoritatibus probat. Fuerit igitur aliquando, & ad breue tempus, nomen Episcopi Sacerdotibus cum primi, tum secundi ordinis commune, res tamen fuit semper diuersa; cæpit subinde distingui cum re ipsa nomen, & per episcopi titulum designari sublimior auctoritas, quę præesset, per presbyteri verò gradus in ecclesia episcopali, vt inferior, ita & subiectus; & hæc facta immutatio, provt regimen ipsum ecclesiæ exposcere videbatur, non impedit, quò minùs Diuinam Episcopalis gradus institutionem, & agnoscamus, & asseramus, quam sic indicasse contenti ab institutione ad potestatem, & iurisdictionem eiusdem accedamus.

Tom. 1. an. 58.

Quæ Potestas Episcoporum §. 1.

8 NIL excelsum in ecclesia, & ad hierarchicum ordinem, ac vnitatem ipsius ecclesiæ, rectumque Ecclesiasticæ Reipublicæ regimen spectans, quod si non perimere, saltem turbare, vel demùm attenuare non contendant sectarij, vt inde omnia turbida, ac confusa pro voto sibi reddant; successisse episcopos Apostolis non diffitentur; at sicut Apostolorum, ita nec episcoporum vllum esse in ecclesia principatum, vllamue potestatem asserunt, ac proinde, vt illis nudum ministerium competijsse asserunt; ita & hisce merum ministerium relictum, omnique nudatum potestate, planè seruile, ac inerme profitentur. Verum parùm est iura in Ciuitate esse (*vt inquit Caius Iure-Consultus*) nisi sint, qui iura regere possint; inaneque sit, Rempublicam, & hominum conuentum constituere, quem Magistratus non regat, ac ad finem intentum non dirigat, & (qua opus) compellat; ideò improprium nedum, sed immò & implicans est, in ecclesiastica Republica, aut non dari Magistratum, aut dari, sed merè seruilem, ac inermem, omnisque potestatis expertem, ideò & in Apostolis, & in Episcopis eorum successoribus, vt principatum, ac Magistratum agnouit semper vera fides, ita & potestatem conformem, ac necessariam, sed quæ complacitam humilitatem ministerij verbo expressam non excluderet. *Constitues eos Principes super omnem terram*. Cecinit *Diuinus Psaltes*; ac Episcopatus nomen, quod *Diuus Petrus ex Psalmo* 108. allegauit, & *Episcopatum eius accipiat alter*. Principatum, & Sacerdotium exposuit *Chrysostomus*, & nè in re compertissima, & aliàs fusiùs supra à nobis fundata immoremur, dimissis consentientium Patrum auctoritatibus

Psalm. 44.
Act. Ap. c. 1.
Hom. 3. in Act.

bus vnus omnium instar erit idem Chrysostomus, qui expendens verba illa Dauid. *Constitues, eos Principes super omnem terram*, sic fatur; *describens eorum vires, potentiam; & gloriam dicit, constitues eos Principes super omnem terram, egent ne hæc interpretatione? Ego quidem minimè existimo, quemadmodum nec quod sol sit lucidus, quæ autem dicta sunt eò clariora. Vniuersum enim orbem terrarum peruaserunt Apostoli, & omnibus Principibus fuerunt magis propriè Principes, regibus potentiores.* Prosequitur confirmans vberiùs; at hæc ad intentum satis. Auctoritate, & potestate stabilita ad amplitudinem, & excellentiam eius detegendam, & indicandam deueniamus.

Homil. in Psal. 44. in fin.

9 Ecclesiam Rempublicam visibilem iam probauimus, & finem eius supernaturalem, ac alterius sæculi; vnde & in ipsius Magistratu, ac Principatu supponenda est potestas, quæ externa nedum, sed & interna, ac humanæ auctoritati, ac obtutui imperuia coerceat, ac dirigat, & proinde triplicem in Episcopo agnoscimus, ac suspicimus potestatem. Ordinis vnam; iurisdictionis alteram in foro interiori, tertiam iurisdictionis in foro exteriori, quæ quidem triplex potestas statui Reipublicæ, in qua Magistratum gerit, mirificè respondet, si ciues ipsam constituentes, qui & interni, & externi sunt, consideres, quem vtrumque hominem sæcularis politia non peruadit, cum temporalem quietem, ac bonum, & non supernaturale concipiat, ac proprio nisu procuret. Sublimius adhuc fundamentum fas est huius potestatis assignare, duplex nempe Corpus Christi spectando; verùm scilicet, ac mysticum, quod est ecclesia ipsa visibilis; vnde pro duplici hoc corpore duplex etiam venit constituenda, & assignanda potestas, altera in Corpus Christi verum exercenda, altera verò in Corpus Christi mysticum; quæ quidem geminæ potestates ita inuicem nectuntur, ac dependent, vt vna alteram supponat, ac in ipsa fundetur, nempe quæ ad mysticum Corpus dirigitur, & exerceatur, in illa, quæ circa Corpus Christi verum versatur adeò, vt nemo ad Ecclesiasticæ Reipublicæ, Christianique populi spirituale regimen sit idoneus, qui primò ad Diuini, & incruenti Sacrificij administrationem non sit consecratus, idq; altiùs repetita, ac breuitèr applicata ratione liceat confirmare.

Lumine supernè indito illud semper hominibus fuit naturale, vt in ijs, quæ ad sacra, ac diuina pertinent non alijs se subijcerent, quam sacris, ad Deo offerendum destinatis, eosque solos duces in ijs, quæ ad Religionem spectant, sibi deligerent; suasum quippe habuerunt, homines huiusmodi medios inter Numen, ac hominem constitutos, sicut munera Deo ipsi pro homine offerrent, ita diuina responsa tanquam interpretes referre, vtpotè, quibus Deus ipse lubentiùs se ipsum, ac familiariùs communicet; id creditum Ethnicis naturali quodam instinctu; id tenuere tanquam à Deo ipso traditum Iudæi, qui in Religionis, ac sacrificij negotio Pontifices, Sacerdotes, ac Leuitas ministros agnouêre; si in solo naturæ lumine, & in lege à Deo tradita id seruatum, quantò magis in euangelica

lica, & gratiæ lege decuit, vt non nisi hominibus Deo addictis, Sacrisque Ministris, & ad sacrificium vero Deo offerendum distinatis circa ea, quæ religionis sunt Imperium, & Sacer Principatus concrederetur ita, vt qui homines potestate circa Sacrificium euangelicum ex munere versantur, ijdem potestatem circa Christianum Populum stabilem, & ordinariam ex consecratione habeant; futurum enim indè faciliùs, tum vt cognoscatur Christus auctor huius in populum potestatis, & ecclesiasticum Magistratum esse ipsius Christi Vicarium, qui voluerit, non alium in populum sanguine suo, & cruento Sacrificio à se redemptum habere, & exercere supernaturalem potestatem, nisi qui sanguinis, & corporis sui consecrandi, ac incruento Sacrificio distribuendi potestatem habeat; tum etiam, quia sicut fideles omnes signaculo, & nota, aut Dominico caractere consignantur, vt inter oues Christiani gregis agnoscantur, ac veluti milites Christianæ militiæ distinguantur, rationabile etiam fuit, vt Pastores, ac Duces signaculo aliquo, & caractere donentur, ac ea nota insigniti legitimè in gregem, & castra potestatem exerceant, vt ponderat *Diuus Augustinus*; prę- ter autem caracterem baptismi, & confirmationis, qui omnibus fidelibus est communis, nullus alius datur, quàm ordinis, qui ad Eucharistiæ sacramentum est directus, siuè immediatè, siue mediatè, siue proximè, vt sacerdotium, siue remotè, vt ordines reliqui. Igitur ad sacrum, & spiritualem Principatum nemo attollitur nisi per caracterem, qui potestatem tribuat in Corpus Christi verum, ideòque potestas circa Corpus Christi mysticum illam supponit, ac in ea fundatur. Tertia demùm ratio connexionis vtriusque huius potestatis ex eo desumitur, quod neruus totius Ecclesiasticæ disciplinæ est priuatio Sacrorum, & exclusio à Dominici corporis participatione, quam excommunicationem dicimus, quæ olim in sacris conuentibus pro meritorum censura frequenter infligebatur, prout eam graphicè describit *Tertullianus* fidelium conuentum sub oculos exhibens, *Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Et inferiùs: Coimus* (inquit) *ad liberam diuinarum litterarum commemorationem*: mox inferiùs. *Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina; nam, & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu, summumq; futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur.*

De bono Coniug. c. 24

Apolog. c. 39.

Rationabile igitur, & congruum est, vt non alij hæc excommunicandi potestas, & arcendi à Dominici corporis, & sanguinis participatione concedatur ordinario iure, & ex vi status, nisi cui primùm potestas competat huius communionis impertiendæ, ac destribuendi Corporis, & Sanguinis Domini; cuius susceptio, & ecclesiasticę communionis perfecta consummatio est. Probata igitur hac vtriusque potestatis connexione, ita vt potestas in Corpus Christi verum sit fundamentum

tum

tum potestatis in mysticum, iam ad potestates ipsas partitè assignandas, ac illustrandas descendamus.

Prima igitur tum excellentia, tum virtute, & efficacia est potestas ordinis; hæc enim tota supernaturalis, ac Diuina ad Diuinum gratiæ munus conferendum instrumentum est, dum ad conficienda, & administranda, ac conferenda Sacramenta principaliter instituta. Hæc Diuino caractere per consecrationem impresso innixa eadem in omnibus est tam Episcopis, quàm Sacerdotibus, ac proinde Apostolos omnes fecit inter se æquales, & in hac ipsa Episcopos verè Apostolorum successores. Verùm quamuis in ordine ad Corpus Christi verum par in Episcopis, ac Presbyteris, attamen in ordine ad mysticum Christi Corpus inæqualem hanc ipsam in Episcopis, & alijs Sacerdotibus agoscas, cum eiusdem potestatis virtute aliquid possint Episcopi, quod inferiores non possint, vnde tota Episcopalis potestas quatenus ab ordine est ad tria precipuè dirigitur, ordinare, consecrare, & confirmare; at verò, quoad consecrationem, quatenus circa Templa, Altaria, & Sacra Vasa versatur, illud considerandum est, quod cum sit quid Sacramentale, ab alio etiam, quam ab Episcopo, mandante Summo Pontifice, potest exerceri, at quæ Sacramenta ex sola potestate ordinis conferuntur, non possunt ab illo ministrari, qui ordinem ad id requisitum non habeat; & ideò Episcopus vltra ordinis, ac Sacerdotij caracterem, quem cum inferioribus Sacerdotibus habet communem, aliquid ampliùs, tanquam perfectior habet, Corpus Christi mysticum respiciens, quo nomine factum, vt Episcopatus non dicat immediatum, & formalem respectum ad Corpus Christi verum, sicut dicit Sacerdotium, sed mediatum, ac veluti secundarium, quatenus Sacerdotes ordinando, & consecrando eos habiles ad Eucharistiam conficiendam reddit; difficilè fatentur scribentes assignare adæquatam differentiam inter Episcopum, & simplicem Sacerdotem, & ideò in eius elucidationem altior præmittenda est inquisitio.

10 Et examinandum primò, an Episcopatus sit ordo per se ab alijs ordinibus distinctus, inde enim facile erit inferre ad ipsam ordinis potestatem quatenus Episcopatus propriam, & peculiarem. Verissimum igitur est Episcopatum ita per se ordinem esse, vt etiam sit Sacramentum verum, ac proprium, quam quidem assertionem probant Theologi, paucis recentioribus exceptis, & communis censetur Pontificij Iuris interpretum; quæ enim auctoritates Sacræ Scripturæ à fidelibus auctoribus afferuntur, & ponderantur, vt probent ordinationem esse Sacramentum, ex ipsę de Episcopatu præcisè loquuntur, sic enim *Diuus Paulus 1. ad Timot. C. 4. & secunda ad eundem C. 1.* Symbolum, & signum externum commemorat, impositionem scilicet manuum cum gratiæ collatione; *Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum* . . . nec absimiliter Ep. 1. & tamen fuerat Timotheus à Diuo Paulo consecratus non simplex presbyter, sed Episcopus; eodem ritu consecratos legimus *Paulum, &*

Bar-

Act. 13. *Barnabam*, qui certè fuerunt Episcopi; igitur aut ex Sacris Scripturis non probatur, ordinationem esse Sacramentum, quod nefas dicere contra apertissimas auctoritates, aut ex ijsdem Episcopatus ordo, & Sacramentum euincitur, & ideò quæcumque scripsere Sancti Patres confirmando ordinationem, siue ordinem in ecclesia esse Sacramentum, hæc ipsa de Episcopatu, & Episcopo loquuntur; vnde quo libro agit Diuus Ambrosius de Dignitate Sacerdotali, & Diuus Ioannes Chrysostomus de Sacerdotio, de Episcopatu semper, & principaliter loquuntur, sic enim episcopatus Summum Sacerdotium, & Episcopus summus sacerdos dicitur à vetustissimis Patribus *Tertulliano*; *Ambrosio*, *Hieronymo*, *Augustino*, *Sidonio*, nec non *Agathensi*, *Taurinensi*, & 2. *Hispalensi Concil.* & demum ipsis Caroli Magni Capitularibus; aut ergo Episcopatus, & episcopalis ordinatio Sacramentum est, aut Sanctorum Patrum auctoritates ordinationem esse Sacramentum non probant; quod nec cogitandum quidem.

Lib. de baptismo c. 17. in pr. Epist. 34. Epist. 99. ad Asellam. in vet. & nou. testam. qu. 101. Epist. 11. in Carm. Lib. 4. & Epist. 25. Can. 6. Can. 1. Can. 7. Lib. 7. Can. Can. 323.

Vrget magis, quod Episcopalis ordinatio est cæremonia imprimens characterem spiritualem, & gratiam simul conferens; vnde nihil deesse ad verissimum sacramentum, quod conferat caracterem ostendit effectus, quod non possit iterari ipse ordo, cum tamen inter sacramenta ecclesiæ illa tantùm non sint iterabilia, quæ imprimunt caracterem; accedat quod Episcopus duo Sacramenta conferre potest, quæ nemo inferior, ordinem scilicet, & confirmationem, idque euidenter indicat habere Episcopum spiritualem aliquam potestatem, quam nemo inferior habet; quantumuis enim tentet inferior circa duo illa Sacramenta, nihil aget. Vltra impressionem caracteris, quod etiam conferat gratiam ostenditur planè conuincenti ratione, nam ideò fatentur Theologi per ordinationem ad presbyteratum, siue Sacerdotium gratiam conferri, quia debet presbyter, & Sacerdos aliqua Sacramenta ministrare, quæ sine gratia non dignè conferuntur; cum ergo Episcopus ordinis, & confirmationis Sacramenta conferre debeat, quæ sine gratia non dignè ministrantur, iam eius consecratio gratiam conferre debet; immò irrationabile admodum videtur, per ordines, & gradus inferiores gratiam conferri, & tamen Episcopatum, qui est gradus longè sublimior, & excelsior, gratiam non conferre, quæ quidem omnia innuendo confirmat ritus, ac solemitas, quam in consecrando Episcopo seruat ecclesia, & quæ est maior, quæ adhibeatur in quacumque alia ordinatione, nec sine re ab ecclesia institutam fas est credere. Demùm Scotus se conuinci hac ratione fatetur.

Si enim episcopatus non sit ordo, poterit funditùs tolli, ac extingui; tolle enim ordinem ab episcopatu, & non remanebit nisi nuda iurisdictio, quæ quidem Episcopo potest adimi, sicut, si fortè labatur in hæresim, priuatur ecclesia sua. Obstare tamen maximè videtur præfixus ab ecclesia Sacrorum Ordinum numerus, septem enim recensentur, quatuor scilicet minores, tres verò maiores, quibus si addas Episcopatum tanquam diuersum, atque distinctum ordinem iam non

non septem, sed octo erunt; verùm nihil impedit episcopatum esse ordinem distinctum, & tamen non augeri aliorum ordinum numerum; episcopatus enim, vt ordo est, continet in se essentialiter presbyteratum, & Sacerdotium, cum non concipi possit Episcopus, qui etiam non sit Sacerdos, sed primus, idemq; summus, eo modo planè, quo Papatus continet Episcopatum, sed & aliquid amplius supra Episcopatum; vnde & caracter episcopalis ex duplici charactere integratur presbyterali, & episcopali, sicque non dicit vnam simplicem qualitatem, sed quid constans ex duplici caractere; quando & ad Episcopum constituendum duæ quasi ordinationes concurrunt, & episcopatus sic inductus non per hoc ordines multiplicat; cum enim sacerdotale munus, & sacerdotalem finem diuerso modo sacerdos, & Episcopus participent, ideò fiunt duæ species sacerdotum maior scilicet, & minor, sicut in homine sine animæ multiplicatione continetur vegetatiua, sensitiua, & intellectiua; quod homo sit sensibilis, & rationalis habet ex genere suo, & ex natura sua, quæ ex genere, & differentia cosistit; itaque quod Episcopus consecret Eucharistiam non habet formaliter ex ordinatione sua, sed ex ordinatione præcedenti, quam essentialiter inuoluit, sicque addit quidem episcopatus supra presbyteratum, sed ordines non multiplicat. At hac de re iterum cum de sacra ordinatione agemus. Post hæc enim scripta prodiere selectæ controuersiæ Reu. P. Raymundi Capisucchij, inter quas in vigesima octaua luculenter adeò, & doctè oppositam sententiam sustinet, vt admirari fas sit cum eximio ingenio summam doctrinam. Iam igitur ex hoc iacto fundamento emicat prima illa episcopalis potestas, quæ dicitur ordinis, quæ tota supernaturalis, ac à supernaturali ordinis principio medium constituitur ad diuinam singularem gratiam conferendam, & ad sacramenta peculiaria ministranda; verùm quia & cum sacerdotij ordine est coniuncta, quem (vt diximus) essentialiter continet, hinc est, quod respectu habito ad Corpus Christi veram eadem est in omnibus, in Apostolis, Ediscopis, Presbyteris par, & æqualis fuit; at relata ad Corpus Christi mysticum maior est in Episcopo, quàm iu inferioribus, ratione enim ordinis sui quatenùs à Sacerdotio distincti plura potest Episcopus, quæ non potest Sacerdos inferior, & ad tria præcipuè extenditur, quæ sunt, Ordinare, Consecrare, & Confirmare. Circa Consecrationem autem notum illud est, quod cum Consecratio ipsa rerum sit quid sacramentale, hæc eadem, mandante Summo Pontifice, potest ab alio, qui non sit Episcopus, fieri; at quæ sunt propriè ordinis episcopalis ab alio, quàm ab Episcopo non possunt conferri, aut exerceri, vt est ordinare, & confirmare, licèt circa confirmationem aliquod vigeat dubium, an possit per Summum Pontificem alicui simplici sacerdoti committi. Hanc ordinis potestatem habet Episcopus à solo Deo immediate imprimente characterem, & concurrente ministro merè instrumentaliter: cum enim hæc potestas sit tota supernaturalis, sicut ab auctore naturę supra naturam solùm potuit produci, ita &

poteſt conferri; indeque efficitur, vt ſemel ritè, & rectè collata hæc poteſtas non poſſit impediri, quin validè exerceatur, ac proinde, vtcumque ſit interdictum Epiſcopo ea ipſa die, quà conſecratur, ordinare, & ordines conferre *C. quod ſicut* §. *ſuper eo . De elect. & ibi interp.* attamen ſi de facto ordinet, tenet ordinatio; ſic Epiſcopus ſchiſmaticus, ſiue degradatus licitè quidem ordinare non poteſt, at validè vtique, pendet ſiquidem hæc poteſtas à Summo Pontifice in fieri, at vbi ſemel collata eſt, non item, ſed à Deo, qui eſt principalis agens tum in collatione, tum in exercitio, & vſu eiuſdem poteſtatis, & ideò quantumvis improbus, ac ſceleſtus ſit Epiſcopus, quidquid agit hac ordinis poteſtate ratum ac firmum eſt; contrariumque aſſertum tanquam hęreticum damnarunt Aurelianenſe primum, Conſtantienſe, & nouiſſimè Tridentinum Concilium. Hancq; veritatem rationibus quampluribus SS. PP. adornarunt, & præſertim *Auguſtinus* non vno loco, inter quas illa præcipua, quod ſcilicet incertus eſſet omnium Sacramentorum effectus, immò ipſius Eccleſiæ ſtatus, ſi à Miniſtrorum probitate Sacramentorum virtus, & effectus penderet, quam quidem incertitudinem tollit certitudo illa, quod non à Miniſtro, ſed à Chriſto ipſo Sacramentorum ſanctitas, & validitas petatur; vnde & gratiæ gratis datæ, quale ſacerdotium, & epiſcopatus ipſe, etiam indignis conferri de facto poſſunt; quæ quidem omnia poſt Auguſtinum ponderauit latè *Bernardus*. Hæc igitur eſt prima, ac principalis Epiſcopi poteſtas, quæ quamuis ſacerdotalem, ac presbyteralem inuoluat, ab ea tamen diſtinguitur, & eſt diuerſa, vt iam oſtenſum, quæ & ad ſingulares actus ordinandi, conſecrandi, & confirmandi dirigitur, nec tamen adeò formalitèr, & proximè ad Corpus Chriſti verum tendit, ſicut ſacerdotalis; ſepara enim, vel per ſolam mentis operationem, Epiſcopalem poteſtatem à ſacerdotali, ſpectabis ipſam non ad conficiendum Chriſti Corpus tendere, vt ſacerdotalem, ſed ad regendum Dei populum, *vt Diuus Paulus* appoſitè conteſtatur. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos conſtituit Spiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; quæ autem ſingulariter per hanc ordinis poteſtatem operetur Epiſcopus, cum in tribus illis genericis actibus comprehendantur, quos iam aſſignauimus, ad pragmaticos remittimus, qui officium, ac poteſtatem Epiſcopi latiſſime pertractarunt, & ad poteſtatem iuriſdictionis expendendam deſcendimus.

Can.10: Seſſ.8.& 15 Seſſ.7.& 12

Lib.1.Cont. lit. Petil. c. 3. lib.2.c.5. & alibi.

Serm.66.in Cantic.

Act. 20.

Barboſ.Vgelin. & ſi qui aly.

11 Hanc iuriſdictionis poteſtatem in Epiſcopo rectiſſimè bipartitam diſtinxit *Bellarminus*; alteram fori interioris, alteram verò exterioris; cum enim homo tam internus, quàm externus ſit in finem ſupernaturalem promouendus, & perducendus, iam neceſſaria fuit poteſtas ad vtrumque accomoda, & quæ in foro exteriori regeret, vt ea inſtructi Antiſtites Rempublicam toto Orbe diffuſam cum poteſtate adminiſtrarent, & ideò ordinaria, iureque magiſtratus competens dici poteſt. Hanc ſi ita ſumptam, & vt nondum alicui ſingulari applicatam conſideres, à Chriſto Domino inſtitutam agnoſces tanquam medium omni-

Lib.4. de Rom.Pont c. 11.

omninò necessarium, quo ecclesia à se fundata, ac sanguine redempta ad finem intentum regatur. Potestas prima, iurisdictionis scilicet in foro interiori, diuersa, ac distincta à potestate ordinis est, immò necessaria ad hoc, vt potestas ipsa ordinis in suum actum exeat, qui est absolutio à peccatis. Cum enim sine hac potestate administrator Sacramenti imperare non valeat, quia imperium iurisdictionem supponit in eum, cui imperatur, satis non est, si quis voluntariè se subijciat, nisi & auctoritate superioris reddatur subiectus, quod efficitur per iurisdictionem; hæcque potestas non est ęqualis in quocumque sacerdote, sed amplior est in Episcopo tum intensiuè, tum etiam extensiuè. Potestas verò iurisdictionis in foro exteriori, & ipsa necessaria est ad Reipublicæ, ciuiumque concordiam, & tranquillitatem, vt qui præsunt Antistites leges condere, ac imperare pro Ciuium vtilitate, ac necessitate valerent; potestas igitur hæc iurisdictionis, qualiscumque sit, in genere sumpta à Deo est, & à Christo Domino tradita, eaque Ecclesia ipsa fuit dotata, & ditata, vt ab Ecclesiæ eiusdem Præsulibus in rectam eius administrationem exerceretur. Vulgatissimæ sunt *Diui Pauli* auctoritates dicentis; *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij*; Idq; ipsum totidem verbis repetitum ab eodem habeas. Consonant verbis eiusdem *Pauli in Apostolor. Act. Posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei &c.* De vtraque hac potestate tum ordinis, tum iurisdictionis à nobis fusè iam actum supra, cum dissereremus de ipsa Ecclesiæ potestate; nunc igitur ea consideranda, prout Magistratibus Ecclesiæ exercenda applicatur, & politiam ipsius Ecclesiæ respicit. Potestatem ordinis à Deo immediate conferri siue Episcopis, siue Sacerdotibus inferioribus extra omne dubium est, de potestate iurisdictionis respectu conscientiæ, & fori interioris ambigitur; censuerunt enim aliqui, eam immediate à Deo conferri, & eo ipso actu, quo potestas ordinis confertur, est enim illa ligandi, & soluendi potestas, quę ordinem ipsum supponit, & eius potestatem consequitur, quamuis quoad exercitium, & vsum superioris concessionem requirat, id enim factum, vt administratio eius sine confusione procedat; facta Dioecesum, & parochiarum diuisione, per quam quisque, qui potestatem ligandi, & soluendi habet, sibi subiectos agnoscere debeat, nec alienos inuadere: existimarunt alij hanc ipsam potestatem non conferri immediate à Deo ex vi ordinationis, sed ab homine per simplicem commissionem; at omnes in eo conueniunt, quod vsus eius pendeat à iurisdictione exteriori. Vnde tota inquisitio redigi videtur demùm ad potestatem Iurisdictionis in foro exteriori, de qua scrutandum diligenter est, vndenam præcipue, & à quo ipsam consequantur, & habeant Episcopi, & quia hæc potestas ab Apostolis, & cum Apostolis cæpit, à quo habuerint ipsi, inquiramus, vt inde ad Episcopos opportunè inferamus.

Ad Ephes. c. 4.

1. ad Chorint. c. 12. c. 20.

Abulens. in Defensorio lib. 2. c. 62.

Turrecrem Summ. de Ecclef. lib. 2. c. 96.

12 Apostoli igitur Iurisdictionis

nis potestatem, quam habuere, à Christo Domino immediatè acceperunt; hanc veritatem facilè admittunt non solùm Catholici Doctores, sed & illi, qui simplex ministerium in Apostolis agnoscunt, potestatem verò, & iurisdictionem nullam; hi enim qualemcumque potestatem in Apostolis ipsis fateantur, hanc ipsam ab eodem fonte in omnes promanantem volunt, vt inde æqualitatem etiam omnimodam cum Petro inducant, eiusque primatum euertant; nihilominus tamen cum recepta à Christo pariter potestate stare potest, & ipse primatus Petri, vnde libenter, & verè accepisse Apostolos potestatem, & iurisdictionem immediatè à Christo asserimus, salua semper in Petro supremi Capitis prærogatiua. Veritatem hanc confirmant augustissima illa Christi Domini verba, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, quorum verborum vim, ac effectum considerans *Chrysostomus* ait, *quare hoc dicit? eorum animos erigit, & suam proponit auctoritatem, siquidem suum eis relicturus erat ministerium, & cum nondum rogasset Patrem, sua eis auctoritate potestatem præbet*.

Ioan. c. 20.

Homil. 85. in Ioan.

Per hęc eadem verba factos ipsos Apostolos, & Apostolatus amplissimum gradum in eos collatum asserit *Cyrillus*, ac *Cyprianus* parem in Apostolis per ea verba agnoscit potestatem illi, quam dedit Petro per alia verba, *Pasce oues meas*. Vnde sicuti certissimum est, per ea verba collatam Petro iurisdictionem plenissimam, ita per illa datam Apostolis haud minùs amplam dicendum est, & vtramque vt Petro, ita & Apostolis immediate à Christo

In Ioan. lib. 12. c. 55. in pr. de Vnit. Eccles.

sine vllo tamen Primatus Petri detrimento, vt aliàs visum; Matthiam Apostolis adscriptum legimus, nec tamen ab Apostolis electum, nullamue ab ipsis ijdem traditam potestatem; orarunt Apostoli, cum sufficiendus fuit in locum deperditi Iudæ, eaque fuit ipsorum oratio; *Tù Domine qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus vnum*; electionem Deo tribuunt, à quo & tradita electo potestas, & non à Petro, cum id nullibi legamus expressum; nec minùs confirmat *Diui Pauli* testimonium, qui suam *ad Galat.* exorditur epistolam. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem*; nec aliunde suam se recepisse auctoritatem profitetur, quam à Deo ipso paulò inferiùs; *cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, continuò non acquieui carni, & sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum, deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum*; & Cap. seq. *Mibi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt*.

Act. c. 1.

Galat. c. 1.

Vix est demùm, vt liceat hac de re ambigere, dum Apostolorum electionem exhibet *Lucæ* Euangelium. *Vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos, & Apostolos nominauit*; & ex ore ipsius Christi Domini *Ioannes*, *nonne ego vos duodecim elegi?* Apostolatui autem adnexam iurisdictionem nemo dubitat, tum quia dignitas est in Ecclesia Apostolatus, cui connaturalis iurisdictio, neque

c. 6.

c. 6.

enim

enim fas est dignitatem asserere, & iurisdictionem negare; tum etiam quia iurisdictionem ab Apostolis exercitam legimus & quamuis Apostolatus collatio præcesserit Episcopatus institutionem, & primò fuerint Apostoli, cum nondum essent Episcopi, attamen, nec gradum episcopalem, nec episcopalem auctoritatem ab alio, quàm à Christo Domino habuerunt, tunc quandò post Resurrectionem suam apparens eis, protulit iam supra relata verba, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum*, quibus & erecta dignitas, & data potestas; cum tamen eiusdem potestatis collationem à Petro factam nusquam legamus, quod si factum fuisset, omisisse Euangelistas nusquam credendum est. Id autem fieri in Apostolis surgentis ecclesiæ exposcebat exordium; at ea iam fundata, non idem seruari in Episcopis, vtcumq; in Episcopatu Apostolorum successoribus, rectum eiusdem regimen suasit, sed potius à Summo Pontifice Petri successore eos recipere debere iurisdictionem; id enim intenta semper à Christo Domino, & alias à nobis exactius ponderata eiusdem ecclesię vnitas exigere omninò est visa, vt ipsa fæliciùs eò seruaretur, quò ab vno tanquam à Capite, & fonte potestatem, ac iurisdictionem acciperent; sicut autem in Iudeorum Synagoga prolusit Deus veræ Ecclesiæ, ac veluti in figura quid futurum esset in figurato, adumbrando expressit, ita & in iurisdictionis ecclesiasticæ deriuatione typum in Moyse pręmisit; vbi enim vastæ hominum multitudini regendæ lassatus vix ampliùs sufficeret ipse solus, dolentem solatus est Deus mandans, vt septuaginta de senibus Israel eligeret, ijsque electis abstulit de spiritu Moysis, & dedit septuaginta, qui vnà cum Moyse onus regendi populi sustinerent; neque enim spiritus ille fuit alius, quam iurisdictio cum esset spiritus regiminis. Hoc autem auferre de spiritu Moysis, non fuit spiritum Moysis ipsius imminuere, vt rectissimè obseruat *Augustinus*, sed indicare in Moyse, tanquam in centro, & capite totam vigere auctoritatem, & si quæ alijs adsit, ab eo mutuatam, & mutuandam; Moysem autem regem, legislatorem, sed & Pontificem testatur *Philo Iudeus* vitam eius claudens postremis verbis.

Ioan. c. 20. · Num. 11. · qu. 18. in Num. · De Vita Mosis lib. 3 in fin.

Vnde in eo veri Pontificis imaginem spectare licet, indèque deducere, Ecclesiam toto orbe diffusam, ita regendam, vt Episcopi auctoritatem suam à Capite Supremo recipiant, & nihilominuùs tanquam propriam, & ordinariam habeant. Poterat Deus, spiritum illud senioribus immediatè conferre, sicut contulerat Moysi; at excerpere à Moyse voluit, vt per gestum in figura ecclesiæ, quid gerendum in re indicaret. Consequitur huius assertionis veritas politiam ipsam, ac regimen, quo administratur Ecclesia, illud enim statuimus esse Monarchicum, vnde fit, vt tota potestas necessariò ab vno prouenire debeat, ac in vno fundari; & quamuis aristocraticum quid non excludat ipsa ecclesiæ politia, hoc tamen non adigit, vt potestatem, qua pollent Ecclesiæ Principes, & qui non sint meri Vicarij, sed iure suo regentes, debeant recipere à Deo, possunt enim

enim recipere, & de facto recipiunt à Summo Pontifice, & tamen non sunt Vicarij eiusdem, vt ostendemus, & confirmabimus infra.

Nec nos terret, quod cauillando argutari quis posset, quod si Episcoporum iurisdictio à Summo Pontifice esset, iam ab eius arbitrio penderet dare, aut non dare iurisdictionem, sique non daret, totus episcoporum gradus concideret; nam sit liberum moraliter Summo Pontifici non dare episcopis iurisdictionem, attamen scit, datam sibi summam potestatem in edificationem ecclesiæ, non in destructionem; scimus semper adesse Ecclesiæ suæ Dei prouidentiam, quæ suauitèr cuncta disponens voluntatem etiam Pontificis ita semper diriget, vt quod (absolutè loquendo) posset facere, nunquam tamen faciat, cum diuinæ institutioni repugnet, *Manet (inquit Sanctus Leo Magnus in C. Manet 24. quæst. 1.) Petri priuilegium, vbicumque ex ipsius æqualitate fertur iudicium*. Est hic anctoritatis abusus, quem timere nefas stante promissa Diuina assistentia ecclesiæ suæ. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi*. Perapposita analogia comparauit *Diuus Cyprianus* ad vnitatem ecclesiæ confirmandam, Petri Sedem Soli, radici, fonti, capiti; *Ecclesia vna est (ait Cyprian.) quæ in multitudinem latiùs incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radij, sed lumen vnum, & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum, & cum de fonte vno riui plurimi defluunt numerositas, licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine*. Applicat subinde eleganter, & demùm concludit; *Vnum tamen Caput est, & origo vna*. Considera radios, ramos, riuos, membra, quæ omnia vires, vitam, influxum aliunde recipiunt, & Episcopos intueberis à Pontifice Summo auctoritatem mutuantes, & ideò non in quolibet Episcopo æqualem videmus, at in vno ampliorem in alio angustiorem iuxta Diœcesis, & gregis sibi crediti amplitudinem, cum tamen, si à Deo immediatè acciperent, omnes æqualem haberent sicut videmus eandem, ac planè æqualem ordinis potestatem, quam Deus ipsis immediatè per consecrationem largitur; inæqualem igitur intuentes iurisdictionem à Pontifice eam profectam agnoscemus communicante, prout opus esse vnicuique nouit.

Matth. cap vlt. in fin.

Lib. de Vnit. Eccl. post princ.

Neque objiciatur confundi iurisdictionem cum subditis adeò, vt Episcopus, qui ampliorem habet diœcesim, & plures numero subditos dicatur habere maiorem iurisdictionem, quàm qui habet pauciores, & angustiorem diœcesim, non enim licet inde arguere inæqualitatem iurisdictionis, quæ est eadem, & omnino æqualis, sint plures, vel pauciores subditi; quia nemo est, qui non videat, diuersa omninò esse inter se iurisdictionem, & & subditos, in quos exercetur, & nemo sanæ mentis dixerit tantum iurisdictionis habere, & exercere Episcopum, qui præest regiæ, & amplissimæ Vrbi cum vasto Territorio Oppidorum ingenti numero excnlto, ac qui præsit exiguæ, & cui vix adiaceat duorum, aut trium milliarium territorium, vtrobique enim exercetur iurisdictio, sed illa est longè amplior, & maior ex

tensiuè

tensiuè, hęc longè minor; & quidquid sit de æqualitate intensiuè, at inæquualitas extensiuè negari non potest, quę quidem à Deo immediatè non est, non enim Deus alicui Episcopo immediatè ecclesiam assignat, aut cum ordinis caractere iurisdictionem extensam æqualitèr confert, sed à Summo Pontifice eius Vicario ea habetur, à quo, nedum quòad collationem, sed & quòad vsum, & exercitium pendet, quod tamen non esset si collatam à Deo cum ordine episcopali Episcopus agnosceret, ea enim, quæ à Dei ordinatione immediatè pendet immutare, aut tollere Pontifex non potest, & tamen hoc posse, & potuisse semper dubium non est; episcopatus nouos erigit, erectos supprimit, aliò transfert, Episcopos suspendit, deponit, provt iustum videtur; nec desunt ex annalibus, & historijs exempla, quæ quidem episcopalem iurisdictionem non aliundè, quàm ab eo acceptam apertissimè indicant, neque hic datur confugium ad solam extensionem iurisdictionis, quia non potest ipsa augeri, aut minui extensiuè, quin etiam intensiue augeatur, aut minuatur, est enim hæc moralis intensio, & extensio, de qua cum rigore physicæ intensionis & extensionis non est differendum; nec verebimur tandem vnam, & alteram Summorum Pontificum auctoritatem in confirmationem afferre; eorum enim Sanctitas, ac in ecclesia existimatio ab omni suspicione ipsorum testimoniū liberat; Innocentius igitur primus ad Concilium Chartaginense scribens; *à Petro ipse episcopatus, & tota auctoritas nominis huius emersit*; *& Leo Magnus*, cuius eloquium veritatem non minuit; *Magnum, & mirabile, dilectissimi, consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio; & si quid cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quod alijs non negauit*; apertissima vtriusque Sanctissimi Pontificis verba, quæ nullam exigunt interpretationem, nec enim exponendo fas est ea detorquere, quasi mysticè veniant accipienda ita, vt Petrum propositum in imitationem, & exemplum alijs episcopis velint, neque enim potestatis fontem, originem, & caput recte exemplum exponas, à quo non taquam à causa, sed tanquam à typo, & idea vniuersa potestas procedat; nam vt eleganter idem Sanctissimus Pontifex Leo; *Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum offitium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet*.

Serm. 3. de Assump. sua inpr.

Can. ita Domin. dist. 9.

Sed curiosiùs adhuc libet inquirere; cur ità factum concedimus? vt non tantùm ordinis potestatem plenissimam à Christo Domino habuerint immediate Apostoli, & tamen solam ordinis à Deo, iurisdictionis verò à Summo Pontifice habeant Episcopi? Nonne ipsi Apostolorum successores? Cur inter eos tam diuersum? Quidquid ordinis in Apostolis fuit totum planè diuinum, ac per consecrationem in Ecclesia propagandum ordinarium fuit, & ideò, vt in Apostolis à Deo immediatè processit, ita & in Episcopis à Deo immediatè per consecrationem ipsam confertur; & in hoc successere, & succedunt Episcopi Apo-

Apostolis, tanquam eandem cum ipsis adepti potestatem; vnde factum, vt & qui ab ijsdem Apostolis immediatè ordinabantur, non tam collegæ, & consortes, sed successores meritò dicerentur viuentibus adhuc Apostolis ipsis, vbicumque enim vera adest ordinatio, qua Episcopis ordinis Episcopalis potestas in Apostolis primùm instituta traditur, ibi vera Apostolorum est successio. At quam habuere Apostoli Iurisdictionem tota extraordinaria fuit, non in Ecclesia consimiliter propaganda, sed quę cum Apostolis ipsis (vno excepto Petro) esset extinguenda, non fuit ordinaria, sed delegata, *Pro Christo enim legatione fungimur inquit Ap.* & sicut in ipso fundandæ, & erigendæ Ecclesiæ limine hæc extraordinaria, & amplissima Iurisdictionis potestas in Apostolis fuit necessaria, ita fundata Ecclesia non item, sed sola ordinaria à Deo ipso instituta sat fuit, quam Episcopi à Capite Ecclesiæ, tanquam eiusdem potestatis depositario, reciperent, id enim ad vnitatem in Ecclesia conseruandam absolutè necessarium fuit, sine quo certè vnitas ipsa non constitisset, nec posset consistere, & ideò potestas ordinis à Deo tam in Apostolis, quàm in Episcopis, at iurisdictionis, vtpotè amplissima in Apostolis delegata, ac tota extraordinaria, in Episcopis à Pontifice est, quę causa etiam existit, vt quamuis fuerit ipsis dictum, *Sicut misit me Pater, ego mitto vos*, non tamen missi ipsi cum plenissima potestate potuerint alios mittere cum auctoritate consimili, quia cum esset potestas delegata, & extraordinaria cum ipsis expirauit; at in Episcopis à Summo Pontifice, in quo tanquam in capite, ac fonte tota auctoritas residet, & ideò (ad vnitatem Ecclesiæ tuendam, vt iam diximus) nemo ipsam habere debuit nisi communicatam à capite, & à fonte petitam; Neque per hoc licebit inferre, quod Episcopi erunt meri Papæ Vicarij, ac delegati potestatem habentes non iure suo, sed alieno beneficio, quod erit non facere eos Principes in Ecclesia, sed meros Commissarios, idque de sublimi gradu Ecclesiæ nefas sit dicere; nam planè inanis, & falsa est huiusmodi illatio; neque enim vlla implicantia, aut contradictio est, vt habeant Episcopi à Pontifice iurisdictionem, & simul à Deo, habeant propriam, & non delegatam, sicut veri Principes, & non Commissarij; indicauimus hoc ipsum exactè superius cum monarchicum Ecclesiæ regimen ostenderemus, cum quo tamen stat, vt Episcopi non sint Vicarij supremi Monarchæ, sed Principes iure suo regentes, vtcumque aliunde recipiant potestatem; exemplum dedimus peraccomodum in Legato Proconsulis ex Pandectis Iuris Ciuilis exponente Doctissimo *Iacobo Cuiac.* Legatus enim Proconsulis, ab ipso mandatam recipiebat iurisdictionem, adeò vt Proconsul statim, ac ingressus esset prouinciam mandare ei iurisdictionem teneretur, & tamen ea sic mandata, aliquid proprium habebat, vnde & à sententia Legati ad Proconsulem appellabatur, quod quidem fieri non potuisset, si Legatus nihil proprium haberet; fusiùs hoc idem loco suo fuit declaratum, neq; hic vberiùs est exponendum; alijs exemplis illustrat *Suarez*. Meritò igitur concludimus stare duo hæc posse, & vt Episcopi à Summo Pontifice

2. ad Corint. c. 5. & ad Eph. c. 6.

Lib. 7. Obseru. c. 21.

De legib. lib. 4. c. 4. num. 14. & 15.

tifice

tifice iuriſdictionem recipiant, & tamen non ſint eius Vicarij, aut Commiſſarij, ſed veri Principes iure ſuo adminiſtrantes, & regentes cum reſpectu tamen ad ipſum, vt vnicum ac ſupremum caput; vnde ſtatum Epiſcoporum non vno exemplo expreſſit *Diuus Thom.* modò enim ſcripſit, ſe habere Papam ad Epiſcopos, ſicut poteſtatem Regis ad poteſtates iudicum conſtitutorum per ſingulas ciuitates; modò ita ſe habere poteſtatem Papæ ad poteſtatem Epiſcoporum, ſicut ſe habet poteſtas Imperatoris ad poteſtatem Proconſulis; & demùm cum ſit ordo in Eccleſia, vt ſub vno capite ſint Epiſcopi ſingulas Diœceſes regentes ex Chriſti Domini, & Dei inſtitutione (vt iam vidimus,) inde meritò fit, vt quamuis à Capite recipiant poteſtatem iuriſdictionis, non tamen per hoc deſinant eſſe ordinarij, ſed immò Magiſtratus ordinarij cum veritate dicantur.

In 4. Sent. Diſt. 19. & in fine.

Huc poſſunt perappoſitè conferri, quæ loco ſuo de Monarchico Eccleſiæ ſtatu latè diſſeruimus, quæ enim ratio facit, vt cum vnius ſupremi regimine ſtet ſummus Epiſcoporum gradus in Eccleſia, vt eum appellant *Ignatius*, *Dionyſius*, & *Hieronymus*, eadem validiſſimè firmat, vt recepta iuriſdictionis poteſtate per Epiſcopos à Summo Pontifice ſint ipſi adhuc verè Principes, & Ordinarij, non Comiſſarij, non Delegati, non Vicarij, niſi lato modo, qui tamen veritatem, ac proprietatem non immutat. Hactenus de Magiſtratus Epiſcopalis in Eccleſia poteſtate. Iam ad eiuſdem Magiſtratus electionem veniamus.

Epiſt. ad Smirnenſ. De Eccleſ. Hierarch. c. 5.

CAP. XVI.

Quomodò præficiantur, aut deputentur, & eligantur Epiſcopi.

1 *Partitio materiæ.*
2 *De noui Epiſcopatus erectione, proponitur ſententia, quod pertineat ad Principem ſæcularem ſupremum cum eius fundamentis.*
3 *Vera opinio traditur, & fundatur, & ſoluuntur oppoſita.*
4 *Tranſitus ad Epiſcoporum electionem, & primò conſideratur Apoſtolorum æuo.*
5 *Eligendi, & præficiendi modus ſtatim poſt Apoſtolos, & ſucceſſiuè.*
6 *Populi, & Cleri quæ partes in electione, & præcipuè in Oriente.*
7 *Quid ſeruatum circa electiones in Occidente.*
8 *De inueſtituris Epiſcopatuum, & aliorum Beneficiorum à Principibus ſæculi datis, cum pluribus ad rem pertinentibus pro hoc æuo.*


ALTISSIMA, planèque inuoluta inter vetuſtæ obſeruationis tenebras eſt inquiſitio, quam aggredimur, quæ, vt clarior, ac dilucidior reddatur, à nobis bipartita diſtinguetur, & ad duplicem redigetur indaginem.

1 Prima erit de noui Epiſcopatus

tus erectione, à quo scilicet fieri debeat; secunda verò vacante Episcopali Sede iam erecta, quomodò nouus Episcopus veniat ei præficiendus, cui opportunè addemus quænam in præficiendo Episcopo sint spectanda, & quæ requirantur.

2 Exordiamur à prima. Circa noui Episcopatus erectionem, & institutionem commemoranda est singularis opinio eorum; qui assentantes Principum sæculi auribus voluere, noui Episcopatus erectionem ad Principem supremum spectare, & tanquam eius operis auctorem penès ipsum residere, quandòquidem non desint antiquissimi Canones hanc auctoritatem in Imperatore sæculi supremo Principe agnoscentes, Concilium enim Chalcedonense *Can.* 12. Metropolis honorem in ciuitate illa confirmat, quam Imperator literis suis ad tanti gradus apicem euexit, & apertiùs *Can.* 17. generaliter decreuit; *sin autem etiam Ciuitas aliqua ab Imperatoria auctoritate innouata est, vel deinceps innouata fuerit, ciuiles, & publicas formas Ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur*; quod quidem nil aliud esse videtur, nisi arbitrum asserere Imperatorem huiusmodi graduum in Ecclesia; vnde cum Canon iste Chalcedonensis reassumptus, & confirmatus fuisset *Can.* 38. in trullo, ad hunc ipsum canonem trullanum notauit Zonar. eam penès Principes esse auctoritatem, vt si quam Vrbem de nouo erigerent, eique Episcopatus, siue Metropolis decus adderent, eosdem gradus, & ecclesia agnosceret; immò generaliùs, & magis intrepidè, quàm *Zonaras*, *Theodorus Balsamo* professus est, penès Principem auctoritatem esse episcopatuum, & Metropoleon instituendarum, & eò constantiùs asseruit, quò fauere sibi constitutionem Alexij Comneni Imperatoris credidit, qui hanc sibi à Chalcedonensi Canone auctoritatem asserens statuit, vt quam ecclesiam motu proprio, & nemine Episcoporum per ambitionem instigante Imperator Metropoleos honore dignatus fuerit, ea Metropolitana censeatur; quæ subinde premens vestigia, Iustinianus Imperator Iustinianam Patriam suam de Episcopatu in Archiepiscopatum, ac Metropolim erexit septem prouincijs ijdem tanquam Metropoli subiectis. Per quæ exempla neoterici palpantes parem, & eandem omninò auctoritatem in quolibet supremo Principe autumant, rationibus omnibus in vnam redactis, quod vel docente *Arist. illa viuendi ratio optima sit, quæ ad Deum considerandum maximè facit*, eam vero pessimam, *quæ à considerando, colendoque Deo auocet*. Indeque summis potestatibus hunc finem propositum adstruunt, *vt ciues faciant religiosissimos*, ea autem omnia, quæ illò tendunt, ac dirigunt, sacrorum nomine generali veniunt; factumque, colligunt, vt summa potestas, qua ea est, ambitu suo sacra quoque contineat, posito enim fine simul ponitur ius ad ea, sine quibus finis ipse haberi non potest, & consequenter Episcopatus erigere, & instituere, eosdemque in Metropoles euehere iure suo valeat.

Ad Can. 17 Chalc. ad 38. trullan. & 16 Chartagin.

Lib. 2. Iur. Græc. Rom. 4.

Moral. Eudem. in fin.

3 Verùm non hæc audiunt, nedum admittunt, Pij, & Catholici Principes, sed distincta agnoscentes Imperium, & Sacerdotium *Canon. duo sunt 96. Dist.* potestatesque diuersas

uersas

uersas, ac statutos vtrique à Deo limites, quę Dei sunt Deo relinquunt. Diuinum quid, ac supernaturale est gradus Episcopalis institutio, & ideò penès Apostolicam Sedem, ac Summum Pontificem ea tota residet; testatur apertè *Gregorius Iunior* relatus à *Gratiano in Can. pręcipimus. 16. quæst.* 1. aucto enim notabiliter populo, *Pręcipimus* (ait ibi *Gregorius*,) *vt iuxta Sacrorum Canonum statuta ex vigore Apostolicæ Sedis debeatis ordinare Episcopos*. *Tex. in C.* 1. *Ne Sede Vac. C. quod trtnslationem. De off. leg.* vbi cathedralium vnionem, suppressionem, & erectionem inter ea recensent Innocent. quæ sunt in signum priuilegij singularis Summo Pontifici, & Apostolicæ Sedi reseruata, & vtcumque Summi Pontificis oraculum rationum pondere non indigeat, iuri tamen id consonum ostendere liceat. Compertissimum illud est, magistratus erectionem in rectè disposita Republica, & quacumque politia, ac regiminis forma penès eum esse, qui supremus est, & penès quem residet Maiestas, siue is sit Princeps, siue optimates, siue populus; vnde in Romana Republica, quandiù penes populum stetit summa potestas, & penes populum fuit Magistratuum & institutio, & dispositio; translata per legem Regiam potestate in Principem, & in eum migrauit ius erigendi, & creandi Magistratus; indicat perbellè *Modestin. Iure-Consultus in l.* 1. *ff. Ad l.Iuliam de Ambitu*. *Hæc lex* (ait *Modestinus*) *in vrbe hodie cessat, quia ad curam Principis Magistratuum creatio pertinet, non ad populi fauorem*. Verissimè; præsertim si de maioribus magistratibus loquamur, mutuæ enim apparuere vices, prout in politia facta est inmutatio, nam exactis Vrbe regibus prima lex inter omnes, quæ ad populum latæ sunt à P.Valerio Consule, Magistratuum creationem populo tribuit; oppressa Republica redijt iterum ad Principem, summam ipsam potestatem consequens; summus enim in Republica totius iurisdictionis fons est ad *l. More. iunc. l. seq. ff. de iurisdict. omn. Iudic.* nec aliundè iurisdictionem consequi quispiam speret; in monarchica igitur Ecclesiæ politia noui Episcopatus erectio ad alium, quàm ad Summum Pontificem, tanquam supremum, spectare non potest, tota enim Apostolica iurisdictio, & auctoritas, quæ in alijs Apostolis delegata, & extraordinaria cum ipsis extincta est, in Petro, & Petri legitimo successore remansit tanquam ordinaria, vnde & ipse verè apex totius Ecclesiasticę iurisdictionis dici, ac censeri debet, & non ab alio, quàm ab ipso potest Magistratus in Ecclesia erigi Episcopalis, quando iam ostensum, Episcopos omnes à Summo Pontifice iurisdictionem accipere. Consequitur id omnino ex iam positis Ecclesiasticæ politiæ fundamentis, nec, vel minimùm turbant allata iam pro sæcularis Principis auctoritate. Quod enim ex *Can.* 17. Chalcedonensi afferebatur ad intentum non suffragatur; primùm siquidem ex eo, quod dicat *Canon. vt ciuiles, & publicas formas Ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur*, non rectè arguas, directè Imperatoris esse nouos Episcopatus, aut Archiepiscopatus erigere, sed erecta per eum vrbe, aut in Metropolim elata, debere, aut posse subinde Ecclesiam Episcopa-

lem magistratum, aut Metropoliticum gradum in eandem inducere; secundò spectandum illud maximè est; Græcos Patres, & Orientales Synodos non solùm ciuilibus prouinciarum mutationibus morem gessisse, sed & vario, ac inconstanti Imperatorum fastui palpando obsequi consueuisse, indeque temporis processu Episcopatuum, & Metropoleon auctoritas conuulsa, ac perturbata destinctio remansit, inducti ideò Chalcedonenses Patres ad canonem illum edendum, & factum demùm, vt inclinante Orientali Imperio Græcorum Ecclesiæ non Patrum, aut Conciliorum decretis, sed Imperatorum potiùs placitis administrarentur, qui mutationes circa Ecclesias ipsas inducebant pro Episcoporum libidine, & fastu, qui gratiosi in Comitatu degebant, quod quidem absurdum spectans idem Chalcedonense Concilium *Can.* 12. decreuit, vt si fortè per pragmaticam Imperatoris ad petitionem Episcopi alicuius diuidatur, & scindatur aliqua prouincia in duas, vt & duo essent Metropolitani in eadem prouincia, Episcopus, qui hoc tentare ausus fuerit, gradu suo excidat, & quæ Ciuitas per literas Imperatoris Metropolis titulo fuerit donata, solo tituli honore gaudeat, seruato veræ Metropoli iure suo. Nec vltra ausi Patres solito meticulosę assentationis morbo laborantes; indeque tollitur, si quæ videtur, antinomia inter *Can. hunc* 12. *&* 17. eiusdem Concilij Chalcedonensis, ille enim ad petitionem ambitiosi Episcopi factam Metropolis erectionem considerat, hic verò pro mera potestate, & arbitrio Imperatoris. Concilium Chalcedonense secutum est Constantinopolitanum in Trullo *Can.* 38. & vtrumq; exposuere Græci commentatores *Zonar. & Bals.* qui perfractè nimis ad *d. Can.* 38. Imperatori blanditur, ac omnimodam in hoc potestatem tribuit. Videas, Lector, quæ *Demetr. Chomaten.* de potestate Imperatoris in Ecclesiastica, & stupeas. *Lib. 5. Iur. Græcorom 1. resp. 317* Non sic Occidentalis, ac Romana Ecclesia, non sic Romani Patres, & Pontifices, qui Imperatoribus omnia sacra reuoluentibus intrepidè restitere. Vidimus iam quàm constanter Sanctus Leo Magnus erectionem Byzantinæ sedis in secundam Patriarchalem oppugnauerit fortiter se opponens, & Decreto Synodi Chalcedonensis, & Marciano Augusto, qui illud procurauerat; risit Gelasius Summus Pontifex, cum audiuit attollendam Episcopatus alicuius celsitudinem pro eo, quod Regiæ Vrbi præsideat, nec in ijs, quæ respiciunt sacram administrationem, spectandam Imperatoris voluntatem, aut constitutionem censuit; nam in commonitorio ad Faustum Magistrum ait; *Quod si dicunt, Imperator hoc fecit: hoc ipsum quibus Canonibus, quibusue regulis est præceptum*, & eadem planè romana constantia Innocentius I. Alexandro Antiocheno Episcopo consulenti. *Epist. 29. Tom. 1. Ep. Sum. Pont.* *Vtrum diuisis Imperiali iudicio prouincijs, vt duo Metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari?* rescribit. *Non verè visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque, ac diuisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator*; Secuti sunt Apostoli, (vt alias opportune obseruauimus) secutus est Diuus Petrus in disponenda, ac distri-

stri-

stribuenda Ecclesiastica politia generalem Orbis partitionem, ac prouinciarum diuisionem adeò, vt Principes Vrbes delegerint, in quibus religionis principatum sisterent, ac in ijs potestatis fastigium collocarent; hanc eandem normam seruarunt & Romani Pontifices; at prouinciarum particularium mutationes, quas Imperatores, aut pro vrgenti eorum necessitate inducerent, aut inanis gloriæ æstro, aut demùm procerum, aut Episcoporum ambitu, neutiquam duxerunt sectandas. Tenuit hæc leuitas Orientalem Ecclesiam, & Orientales Episcopos agitauit, at inde non recte arguas, & ex Orientalium Imperatorum fastu inferas confundendas potestates illas, quas Deus voluit distinctas, immò adeò diuersas, vt sæcularis attingere, quæ sunt Ecclesiasticæ, non debeat. Ita intrepidè Osius Cordubensis Episcopus allocutus est Constantinum Cęsarem: *Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ Deus concredidit*. Ad rem hoc satis, & ad Imperatorum, ac Grecorum auctoritates, & assertiones.

Apud Athanas. Ep. ad Const.

Innouauit quidem Iustinianus Cæsar, dum Episcopatum Iustinianæ Patrię suæ ad Archiepiscopale fastigium euexit, concessa ipsi Archiepiscopali dignitate, & auctoritate in septem prouincias, distractis ijsdem prouincijs ab ecclesia Thessalonicensi, quas recenset *Nouella* 131. quem prætexuerit colorem Iustinianus huic constitutioni suæ in hac parte, non moramur; at illud obseruamus, non tam iure suo id fecisse, quàm Vigilij Summi Pontificis auctoritate; *in cap.* enim *primo* eiusdem Nouellæ habet hæc ipsa verba *Secundùm ea, quæ definita sunt à Sanctiss. Papa Vigilio*, quæ verba omnem scrupulum, ac dubitationem adimunt. Sit tandem Summi Principis subditos quàm religiosissimos facere, ac studere, vt in ditione sua vna, eaque vera habeatur religio; at non ea, quæ religionis sunt tractare, ac deliberare, *non enim Principi* (rectissime *Lipsius*) *liberum in Sacra Ius; absit, sed inspectio quædam, idque tuendi magis, quam cognoscendi gratia; in omni enim Republica* (inquit *Arist.*) *primum est curatio rerum diuinarum*; at vbi veritas illuxit, distinctæque potestates fuere, Principis quidem pij, & catholici est fouere, tueri, colere veram religionem, at non ea, quæ veræ religionis sunt, occupare; cum sit igitur, quod Episcopatus erigere de nouo potestatem exigat supernaturalem datam à Christo Domino Petro, ac eius successoribus, & ipsorum auctoritate nouus Episcopatus veniet instituendus. *Baronius* ex Vitis Pontificum ordinationes Episcoporum ab ipsis factas, quæ in eis commemorantur, indicare asserit Episcopatuum erectiones Sedis Apostolicæ esse; siuè id faciat ipsa per se, siuè per Metropolitanos, quos creauit, tanquam illa, quæ Ecclesiasticam Hierarchiam instituit; at in ea erectione rem ex charitate ita temperaturam certò scimus, vr quamuis Princeps id per se nequeat præstare, eo tamen inscio, & inconsulto Pontifex nil statuat; sicut enim antiqui Canones (vt infra videbimus) in electione Episcoporum vota, ac desideria populi exquirebant, ne inuitis obtruderetur Episcopus, ita nec inuitis obtrudendum nouum Episcopatum credimus, sed omnia cum libertate Eccle-

Ciuil. Doct. lib. 4. C. 2. in princ.

Lib. 7. Polit.

Tom. 2. Annal. An. 154 in princ.

siæ

ſiæ pro ſumma prudentia, & charitate ſupremi capitis componenda. Hactenus de noui Epiſcopatus erectione, & inſtitutione.

4 Tranſeamus ad Epiſcoporum electionem, quo caſu erecta iam Epiſcopali Sede vacare illam contingat; quæ quidem difficilis, & planè obſtruſa eſt inquiſitio, ſed eam altiùs repetentes, & ſucceſſiuè per varia tempora excurrentes illuſtrare nitemur, vſquequò ducamur ad formam prouidendi eccleſijs viduatis, qua modò vtitur Eccleſia. Fundata igitur Republica, eique ſupremo Capite conſtituto cũ poteſtate ſumma, Magiſtratibus ordinarijs inſtitutis, qui iure quidem ſuo, & non tanquam Vicarij, ſed dependenter à ſupremo capite eam regerent, ac adminiſtrarent, diuina prouidentia, quæ non deficit in neceſſarijs, ita politiam diſponendam nouit, vt Reſpublica, quæ vſque ad conſummationem ſæculi eſſet duratura, rectoribus ſuis, & comminiſtris non deſtitueretur, ſed propagarentur ipſi fæliciter pro fidei ampliatione, & quandocumque fato ſuprema per mortem perſoluerent, alij ſubſtitui, & poſſent, & deberent, qui pari poteſtate eundem gradum, & Magiſtratum aſſumerent.

Quòuſque vera eccleſia ſub figura, ac in Synagoga, velut imperfecto ſemine, delituit obſcura, miniſtrorum propagatio imperfecta quodanimodò fuit, quatenus per carnalem ſucceſſionem agebatur, & Rectores non datos, ſed natos accipiebat; Sacerdotes ex ſemine Aaron, qui vicibus ſuis Sacerdotali munere fungerentur, reliqua ſubinde tribu Leui omnium Sacrorum tabernaculi præcipuè, & templi miniſterio addicta. At vbi expuncta figura Summus, ac verus Sacerdos Chriſtus Dominus carnem aſſumens apparuit, Sacerdos quidem, ac ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui fuit ſine Patre, ſine Matre, & ſine genealogia, carnalis hæc Sacerdotij propagatio receſſit, & perfectior prouidendi modus aduenit, per electionem ſcilicet, qua non fato, ſed conſilio rectores ſuos Eccleſia reciperet. Expleto igitur redemptionis opere, & Eccleſia fundata ſanguine ſuo, tranſiturus Chriſtus Dominus de Mundo ad Patrem regimen eiuſdem Eccleſiæ inſtituit, ac magiſtratus erexit, per quos, & tunc primùm, & ſubindè ſucceſſiuè eſſet ipſa regenda. Diſcipulis poſt reſurrectionem apparens in medio eorum ſtetit, dataque pace ſuæ infinitæ charitatis ſymbolo, verba illa protulit ampliſſima. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; Verba facto etiam firmauit, ac ditauit, dum inſuflans addidit; *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*. Qua ſeriè factos diſcipulos, & Apoſtolos, & Epiſcopos non ambigimus, ſed ita, vt ſicuti vterque hic gradus Apoſtolatus, & Epiſcopatus eſt diuerſus, ſic etiam ſit diſtinctus, & duplex ſit collata poteſtas vtrique gradui reſpondens, Apoſtolatui, qui fuit collatus per verba *Sicut miſit me Pater*, reſpondet ampliſſima quidem, ſed extraordinaria, & delegata, vniuerſalem eccleſiam reſpiciens, ac tota iuriſdictionis poteſtas; Epiſcopatui verò poteſtas ordinis, quæ ſucceſſiuè eſſet propaganda, vt pote in Eccleſia perennis, & per quam Epiſcopi Apoſtolorum eſſent denominandi ſucceſſores,

Ioann. c. 20.

ſores,

sores, ac stabilem Magistratum in institutа Republica gererent. Prima illa potestas extraordinaria, & delegata (vt aliàs notauimus) cum Apostolorum vita expirauit, necessaria quidem, at in ipso fundandæ, ecclesiæ limine, remansitque tota in vno Petro tanquam ordinario Ecclesiæ Capite, qui non tantùm fuit comprehensus verbis illis, *Sicut misit me pater*; sed vlteriùs singulariter ipsi dictum in omnium aliorum Apostolorum conspectu, *Pasce oues meas*; vnde & perpetua, ac in successores transmittenda in ipso fundata potestas, qua Ecclesia vsque ad consumationem sæculi regatur; & à qua tanquam à fonte omnis alia potestas, ac iurisdictio dependeat.

Distincta hac duplici in Apostolis potestate, iam nunc ad ecclesiæ propagandæ principia progredimur, & ad Episcoporum electionem, quam intendimus præcipuè. Cum igitur Apostoli duplici potestate præditi iurisdictionis, & ordinis, illa præsertim amplissima, ac in totam ecclesiam, sed extraordinaria (vt iam diximus,) & delegata in Ecclesiæ ipsius ampliationem incumberent, ac Euangelij disseminationem, idoneòs viros cæperunt eligere, ipsisque manus imponentes statuebant Sacerdotes, & Episcopos ad regendas Ecclesias, ad quas ipsos destinassent, ea potestate, quam Christus Dominus dederat, *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; vnde mittentes Apostoli non Apostolos, sed Episcopi Episcopos constituebant, non cum pari, & amplissima potestate, quæ tanquam extraordinaria, & personalis, erat incommunicabilis, sed cum limitata, merè Episcopali, & ad singularem Ecclesiam regendam idonea. Quam vtramque potestatem cum non distinxerint, emersit inde error asserentium Apostolos mittentes à se ordinatos, misisse cum pari, & eadem sibi tributa potestate; cum per verba illa, *sicut misit me Pater &c.* dederit Dominus singulis Apostolis potestatem multiplicandi, ac propagandi Ecclesię Ministros, ipsamque plenissimam, eandem etiam mandato Christi in Episcopos omnes, & singulos, sicut ipsi omnes, & singuli habuerunt, transtulisse, & ideò quemlibet Episcopum tanta munitum propagatiua facultate posse, & nouum Episcopatum erigere, & Sede Episcopali vacante ipsi de nouo Episcopo prouidere, mero tamen iure diuino inspecto; assertio, quæ ad subuertendum Romani Pontificis Primatum directa, Sacræ Scripturæ, & Conciliorum, ac SS. Patruum apertissimis testimonijs subuertitur; ecce enim primò Paulus Apostolus Titum Cretæ Episcopum ordinat, & mittit cum facultate ordinandi præsbyteros, & ea administrandi, & corrigendi, quæ sui muneris sunt, sed non extra eius insulæ limites; sic enim ad eum scribit: *Huius rei gratia reliqui tè Cretæ, vt ea, quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi*. Conuocauit in transitu, cum properaret in Hierusalem, maiores natu, & Episcopos ecclesiæ Ephesinæ, eosque hortans alloquitur.

Neoterici error. De Dominis.

Epist. ad Tit.

Attendite vobis, & vniuerso Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; nec absimiliter Diuus Petrus. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*. Idem seruandum præscribunt Canones

Act. Ap. C. 20.

1. Petr. C. 5.

Can. 13. alias 14. nes Apostolorum; *Episcopo non liceat sua relicta parochia ad aliam transilire; etiam si à pluribus rogatur*; & *Can.* 35. *al.* 36. *Episcopus non audeat extra suos fines facere ordinationes in Vrbibus, & pagis non ei subiectis*. Sanctissima illa peruetusta Concilia vestigijs inhærentia ab Apostolis impressis consimiliter decreuerunt; Nicænum enim primum *Can.* 6. & 7. Patriarcharum definitos limites agnoscit, & confirmat. Constantinopolitanum 1. *Can.* 2. *Episcopi ad ecclesias* (inquit,) *quæ sunt vltra suam Diœcesim, suosque limites ne accedant, nec ecclesias confundant*; idem in Trullo *Can.* 20. Carthaginense 11. *Can.* 12. Aurelianense 111. *Can.* 15. Arelatense 1111. *Can.* 24. quæ quidem decreta conuincunt, amplissimam illam Apostolorum auctoritatem non fuisse ab ipsis in Episcopos transmissam; idque ipsum ratio, & ecclesiæ regimen exigere omninò est visum; vt sæpius iam supra tactum; Apostoli à Chisto Domino non nisi potestatem quamdam extraordinariam acceperunt, qua vbique terrarum ecclesias erigere, atque in eas Apostolicum, & Episcopale ius plenissime possent exercere; Hæc fuit eadem, & equalis in omnibus; sed cum eo discrimine inter Petrum, & alios Apostolos, quod in Petro fuit summa, & ordinaria, & quæ per successionem transmittatur, at in alijs Apostolis extraordinaria, delegata, subordinata, ac in neminem transmittenda.

Hanc æqualitatem tunc primò surgentis ecclesiæ status exigebat, cum enim per totum terrarum Orbem vnà cum vera fide esset diffundenda, potestas etiam amplissima in quolibet Apostolorum ad hoc idem præstandum apta requirebatur, vtcumque ab vno dependens, atque vni subordinata; at vbi iam ab Apostolis, & missis ab ijsdem discipulis particulares ecclesiæ essent fundatæ, hæc potestas amplissima necessaria non fuit, sed sat erat (eam in vno tanquam Capite conseruari, nam immo, si in quocumque extitisset, ecclesię vnitas non consisteret) vnoquoque enim Episcopo existente summo, & cum latissima potestate in Ecclesia sua, alio capite, & supremo non esset opus, vel si adesset, facilè sperneretur, nec debitus cum eo consensus, debitaque subordinatio perduraret, quod quidem illud ipsum est, quod intendunt volentes, transmissam omnem Apostolicam auctoritatem in quemlibet Episcopum, & quemlibet esse Papam in Ecclesia sua, quod si euincere ipsis daretur, iam vident totum Summi Potificis Primatum planè conuelli; & ideò limitatam hanc potestatem in Episcopis à se missis, & ordinatis agnoscentes Apostoli canonem omnium primum condiderunt, *vt Episcopus à duobus, uel tribus Episcopis ordinetur*: dubium semper extitit, an Canon iste Apostolicus sit accipiendus de sola ordinatione, & manus impositione, quam Græci χειροθεσίαν appellant, an verò de electione, quam dicunt χειροτονίαν, cum verbum χειροτονία vtramque tam electionem, quam ordinationem significet, & de illa, non de ista accipiendum voluere Balsamon & Zonaras attamen, quia tunc fortasse electio nondum ab ordinatione omninò segregabatur, vt indicat *Canon.* 4. *Nicæn.* immò ordinationis nomine, & ipsa electio comprehendebatur, vt indi-

Ep. 28. ad Episc. Per. Viennens. Prouinc. indicat *Concil. Arela. 2. Can.* 54. & *Sanctus Leo Magnus*; ideò canon adhuc ostendit, limitari cępisse ab Apostolis Episcoporum electionem, & ordinationem ita, vt non quilibet vbique eligeret mittendo, & ordinaret, sed certi tantùm, & intra certos cuiusque prouinciæ limites, tanquam deficiente post eos potestate illa amplissima, & plenissima, quam ipsi habebant, & qua vbique terrarum Episcopatus erigere, & Episcopos ordinare pro libito poterant, & quæ (vt sæpiùs diximus) cum ipsis expirauit, & ideò optimè colligimus, agnouisse Apostolos limitatam auctoritatem in Episcopis, quando ipsi amplissimam sibi traditam exercere quidem poterant, at in alios transmittere non item. In ipso igitur surgentis Ecclesiæ primordio Episcoporum electio ita processit, vt cum Apostoli parem omnes, & æqualem potestatem in totam Ecclesiam (extraordinariam tamen, & sub Petro) à Christo Domino accepissent, eâdem id auctoritatis etiam comprehendebantur, vt omnes, & singuli tam Episcopos, quàm alios Ecclesiæ Minostros eligerent, ac ordinarent; vnde, quem ipsi, & mitterent, & ordinarent, Episcopum facerent, ac regioni, ad quam misissent, ac destinassent, præficerent. Cessante, ac terminata cum Apostolis hac eligendi forma, alia instituenda fuit, quam verè ordinariam seruaret Ecclesia, vt tanquam rectè constituta Respublica sub vno capite certam etiam rationem eligendi suos Magistratus haberet.

Prudentissimè, pro vario Ecclesiæ statu, in electionibus Episcoporum peragendis fuit incessum, variè in Ecclesiæ surgentis cunabulis, variè pro vario eius incremento, & progressu, prout ipsius vtilitas, & recta disciplina exposcere, ac suadere videbatur. Primam enim electionem in ipsis Ecclesiæ crepundijs intuemur; cum ad Episcopatum vocatus *Matthias* iuxta *Diuini Psaltis* vaticinium à D. Petro allegatum, *& Episcopatum eius accipiat alter*; congregatis enim vniuersis fratribus ad centum viginti numero cum Maria Matre Iesu, præsidente tanquam Capite, ac proponente Petro exhibiti fuere duo ex septuaginta duobus discipulis, ijsque statutis, Ioseph scilicet, qui dicebatur Barsabas, & Matthia, iactisque sortibus, quibus diuinum beneplacitum consuleretur, & oratione præmissa, cecidit sors super Matthiam; nec in nuda sorte, vtcumque diuinæ voluntatis consultoria, res stetit, sed addita insuper fuere suffragia, & communibus fratrum votis fuit aggregatus, & electus, nè plus fortunæ, quàm meritis in eo grauissimo actu tributum videretur ἐψηφίσθη, hoc est calculis, & suffragijs factus est; subinde electi, & Diaconi à tota multitudine discipulorum; tuncque inspirante numine conditus Apostolicus Canon, (vt verisimile est) 30. *Si quis Episcopus sæcularibus principibus vsus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur, & segregetur, & omnes, qui illi communicant: Can. Si quis Episcopus 16. q. 7.*

Act. c. 1. Psal. 118. Act. c. 6.

Postmodùm & primus Hierosolymorum Episcopus electus ab Apostolis, & ordinatus à tribus ex ipsis Iacobus Frater Domini, vt scripsit Anacletus Summus Pontifex relatus *in Can. Porrò. 66. Dist.* Cum autem Apostolorum opera cæpisset disseminari Euangelium, ac fœlici-

ter propagari Ecclesia, iam & Ecclesiasticam politiam disponere ijdem Apostoli aggressi sunt, mittentesque ordinatos à se discipulos Ecclesiasticam hierarchiam, ac visibile regimen fundare, cum enim ipsorum quilibet amplissimam in ecclesiam potestatem, sed extraordinariam, & delegatam haberet, noscentes hanc incommunicabilem, mittebant quidem à se ordinatos, sed cum limitata potestate, ac certo loco addicta, & ad certum regendum gregem directa, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Verum quia in Ecclesia tum fundanda, tum regenda maximè spectanda erat vnitas, ac inter Episcopos, qui erant multiplicandi, & iam multiplicabantur, seruanda communio, ad exemplar institutionis à Christo Domino factæ in Apostolorum Collegio, cui vnus præsidebat, Ecclesiam ipsam ità disposuerunt, vt vbique sub forma quadam Aristocratici regiminis vnus præesset; ideò ciuilem, & sæcularem politiam sectantes, imitantesque Imperij Romani dispositionem, sicut hoc in prouincias fuit distributum, ita ecclesiasticum Orbem per Prouincias distribuerunt, ex quibus tanquam ex partibus vnum integraretur corpus, cui, & vnus præesset; præcipiente igitur B. Petro, vbi Flamines Ethnicorum erant principaliores, & primi legis doctores, ibi Epscoporum Primates, Patriarchas assignauere, qui maiora in fide negotia agitarent; In Ciuitatibus verò, vbi Archiflamines præsidebant, sed minores iam dictis Flaminibus, ibi Archiepiscopum præfecere. In singulis verò Ciuitatibus vnum tantùm instituere, Episcopi nomine donantes, eo tamen ordine, vt omnes subiecti essent Episcopo, qui Metropoli præesset. Series aptissima, quam ex D. Clemente Romano referente ex ore D. Petri præbet *Gratian. in Can. in illis*.80. *Dist.* & de qua à nobis iam supra fusè tractatum, vbi de Metropolitanis egimus, quæ ibi dicta huc etiam transferenda. Hæc ecclesiarum particularium, immò & ecclesiæ ipsius, dispositio normam præbuit electioni episcoporum, vbi contigisset sedis alicuius vacatio post erectionem ab Apostolis factam.

Act. c. 20.

Ex Epist. ad Iacob.

1 Disposita igitur per prouincias ecclesiastica politia, certoque Episcoporum numero distributo, conuocante Metropolitano, ad comitia, siuè ad Synodos Episcopi ipsi conueniebant; Synodi autem, aut statæ erant, & quotannis certis temporibus celebrandæ ex *Canone*. 37. Apostolorum, aut repentinæ, & indictitiæ, prout oblata occasio exigeret, & præcipue pro peragendis electionibus, & ordinationibus Episcoporum, eaque occasione coactam veram fuisse Synodum non ambigimus, attestante *Canone* 19. Antiocheni concilij, quo in ea verba statuitur; *Episcopus ne ordinetur absque synodo, & præsentia Metropolitani Prouinciæ*. Vt autem certissimum est, conuocatam fuisse synodum pro peragenda Episcopi electione, ita variant scribentes circa modum ipsius electionis præsertim, quatenus Clerus, & populus ad eandem electionem interuenerit, quasue partes gesserit, qua in re attendendum maximè censemus temporis processum, quo variante variatum etiam obseruamus, nec idem seruatum, quà in Oriente, quà in Occidente; excurremus attentè, ac in re perdifficili

cili

cili veritatem pro viribus scrutabimur.

Normam electioni statuisse memoratum suprà Matthiæ exemplum, indeque edoctos Patres, quantum fas esset, electionis ipsius formam hausisse, nullum proferre possumus luculentius, aut vetustius testimonium, quam ex D. Cypriani epistola, qui post sæculum secundum floruit, primaque ecclesiasticæ disciplinæ rudimenta excepit. Is igitur de Basilidis ordinatione in Episcopum scribens primordialem illum electionis ritum ob oculos exhibet. *Propter quod diligenter de traditione diuina, & Apostolica obseruatione seruandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per prouincias vniuersas, tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vniuscuiusque actum de eius conuersatione perspexit, quod & apud vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri ordinatione, vt de vniuersæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentia conuenerant, quique de eo ad vos literas fecerant iudicio, Episcopatus ei deferetur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur &c.*

Lib. 1. Ep. 4. pag. 30.

6 Quæ quidem Cypriani verba si expendamus, comperiemus, primis illis Ecclesiæ temporibus duas hasce actiones coniunctim circa nouum Episcopum processisse, electionem scilicet, & ordinationem, & ijsdem factam personæ designationem, à quibus & ordinationem; comprouinciales enim episcopi conuocati promouendæ personæ dotes, ac merita, & transactam hucusque vitam examinabant, & probatam ordinabant, siuè consecrabant, Clero, & populo suffragandi, hoc est consentiendi, vel refragandi facultate relicta; at integrum, ac diffinitiuum iudicium penes Episcopos erat, quos hoc intuitu ad synodum conuocabat Archiepiscopus; altiùs repetit *D. Cyprianus* hunc æui sui morem, ac à diuina traditione deducit, vt plebis præsentia Episcopi præpositum viduatę ecclesiæ eligant, exemplum enim profert Mosis, cui Dominus præcipit; *Præbende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni Synagoga*, moxque subdit; *coram omni synagoga iubet Deus constitui sacerdotem, idest instruit, & ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri opportere, vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, & bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio iusta, & legitima, quæ omnium suffragio, & iudicio fuerit examinata*; quæ verba postrema ità accipimus, vt singula singulis congruè referantur, suffragium scilicet Clero, & Populo, iudicium episcoporum conuentui, plebs enim testimonio suo suffragabatur, merita, vel crimina detegendo, qualem *suffragij* significationem testatur congestis iuris auctoritatibus Brisson. *dum suffragium* (ait) *esse auxilium, & patrocinium bonorum adipiscendorum causa latum, ac præstitum*; Episcopi verò iudicio decidebant; veteris legis testimonium subnectit Cyprianus, & ex actis Apostolorum pariformem auctoritatem subdens;

Ibid. sed paulò superius.

Num. 20.

De verb. Signi. lib. 17

Ibidem. *quod posteà secundùm Diuina magisteria obseruatur in actis Apostolorum, quandò de ordinando in locum Iudæ Episcopo Petrus ad plebem loquitur.* Relatisque Petri verbis, mox addit Cyprianus *Quod vtique idcircò tam diligenter, & cautè conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel Sacerdotalem locum indignus obreperet.* Intueantur attentè Sectarij,qui nedum consensum, sed & electionem asserunt competere plebi ex iure Diuino; videbunt conuocatam quidem plebem ab Apostolis, factamque præsentem, at totam rei gerendæ summam penès Apostolos extitisse; proposuit & locutus est Petrus tanquam omnium Caput, cum quo, & reliquos Apostolos duos illos statuisse indicat Sanctus Lucas dum ait, *& statuerunt duos*, vt super alterius prælatione diuinum beneplacitum per sortem consuleretur; plebi verò presenti sola relicta approbatio per testimonium, idque factum in electione Diaconorum; *considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonij*:

Act.C.1.

Act.C.6.

Vnde mandato Apostolorum ipsi iniuncta inquisitio, & examen probitatis, & aptitudinis ad opus, & ministerium; *oportet autem illum, & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt*, ait Diuus Paulus de eligendo Episcopum loquens; *Quod si ab hostibus* (exponit ibidem Chrysostom.) *habere testimonium conuenit, multò magis ab amicis ipsis, fidelibus scilicet*; quem quidem morem testatur idem Cyprianus ad Cornelium scribens; *Nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret*, & sequenti Epist. *& sit ordinatio iusta, & legitima, quæ omnium suffragio, & iudicio fuerit examinata.* Concurrisse igitur populum, & clerum ad noui Episcopi electionem euidentius est, quàm vt fusiori probatione indigeat, ac testimonio, non definitiuo electionis voto, sed studio, & fauore, idque vno suffragij termino aptè satis exprimitur; at in exhibendis populi partibus liceat extra Sacra aduocare testimonium. Lampridius in vita Alexandri Seueri, qui secundo Ecclesiæ sęculo imperauit, ritum Christianorum in eligendo spectandum præbet Cypriano plane conformem, *Vbi aliquos voluisset* (Alexander scilicet Seuerus) *vel Rectores prouincijs dare, vel præpositos facere vel procuratores idest rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, vt si quid haberet criminis, probaret manifestis rebus, si non probasset pœnam subiret capitis; dicebatque, graue esse, cum id Christiani, & Iudæi facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunę hominum committerentur, & capita.* Verùm hic vsus popularis concursus in Præsulum electione facile, & exiguo temporis spatio in abusum deflexit, plebe ipsa præmio, prece, leuitate, & propria affectione sæpius commota.

1.adThim. cap 3.

Lib. 1. Ep. 3.

Ep. 4. ps princ.

Turba tremens sequitur fortunam semper. Iuuenal. Satyr.10.

Vnde Horatius. Lib. 1. Ep.

Non ego ventosæ Plebis suffragia venor,
Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis.

Et

Lib. 1. adverf. Iouinian. Et de iudicio plebis perappositè *Diuus Hieronymus*. *Nonnunquam errat plebis vulgique iudicium, & in Sacerdotibus comprobandis vnusquisque suis moribus fauet, vt non tam bonum, quàm sui similem quærat Præpositum*.

Ideò Laodicenum Concilium canonem vnum, & alterum condidit, quo vtrique huic abusui opportunè consuluit; Canone si quidem 12. ita decreuit. *Vt Episcopi Metropolitanorum, & eorum, qui sunt circumcirca Episcoporum iudicio in Ecclesiastico Magistratu constituantur diù examinati, & in verbo fidei, & in recti verbi dispensatione*; & Can. 13. apertiùs; *turbis non esse permittendum eorum, qui sunt in Sacerdotio constituendi, electionem facere*. Laodicenæ consonanter septem post annis decreuit & Nicæna Synodus prima *Can*.4. ex versione Balsamonis, & Zonarę in ea verba. *Episcopum oportet maximè quidem ab omnibus, qui sunt in prouincia, constitui, si autem sit hoc difficile, vel propter vrgentem necessitatem, vel propter viæ longitudinem, tres omninò eundem in locum congregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scriptisque assentientibus, tunc ordinationem facere, eorum autem, quæ fiunt, confirmationem in vnaquaque prouincia à Metropolitano fieri*. Hucusque Canon, quem transtulit *Gratian. decret. 64. Dist.C. Episcopi ab omnibus*. vbi de sola ordinatione, siue consecratione Canonem ipsum intellexit, cum tamen Græci interpretes supradicti Balsamo, & Zonar. de vtraque acceperint, & primo de electione eandem translatam omninò in prouincialem Synodum agnoscentes explosa ab eo electionis actu populi multitudine. *Cum enim Antistitum electio* (inquit Balsamo) *à ciuium multitudine olim fieret, hoc Diuinis Patribus non placuit, ne à Laicis sacris dedicatorum hominum vita discerperetur, & decreuerunt, à prouincialibus Episcopis vniuscuiusque prouinciæ Episcopum eligi*. Quod ipsum firmauit, & Zonar. concilians Canonem hunc Nicænum cum Canone primo Apostolorum, quem loqui de consecratione, vel manuum impositione asserit; Nicænum verò de electione, quam creationis, vel constitutionis nomine venire, & intelligi profitetur; in secunda verò parte eiusdem Canonis manus impositionem, seu consecrationem vterque accipit, quæ electionem iam factam supponit. Quamuis autem maiores partes plebi sint ademptæ, quas vsus, & consuetudo paulatim induxerat in peragenda Episcopi electione, non tamen per hoc sublata remansit obseruantia illa perquàm necessaria, vt, cum Synodus hæc prouincialis Episcoporum in loco Ecclesiæ viduatæ cogeretur, ibi etiam fieret discussio de meritis, & qualitatibus eligendi, quam reseruauerat Can. 13. Laodicenus; dum ait; *ij videlicet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quàm rectę conuersationis exemplo*; quæ sanè notitia aliundè meliùs hauriri non poterat, quàm à Clero, & Populo Ecclesiæ vbi facienda erat electio; vnde & in eiusdē Ecclesiæ Ciuitate Patres conueniebant; idque seruatum adhuc electiones factæ post Nicænum Decretum testantur, qualis illa Athanasij; cum enim Alexandriæ (cuius sedes vacabat)

bat) coacta eſſet Synodus, & populus aſſiduis clamoribus *Athanaſium* depoſceret, Patres illi in Encyclica Epiſtola teſtantur, ſe ad poſtulationem populi, & elegiſſe, & ordinaſſe; nec non & illa Baſilij Magni in Cæſareæ Epiſcopum; conuenere ſiquidem Epiſcopi comprouinciales Cæſaream, cuius tunc ſedes vacabat, cumque Gregorius Nazianzenus per Epiſtolam votum ſuum pro Baſilio ſcripſiſſet, Diuino excitatus ſpiritu, vtcumque ætate, & viribus fractus, morboque preſſus Cęſaream & ipſe adijt, ac ibi inter varia fauentium, & aduerſantium ſtudia vicit demùm Baſilij electio ab Epiſcopis facta, qui & ipſum ordinarunt, vt ex oratione Gregorij de laudibus *Baſilij*, & eiuſdem *Gregorij* epiſtolis tum ad Epiſcopos, tum ad ipſum *Baſilium* conſtat, & refert *Baron.* cum igitur rationi eſset maximè conſonus hic populi concurſus ad electionem per poſtulationem, & teſtimonium, prout ſæpius exorbitare deprehendebatur, moderamen quidem fuit ipſi per Canones, & decreta inijciendum, ſed tamen auferri in totum nec potuit, nec debuit; ſed poſt Laodicenum, & Nicænum Canonem ſucceſſiuè adhuc obtinuit, vt intueri fas eſt ex actione vndecima Concilij Chalcedonenſis, in qua agitatur controuerſia inter Baſſianum, & Stephanum propter Epheſinum epiſcopatum, vtroque enim ſe legitimum Epheſi Epiſcopum profitente, Stephanus ſui cauſam inter cætera per ea verba tuetur. *Hoc ergo expulſo, ſecundùm regulam, & perfecto dignè me quadraginta Epiſcoporum Aſianorum decreto, & nobilium, & plebis, & totius Reuerendi Cleri, & omnis Ciuitatis ordinauerunt*, ex quibus verbis adumbratur forma, qua Clerus & populus Ciuitatis electionem, & ordinationem Epiſcopi petebat, quæ & euidentior conſpicitur in XIII actione eiuſdem Chalcedonenſis Concilij, quà tractatur controuerſia inter Eunomium Nicomedienſem, & Anaſtaſium Nicęnum Epiſcopos; Dolebat enim Eunomius Metropolita Anaſtaſium, ex quo Nicæa iure, & titulo Metropolis à Valente Imperatore donata fuerat, quarundam ciuitatum, & ordinationem ſibi arrogare, quas ad ſe ſpectare intendebat, & inter eas Baſilinopolim; Eunomius verò, vt oſtenderet Epiſcopi eius vrbis ordinationem ad ſe pertinere, ait, *Oſtendo Decreta Baſilipolitanorum, vbi rogauerunt de Epiſcopo; tu oſtende, vnde rogauerunt Nicænum, vt eis daret Epiſcopum*. Vnde colligimus Decretum fieri conſueuiſſe à Clero, & à Ciuibus, quo ordinatio Epiſcopi à Metropolitano petebatur, ſiue certum, quem nominarent, ſiue generaliter dignum, & idoneum, quem ipſe Metropolitanus cum ſua ſynodo iudicaſſet, penès quem Metropolitanum maior poteſtas in hac ordinatione reſidebat. Verùm ab ea obſeruatione paulatim declinari cæpit, & vt in maioribus Vrbibus, & eccleſijs Metropolitani Synodum conuocabant ad electionem, non ita in minoribus cogebant, ſed Synodum ipſam in Metropolim ſuam vocabant, tuncque populi, & cleri, nec conſilium, nec teſtimonium expectabant, iam enim erant experti, quod conuenientes in loco, aut opido maiori vacantis eccleſiæ innumera ſubibant, & incommoda, & diſpendia Epiſcopi,

Apolog. 2.

Ep. 31. inter Ep. Baſi.ij, & Ep. 37.

Tom. 4. Annal. Anno 396.

ſcopi, & electio ipſa propter Ciuium ſtudia, & criminum obiectiones in longum ſæpius protrahebatur, ideò obſeruantes nil præcisè ſtatutum à Nicæno Canone circa locum Synodi, aut de Cleri, & populi teſtimonio, liberum credidere Metropolitano, eique planè arbitrarium apud ſe Synodum pro electione noui Epiſcopi habere, & non ſemper in vrbe, aut opido vacantis eccleſiæ; indicat *Can.* 18. Antiochenæ Synodi, quæ fuit poſterior Laodicæna, & Nicęna, coque cautum in hæc verba. *Si quis Epiſcopus*
Apud Balſ. *ordinatus non ierit in parochiam, ad quam eſt ordinatus, non ſua quidem culpa, ſed propter populi recuſationem, vel aliquam aliam cauſam, quæ à ſe non oritur, is ſit honoris, & muneris particeps; dummodò nullam rebus Eccleſiæ, in qua conuenit, moleſtiam afferat; is autem id ſuſcipiat, quod perfecta prouinciæ Synodus eo, quod ad ſe allatum eſt, iudicio ſtatuerit*. Quę Canonis verba duo ſupponunt; primum electum, & ordinatum Epiſcopum extra locum vacantis eccleſiæ ſine prçuio populi teſtimonio; alterum, populum electum recuſare, quod quidem non faceret, ſi electum in ipſo oppido conſilio, & teſtimonio ſuo commendaſſet, quo caſu recuſationis cauſam cognoſcit Metropolitanus cum Synodo, à cuius decreto populus pendere debet; cuius Synodi auctoritas non excludebat, quò minùs populus aliquem ſibi in Epiſcopum petere poſſet, ſiuè poſtulare, relicto tamen ipſi Synodo electionis arbitrio; ſic enim *Baſilius* ad Neocæſarienſes ſcribens; *Lupi cauendi*
Epiſt. 62. *vobis ſunt peruigilantis alicuius Paſtoris præfecturam, quem veſtrum quidem eſt petere, Domini verò eſt oſtendere*.

Petere quidem, at non aſſumere ſine Synodi iudicio vetante diſtrictè Antiocheno Canone 16. *Si quis vacans Epiſcopus in vacantem Eccleſiam irrumpens ſedem arripuerit abſque perfecta Synodo, is ſit eiectus, etiam ſi omnis populus, quem inuaſit, eum elegerit*. Vacantem Epiſcopum exponunt Balſamo, & Zonar. qui vel nullius, vel occupatæ à gentibus eccleſiæ Præfectus eſt; ſicut & vacantem eccleſiam, quæ Præſule ſuo deſtituta eſt; Adijcit *Canon. ſit autem illa perfecta Synodus, cui vnà quoque adeſt Metropolitanus*; ſine capite enim non rectè, & non legitimè conueniunt Epiſcopi. Cum igitur in Eccleſijs Orientis circa Epiſcoporum ordinationem hic ſeruaretur ſtylus, quò populus Metropolitanorum induſtria reperiebatur excluſus, cumq; plebem inſerere electioni periculoſa res eſſet, & tumultus plena, Iuſtinianus vtrique abſurdo conſulendum cenſuit, & conſtitutionem edidit, quæ eſt Nouella 123. cuius capite primo ita ſanxit, vt ſcilicet Clerici viduatæ eccleſię, & primores eiuſdem Ciuitatis Ciues, quos ibidem *Primates* appellat Iuſtinianus, qui pridem cum prouincialibus epiſcopis de futura electione conſultabant, ſoli in poſterum eam peragerent, repulſa, & excluſa vili plebecula; imminuta tamen ex Clero, & Primatibus libertate, non enim conceſſum, vt quem abſolutè vellent eligerent, ſed tres ſolummodò, quos ſcripto comprænhenſos ad Metropolitanum traſmitterent, qui ex tribus eum eligeret, quem cæteris præferendum noſſet, vt mittamus

condi-

conditiones, & requisita, ad quæ spectare electores ipsos mandauit. In cuius Iustinianeę constitutionis explicatione lapsam fuisse Gloss. obseruamus, quæ Primates Ciuitatis intellexit Archiepiscopos, & Archidiaconos, tum quia in eadem ciuitate non plures sunt Archiepiscopi, aut Archidiaconi, vt indicat Gloss. sed vnus; tum etiam quia, hos dixeris quidem Primates ecclesiæ, at non Primates ciuitatis, quales commemorat *Martian. Iureconsultus in l. sciendum §. fin. ff. de legation.*

Per Primates igitur intellexit Iustinianus honoratos, & principaliores Ciuitatis exclusa tumultuosa plebe iuxta intentionem antiqui Canonis Laodiceni. Hęc Iustiniani constitutio sine effectu semper extitit, nec vnquam obseruata fuit hęc trium electio cum decreto ad metropolitanum transmittendo, quamuis Græci Imperatores inde sibi vindicandi Episcoporum electionem ansam arripuerint; sed nedum antiquata, immò & abrogata remansit insigni Canone Concilij Nicæni secundi, quod fuit septimum generale *Anno* 787. cuius quidem Canonis is est titulus, isque tenor. *Quod non oporteat Principes eligere Episcopum.* Canonis verba; *omnis electio à Principibus facta Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi irrita maneat secundùm regulam, quæ dicit, si quis Episcopus sæcularibus potestatibus vsus ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, & segregentur omnes, qui illi communicant; oportet enim, vt qui prouehendus est in Episcopum, ab Episcopis eligatur, quemadmodum à Sanctis Patribus, qui ad Nicæam conuenerunt in regula definitum est, quæ dicit, Episcopum conuenit, maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Prouincia, Episcopis ordinari &c.* cum ijs, quæ sequuntur ex quarto Canone Nicænę Synodi primæ. Hunc Canonem planè dignum, inquit *Baron.* qui regum omnium domus foribus inscribatur vnà cum titulo ipsi præfixo. Confirmatus demùm fuit hic idem Canon in octaua generali Synodo, quæ fuit sexta Constantinopolitana in causa Photij, quæ *Can.* 12. in ea verba decreuit referente *Baron. Apostolicis, & Synodicis Canonibus promotiones, & consecrationes Episcoporum ex potentatu, & præceptione Principum factas penitùs interdicentibus concordantes definimus, & sententiam nos quoque proferimus, vt si quis Episcopus per versutiam, vel tyrannidem Principum huiusmodi dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis &c.* Eò tandem rem hanc in Oriente redactam concludimus, vt laici omnes ab Episcoporum electione fuerint exclusi, manente toto hoc iure penès comprouinciales Episcopos; quamuis demùm ibidem in Imperatores transierit.

7 Iam nunc spectandum, quid obseruatum fuerit in Occidente. Vtcumque Laodiceni Concilij decreto exclusus esset populi concursus ad vacantis Episcopatus electionem, attamen adhibitum populi ipsius suffragium in Occidente plura apertè testantur; & primò ante Laodicenum ipsum Concilium spectabile est Lampridij testimonium in Alexandro Seuero iam supra relatum. At apertior, eaque gemina Sidonij Appollinaris auctoritas ipsum electionis

Tom. 9. Annal. Anno 869.

Num. 6. Lib. 4. Ep. 25.

Num. 6.

ctionis ritum in occidente oculis subijciet ea eloquentia, qua omnia tanti viri; prima electionem Cabilonensis Episcopi exhibet, & quid circa eam præstiterit Patiens Metropolitanus describit Domnulo Sidonius in ea verba, *Cum venissent in oppidum suprascriptum* (Cabillonum) *prouincialium Sacerdotum præuio partim, partim comitante Collegio, scilicet, vt municipio summus aliquis ordinaretur &c.* Mox paucis interiectis; *Exceperunt Pontificale Concilium variæ voluntates oppidanorum, nec non & illa, quæ bonum publicum semper euertunt, studia priuata, quæ quidem triumuiratus accenderat competitorum &c.* Subdit corruptæ plebis quale esset consilium, & demùm quid gestum à Concilio Episcoporum enarrat prosequens. *Quod vbi viderunt Sanctus Patiens, & Sanctus Euphronius, qui rigorem, firmitatemque sententiæ sanioris prę ter odium, gratiamq; primi tenebant, consilio cum Episcopis priùs clam communicato, quàm palam prodito, strepituque furentis turbæ despecto, iactis repente manibus arreptum, nihilque tum minùs, quàm quæ agebantur, optantem, suspicantemque Sanctum Ioannem Virum honestate, humanitate, mansuetudine insignem dissonas inter partium voces collegam sibi consecrauere &c.*

Lib. 4. Ep. 25.

Ex qua Sidonij auctoritate singulare quidpiam obseruare licet, quod & notauit P. Sirmondus ad eundem locum; conuenerant enim Patiens Metropolitanus Lugdunensis, Enphronius Episcopus Augustodunensis, alijque Comprouinciales, vt ritè, & more agerent, cæterum cum nacti essent pugnantia, atque diuersa ciuium studia, ipsi Episcopum inter se delegerunt, quem renunciatum populus susciperet. Alterum est eiusdem Sidonij testimonium; vbi Sidonium ipsum intueharis nedum narrantem plebis studia in electionem Episcopi, sed & orantem flexanimo eloquio; scribens enim Perpetuo Thuronensium Episcopo mittit concionem, quam ad plebem Bituricam in electione Simplicij Episcopi habuerat, qui non solùm Episcopus, sed & Metropolitanus futurus erat. Digna est plane concio, quæ legatur, ex ea enim plebis conditio in electionis actu comprænhenditur, qua præ studio feruescente, demùm eò ventum est, vt tota electio in arbitrium Sidonij fuerit collata; qui perorata concione sua in ea verba claudit. *Et quia sententiam paruitatis meæ in hac electione valituram esse iurastis, in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti Simplicius est, quem Prouinciæ vestræ Metropolitanum, ciuitati vestræ Summum Sacerdotem fieri debere pronuncio; vos autem de viro, de quo loquimur, si nouam sententiam meam sequimini, secundùm vestram veterem consonate.* Hucùsque Sidonius, cui adstipulatur synchronos *Sanctus Leo Magnus* ad Episcopos per Viennensem prouinciam *Per pacem, & quietem Sacerdotes, qui præfuturi sunt, postulentur, teneantur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, Ordinis consensus, & plebis; qui præfuturus est omnibus ab omnibus eligatur.* Immò longè antea D. Cyprianus de ordinatione, & electione Romani Episcopi loquens; *Et factus est Episcopus à plurimis*

Epist. 89. vers. fin.

Lib. 4. Ep. 2 post princ.

Collegis nostris, qui tunc in Vrbe Romana aderant. Paucis ad huc interiectis, *factus est autem Cornelius Episcopus de Dei, & Christi eius iudicio, de Clericorum penè omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit suffragio; & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum Collegio, cum nemo ante se factus esset.*

Synodum, & Conuentum Episcoporum appellat Collegium, à quo suffragante Clericorum, & populi testimonio decreta fuerit ipsius Cornelij ordinatio in Romanum Episcopum, qui Episcopatus in Ecclesia Occidentali ille est, cui fæliciter insertus Primatus vniuersalis Ecclesiæ, ac totius Christiani Orbis. Quod ipsum circa Episcopi electionem planè legitimum indicat Sardicensis Concilij Decretum, quod Sardicense fuit væluti appendix Magnæ Nicenæ Synodi; Canone namque sexto constituunt Patres illi, quid agendum, quo casu mortuis omnibus Episcopis in aliqua Prouincia vnicus tantum superstes remanserit, qui nolit conuenire, & Episcoporum constitutioni assentiri, & populus vrgeat instans sibi constitui Episcopum; excitabitur superstes à Metropolitano, vt conueniat, & si adhuc renuat accedere, & rescribere, conuenient vicinæ prouinciæ Episcopi, & statuente, seu conuocante prouinciæ Exarcho, seu Metropolitano, Episcopum constituent, quem canonem latè exponit Balsamo, indeque ius Comprouincialium Episcoporum in Episcopi electione generaliter confirmatur. In Africa eundem seruatum ritum testatur canon primus Concilij Chartaginensis IV. vbi præmissis omnibus, quę spectanda, & agenda in præficiendo nouo Episcopo, claudit demùm Canon. *Cum in his omnibus examinatus fuerit, inuentus plenè instructus, tunc cum consensu Clericorum, & Laicorum, & conuentu totius Prouinciæ Episcoporum, maximeque Metropolitani vel auctoritate, vel præsentia ordinetur Episcopus.* Hæc igitur vbicumque in Occidentali ecclesia seruata forma in præficiendo Episcopo.

Dist. 65. Can. si forte.

Quæ nihilominus, vtcumque salutaris, & venerabilis, processu temporis incommoda, & onerosa electoribus apparuit; nam cum sæpius ob varia populi studia grauissima excitarentur dissidia, quæ nec adeò facilè possent conciliari ita, vt veniret protrahenda electio, & interim Episcopi extra Diœceses suas impensis, & incomodis plurimis vexarentur, ideò Summi Pontifices Romani, quibus vniuersalis ecclesiæ tota credita cura, consulendum huic formę eligendi Episcopos censuerunt immutata forma electionis, statuentes, vt electio personæ in nouum Episcopum à Clero, & populo fieret; tuncque Decretum electionis à se factæ subscriberent, & ad metropolitanum transmitterent, qui cum plena auctoritate, & de forma electionis, & de qualitatibus electi cognosceret, ac decretum faceret, siue confirmandæ, siue annullandæ electionis; seruatum id æuo suo testantur *Siricius*, *Innocentius*, *Bonifacius*, sed & *Sanctus Leo Magnus* scribens ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, cuius sensum màgis quàm præcisa verba transtulit *Gratian. in Can. fin. 63. Dist.* Regeremus Sancti Leonis verba:

Tom. 1. Ep. Sum. Pont. pag. 40. 45. Epist. 1. ad Him. Tarracon. & Epist. 13 Epist. 3. Epist. 84. C. 5.

ba: *Cum ergo de Summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus praeponatur, quem Cleri, plebisque consensus concorditer postulauerit ita, vt si in aliam fortè personam partium se vota diuiserint, Metropolitani iudicio is alteri praeferatur, qui maioribus & studijs iuuatur, & meritis; tantùm, vt nullus inuitis, & non petentibus ordinetur, ne Ciuitas Episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa, quàm conuenit, cui non licuerit habere, quem voluit &c.* Idem Summus Pontifex ad Rusticum Narbonensem Episcopum: *Nulla ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à prouincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati.* Demùm ad Episcopos Viennensis Prouinciae formam constituendi Episcopi perstringit, & praescribit simul. *Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, & plebis, qui praefuturus est omnibus ab omnibus eligatur; ordinationem sibi* (vt ante iam diximus) *singuli Metropolitani suarum prouinciarum cum his, qui caeteros Sacerdotij antiquitate praeueniunt, restituto sibi per nos iure, defendant.*

Epist. 92. C. 1. C. Nulla ratio. 1. 62. Dist.

Inde ergo diuisa, & assignata sua cuique munia disertissimis compilata verbis licet intueri. Petitio ad plebem spectet, iudicium ad Metropolitanum, consecratio ad Episcopos prouinciae; iudicium soli Metropolitano datur ex Nicaenae Synodi decreto *Can.*4. ita tamen, vt si anceps redderetur definitio, aut statueret ipse, aut ad prouincialem Synodum referret, aut negotium implexum ad Apostolicam sedem remitteret decidendum, vt passim inspicere est apud *Iuonem Carnotensem*; eaque Metropolitani auctoritas adeò semper viguit, vt electionis examen, & confirmationis potestas decretalibus Epistolis Summorum Pontificum fuerit ipsis stabilita *C. quia diligentia C. innotuit de Elect.* Clericorum autem in electione summa ratio est, quoniam ipsi in locum comprouincialium Episcoporum subrogati fuere, & eorum repraesentant auctoritatem, quae quamuis Metropolitani iudicio sit subordinata, tamen à Laicis magni facienda est. Nouam hanc eligendi formam in Occidentem inuectam seruasse subsequentes post Sanctum Leonem Pontifices Sancti Gregorij Magni plura confirmant testimonia, sed illud praecipuè ex Epistola ad Benenatum Visitatorem Ecclesiae Cumanae. Nam ex Concilio Carthaginiensi Vacante Episcopali sede illud obseruabatur; vt audita episcopalis sedis vacatione Metropolitanus statim vnum ex comprouincialibus Episcopis ad Ecclesiam vacantem mitteret, qui populum, ac caetera omnia ad electionem disponeret, huncque interuentorem, siue intercessorem vocat Canon.

Ep. 38. & 39.

Cod. Can. Eccles. Aphric. C. 74

Huic intercessori, seu interuentori, seu Visitatori Ecclesiae Cumanae scribit Sanctus Gregorius. *Ideò Charitas tua ad praedictam Ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus Clerum, plebemque eiusdem Ecclesiae admonere te volumus, vt remoto studio diuersarum partium, vno eodemque consensu talem sibi praeficiendum expettant Sacerdotem; qui & tanto*

Ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis canonibus nullatenus respuatur, qui dum fuerit postulatus cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati dilectionis tuæ testimonio literarum nobis sacrandus occurrat &c.

Hæc eadem electionis forma seruata fuit, & in eligendo Metropolitano, quam graphicè describit *Sanctus Leo Magnus*. *Metropolitano verò defuncto, cum in loco eius alius fuerit subrogandus, Prouinciales Episcopi ad Ciuitatem Metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium Clericorum, & omnium Ciuium voluntate discussa ex presbyteris eiusdem ecclesiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur.* Haud absimiliter, & Concilium Aurelianense III. *Ipse tamen Metropolitanus à Comprouincialibus Episcopis (sicut decreta Sedis Apostolicæ continent) cum consensu Cleri, vel ciuium eligatur. De comprouincialibus verò ordinandis cum consensu Metropolitani, Clerici, vel Ciuium iuxta propriorum Canonum statuta electio, & voluntas requiratur.* Diutius in Occidentali ecclesia hanc electionis formam perdurasse indicant plures Epistolæ *Gregorij VII.* Summi Pontificis, qui fermè sæculum vndecimum clausit obiens anno 1085. quo reuocata ad Clerum electio exclusis sæcularibus, & nedum populo, sed & Principibus ipsis; nam experientia in dies màgis, ac magis edocuit, ex populi interuentu pleraque ineuitabilia emergere absurda, nec ea puritate posse fieri electionem, quin affectus, gratia, priuataque studia omnia corrumperent. Ideò in generali Concilio Romano sub Innocentio secundo Summo Pontifice Can. 28. cuius Concilij Canones regessit *Baron.* ad Clericos fuit reuocata electio, sed ita tamen, vt nec cæteri Religiosi excluderentur; retulit hunc eandem Canonem *Gratian. in Can. Obeuntibus 63. Dist. Obeuntibus Sanè Episcopis, quoniam vltra tres menses vacare ecclesiam Sanctorum Patrum prohibent sanctiones, sub anathematis vinculo interdicimus, ne Canonici de Sede Episcopali ab electione Episcoporum excludant religiosissimos viros, sed eorum consilio idonea persona in Episcopum eligatur; quod si exclusis eisdem religiosis electio fuerit celebrata, quod absque assensu eorum, & conniuentia factum fuerit irritum habeatur, & vacuum &c.* Subinde vsus dictauit separandos esse Clericos à regularibus, siue religiosis, hisque largiendum, vt suos Abbates, Priores, atque Præpositos sibi eligant, Clericis verò, vt Episcopi sui electionem faciant, quæ demùm ad maiores, & nobiliores Clericos, Canonicos scilicet, est redacta, idque innuit *Fulgentius* ex Concilio Optimunicensi, & Macrianensi, *vt ad eligendum Episcopum sufficiat Matricis arbitrium*; quamuis re vera fons huius Canonis sit longè vetustior, quam tempus ipsum, quo ad Canonicos solos redacta est electio, & quæ pluribus Summorum Pontificum constitutionibus est ipsis confirmata *C. Constitutis. C. cum terra. C. cum ecclesia. C. in Genesi de elect.* & passim toto fermè eo titulo.

Perdurauit apud Canonicos hęc eligendi facultas vsque ad tempora Bonifacij Octaui, & Clementis V. vt colligitur ex *tit. de elect. in 6. & ex*

Epist. 84. c. 6.

Can. 3. tom. 1. Concil.

Lib. 1. Ep. 35. 36. lib. 2. ep. 50. Lib. 5. Ep. 35. 8. 11. Lib. 6. Ep. 21. Lib. 8. Ep. 1. 3. 18. 19. 20. Lib. 9. Ep. 18.

Annal. tom. 11. anno 1139.

In Breuiatione Canonum, in Biblioth. ver. Can. tom. 1.

ex Clem. cum enim ex electionibus per capitula factis innumera germinarent absurda, & in ijs peragendis crumperent factiones, diuisiones, & inde monstra, consultissimum duxere Romani Pontifices hanc electionem sibi auocare.

Vnde *Clemen. Quint. in Extrau. Et si temporalium. de Præb.* reseruauit sibi omnes Ecclesias Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, quas apud Sedem Apostolicam vacare contingerit. Idem in Concilio Viennensi sibi reseruauit omnes Cathedrales Ecclesias cuicumq;subiectas,quæ Clero careant,& subinde Benedictus XI. *per extrauag. Sancta Romana.de elect. inter communes* statuit, ne quatuor Patriarchalibus sedibus vacantibus canonici earum audeant quouis modo prouidere inconsulto Romano Pontifice. Auxit constitutionem Ioannes XXII. & generaliter episcopales, & omnes ijs superiores, nec non monasteria, & regulares Ecclesias, omnia beneficia, omnes præbendas tunc apud sedem vacantes, & quæ, aut quas vacare contingeret,sibi reseruauit durante eius vita, & demùm subsequentes Summi Romani Pontifices omnes Ecclesias Episcopales, tàm apud Sedem Apostolicam, quàm extra Curiam vacantes per regulas Cancellariæ Apostolicæ sibi reseruarunt, sicut Summus Pontifex Clemens X. qui nunc fœliciter regit Ecclesiam, per regulam secundam inter eas, quas constituit, & publicauit, Ecclesias omnes Episcopales, & ijs superiores sibi reseruat, ac solus priuatiuè quoad omnes alios, nisi quatenus Regibus, ac Principibus nonnullis ex eiusdem Summi Pontificis concessione, nominatio, ac præsentatio competat, confert, ac de ijs disponit, prout benè visum, vnde electionis forma in solis Germaniæ Capitulis remansit, & titulus de electione in Italia præsertim, merè doctrinalis factus est, & in praxi nullus eius est vsus quoad hanc partem, vt notat *Lancellot.* maximo sanè fructu propter discordias, quæ facilè nimis inter Italicos animos præcipuè, excitantur, qui in partes secedunt, & tunc non ponderantur, sed numerantur vota cum eo Ecclesiarum detrimento, quod oculatè nobis spectare licuit non semel in electione inferiorum graduum, & ideò extolli meritò debet Dei, & Summorum Pontificum prouidentia, quæ hanc auctoritatem, & hanc libertatem ademit abutentibus, & abusuris in summam Ecclesiæ perniciem; experti scribimus. Hæc de episcoporum electione satis per omnia tempora, in quibus ecclesia extitit, & existit.

In inst. iur. Con. tit. qui eligere, eligire possunt.

De Principum auctoritate in Episcopalium sedium prouisione. Excursus.

8 Vtcumque Nicæna Synodo secunda, quæ fuit septima generalis, & Constantinopolitana, quæ fuit octaua paritèr generalis, eliminata esset ab ecclesiasticis electionibus Principum sæcularium auctoritas(vt iam supra notauimus) *C.nullus laicorum 63. Dist.* attamen illud sibi adrogarunt Imperatores, & alij etiam Principes, vt scilicet post electionem à populo, & Clero factam nouo episcopo inuestituram traderent per anulum, & baculum antequam

quam ſolemni ritu conſecraretur. Huius inueſtiturę origo tribuitur à Sigeberto monacho in ſua Chronographia Hadriano Summo Pontifici Romano, qui Carolo Magno Cæſari, & Gallorum Regi id iuris tradiderit in Romana Synodo, occaſione aduentus eiuſdem Caroli conuocata; quod ſcripſit Sigebertus, ſecutus eſt, & *Gratianus in Can. Hadrianus 63. Diſt. Hadrianus autem Papa* (ait ibi Gratian.) *cum vniuerſa Synodo tradiderunt Carolo ius, & poteſtatem eligendi Pontificem, & odinandi Apoſtolicam ſedem. Dignitatem quoque Patritiatus ei conceſſerunt. Inſuper Archiepiſcopos, & Epiſcopos per ſingulas prouincias ab eo inueſtituram accipere diffiniuit, & vt niſi à Rege laudetur, & inueſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur.* Hucuſque ex Sigeberto Gratian. quem deceptum, & tranſuerſum actum ab eodem Chronographo obſeruat, & probat *Baronius*, hancq; huiuſmodi iuris originem meram Sigeberti impoſturam aſſerit Henrico IV. Imperatori aſſentantis, idq; conſideratione non vna, planè conuincenti. Annal. tom. 9. Ann. 774

Primò enim mirum illud, vnum Sigebertum, qui tercentis circiter annis fuit Hadriano, & Carolo Magno poſterior, rem adeò memorabilem ſcripſiſſe, & nemini Scriptorum anterioris æui notam, apud quos altum omninò ſilentium, cum tamen res omnes geſtas ab eodem Carolo Magno diligentiſſimè recenſuerit Eginhartus, qui fuit Carolo Magno à ſecretis, & in omnibus expeditionibus indiuiduus comes vitam etiam eius deſcripſit, quatuor tantùm aduentus eius Romam recenſeat, quintum igitur confinxit Sigebertus nunquam memoratum, aut excogitatum ab vllo ſcriptorum. Itaque in gratiam Henrici Imperatoris ſchiſmatici, cuius æuo viuebat, & ſcribebat Sigebertus, hanc inueſtituræ conceſſionem commentus, quam, nec quoad nomen quidem, nouit Carolus, cum apud nullum Scriptorum, aut eius, aut anterioris æui habeatur huiuſmodi termini, ſiue vocis vſus, nec quoad rem ipſam vnquam exercuit, vt luculentiſſimè eius Capitularia teſtantur, vbi ita de Epiſcopis eligendis conſtituit. *Sanctorum Canonum non ignari, vt in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberiùs potiretur honore, adſenſum ordini Eccleſiaſtico præbuimus, vt ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri, & populi ſecundùm ſtatuta Canonum de propria Diœceſi eligantur.* Quod ſi priuilegium ab Hadriano habuiſſet meminiſſet eius, ſaltèm renunciando, ſi tamen ipſi renunciaſſet, vt nonnulli volunt; fuſiùs hanc Sigeberti impoſturam proſequitur Baronius, & eius aſſertor *Gretſerus* in Apologia; noſtri non eſt hìc digladiari, & quæ contra proferant Nouatores, ac præſertim *Goldaſtus*, ſingillatim referre. Hac igitur falſa origine reiecta, illud certum, quod Imperatores tradere inueſtituram Epiſcopatuum per annulum, & baculum conſueuerunt, & ſucceſſiuè obſeruarunt; vſquequò demùm aſſumptus eſt ad Petri Sedem Gregorius VII. qui eo tempore, *quo tot vallabatur* (ſunt elegantiſſima Baronij verba) *ex Henricianæ præuaricatione turbinibus, & præmebatur anguſtijs, in probibendis laicalibus inueſtituris Regum, & aliorum Principum, aggreditur conſtanti animo, inuictoque, ac planè*

Lib. 1. c. 84.

In rational. conſt. Imp.

ſacer-

sacerdotali robore controuersiam, cuius causa, licèt sciret, omnes se passurum Christianos Principes aduersarios, haud tamen cessit tempori, concessitque rerum Ecclesiæ statui perturbato, quæ ista in aliud potius differenda esse tempus, poterant suadere; sed celso animo, inuicto pectore, cedere nescio rem aggreditur perdifficilem, ac planè humanis viribus insuperabilem; quis enim Principum Christianorum ea dimitteret, quæ à parentibus, auis, & proauis sibi iure quasi hæreditario transmissa essent, quæ quidem licèt iniusta tolleranda tamen sunt visa prædecessoribus Pontificibus, quandiù ijdem principes non mercimonio ista tractarent. Hactenus *Baron.* cuius postrema verba retulimus, vt eorum retundatur proteruia, qui factum ipsum Gregorij carpentes, vel eo maximè arguunt, quod rem tentauerit à prædecessoribus dissimulatam, immò & approbatam; itaque anno 1078. Romæ Synodum celebrauit, in qua inter cętera statuta hic Canon conditus, quem refert hoc ipso anno Baronius. *Quoniam inuestituras Ecclesiarum contra statuta Sanctorum Patrum à laicis personis in multis partibus cognouimus fieri, & ex eo plurimas perturbationes in Ecclesijs oriri, ex quibus Christiana Religio conculcatur; decernimus, vt nullus Clericorum inuestituram Episcopatus, vel Abbatię, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicuius laicæ personæ viri, vel fœminæ suscipiat, quod si præsumpserit, cognoscat inuestituram illam Apostolica auctoritate irritam esse, & se vsque ad dignam satisfactionē excommunicationi subiacere.* Hucusque Canon. Iterata

Vbi sup.

fuit hęc eadem prohibitio anno 1080 in alio Concilio Romano ab eodem Gregorio couuocato, de quo *Baronius*, & fuit expresè directa ad Imperatores, & Principes, ac Reges in ea verba. *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet sæcularium potestatum, inuestituram Episcopatuum, vel alicuius Ecclesiæ dignitatis dare præsumpserit eiusdem sententiæ vinculo se obstrictum esse sciat.*

Eod. Anno 1080. in princ.

Duplici igitur ratione compulsus fuit Gregorius ad inuestituras interdicendas; altera, quia Principes huiusmodi inuestituram concedentes contendebant se Episcopatum dare electo, cum tamen Episcopalis auctoritas à Regum, & Principum manu nullo modo pendeat; nam inuestituræ formula ita concipiebatur, vt viderentur Reges Episcopatum dare, & Episcopalem dignitatem conferre, & augebatur ex eò magis argumentum, quod inuestitura ipsa per baculum, & anulum, & vtriusq; traditionem fiebat; Baculus autem erat certè insigne Pastoralis auctoritatis, vt ex facto Photij cum baculo se sistentis in octaua Synodo colligitur, quem eripi de manibus eius iusserunt Patres eiusdem Synodi, Marinus enim Diaconus Vicarius Romanę Ecclesiæ dixit; *Tollite baculum de manu eius; signum est enim dignitatis pastoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus est, & non pastor.* Secunda ratio, cui maximè innititur Gregorius interdicens inuestituras, deducitur à statutis SS. Patrum, respexit enim ad *Can.* 22. octauæ Synodi generalis, quem iam supra retulimus; vnde non censuit tolerandum, quod directè

Act. 7.

rectè

rectè refragaretur; & eſſet contrarium canoni apertiſſimo Synodi generalis.

Qui aſſenſum Regium ad Epiſcopalem promotionem neceſſarium ſuſtinere volunt, deceptum in eo aſſerunt Baron. quod crediderit haſce inueſtituras non eſſe diuerſas ab electione, cum tamen electionem factam à Clero, & populo ſupponerent, & eſſent actus ſolemnis, & ab ipſa diſtinctus; verùm haſce inueſtituras aliquid vltra hanc ſolemnitatem inuoluiſſe rationabiliter, immò neceſſariò credendum eſt; nam ſi ipſi ius aliquod vltra cæremoniam non contuliſſent, non fuiſſet adeò ſolicitus Gregorius, vt eas extingueret, cum tamen videret tot excitari turbas, & Eccleſiam ipſam ad anguſtiam redigi; addere liceat, quod excitatus fuit etiam Gregorius ad deliberationem tam arduam, & tam grauem ex eo, quod ſimoniam committi impudenter nimis, & ſpiritualia ad apertiſſimum mercimonium reuocari intuebatur. Verùm ſi electio fiebat à Clero, & populo, conſecratio poſt inueſtituram ab Epiſcopis prouinciæ, quomodò committi poterat ſimonia ſi nihil ſpirituale conferebatur? Aliquid amplius igitur, quàm meram ſolemnitatem per inueſtituras actam dicendum eſt, vnde & ſimoniæ, & exorbitantis potentiæ abuſus non ſuſpicio, ſed euidentia adeſſet. Quamuis autem diſtrictè adeò inueſtituras interdixiſſet Gregorius, Imperator tamen, & ſi qui alij eſſent Principes, ijs vtentes in propoſito adhuc perſtiterunt, indeque exortæ turbæ illæ, quæ miſerrimè Eccleſiam vexarunt, & quas recenſere non eſt muneris, & intentionis noſtræ.

Gregorio Septimo ſucceſſit Victor III. qui Anno 1087. Beneuenti Concilium coegit, cui præſedit & ipſe, ac in eo præcipuè hic conditus Canon. *Conſtituimus etiam, vt ſi quis deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicuius Laici ſuſceperit, nullatenus epiſcopus, vel Abbas habeatur, neq; vlla ei, vt Epiſcopo, vel Abbati, habeatur reuerentia.* (Baronius an. 11. An. 1087.) Quę Canonis verba meram cæremoniam inueſtituræ poſt electionem iam factam non ſupponunt; vnde cum idem eſſet ſenſus circa eaſdem ſucceſſiuè Romanis Pontificibus, ab ijſdem etiam, prout mutatio contigit, damnatæ ſemper fuere. Ideò Vrbanus II. in Synodo Claromontana in Gallia inter cæteros Canones, & hunc condidit; quem deſcriptum *lib 4. Annal. Franc.* inde ſe mutuatum fatetur *Baronius* (Baronio. 11. Anno 1095.) *Primò ſtatutum eſt, vt nullus Epiſcopus, vel Abbas, vel alius è Clero quiuis dignitatem vllam eccleſiaſticam à Principibus Laicis, & Sæcularibus acciperet. Illud ſummopère, & & Apoſtolicæ dignitatis priuilegio prohibentes; vt nullus in Clericali ordine conſtitutus, nulluſque Monachus Epiſcopatus, aut Abbatiæ, aut cuiuſlibet eccleſiaſticę dignitatis inueſtituram de manu Laici ſuſcipere audeat, quod ſi præſumpſerit depoſitione mulctetur.* Hæc Canon. Hiſce ipſis temporibus viuebat Iuo inſignis Epiſcopus Carnotenſis, qui indignationem Vrbani II. Summi Pontificis offendit, occaſione conſecrationis Epiſcopi Senonenſis, quam differri Hugo Archiepiſcopus Lugdunenſis Apoſtolicus legatus iuſſerat pro eo, quod nouus electus ante conſecrationem ei tanquam

Metro-

Metropolitano obedientiam non esset professus; scripsit ideò Iuo Vrbano cupiens de eius voluntate certior fieri, subinde & Hugonem Archiepiscopum Lugdunensem aculeatè carpens, quod contra veterum obseruationes noua onera imponere contenderet; Epistolam per extensum regessit vbi sup. Baronius in qua admirari datur zelum, & libertatem pijssimi viri contra noua instituta.

Subnectit inde Baronius aliam Iuonis Epistolam, qua occasione cuiusdam Episcopi, qui dicebatur inuestituram Episcopatus à Rege accepisse, de inuestituris ipsis cum summa libertate disserit, easque, ad bonum sensum, mitigando, ac interpretando ita redigere nititur, vt nisi hæc Epistola per alias eiusdem *Iuonis corrigeretur* (inquit Baronius) *famam suam, & nomen gloriosum, quod ex defensione Apostolicæ Sedis, & Catholicę veritatis sibi dignissimè comparauerat, in discrimen adduxisset*. Epistola ipsa tota habetur apud Baron. & est directa ad eundem Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, & Apostolicum legatum; quibus visis Vrbanus II. in Iuonem excanduit. Vnde summi Præsulis indignationem ferre non valens Iuo ad eundem Vrbanum scripsit, paratum se asserens ad Episcopatum dimittendum, si id Pontifex iuberet; at quòad inuestituras summa eorum, quæ fusè prosequitur Iuo, illa est quatenùs excusare nititur nouum electum, cui Lugdunensis Apostolicus legatus obijciebat, quod inuestituram à Rege accepisset, hoc enim ab eo præstitum adhuc ignorari asserit Iuo, & si esset, ignorare se, inquit, quid fidei, & sacrę Religioni officiat, cum nullam vim Sacramenti gerat in constituendo Episcopo. Nam distinguit Iuo electionem Episcoporum à concessione Episcopatuum, quam Principes faciunt ijs, qui iam sunt electi, & Canonem 22. octauæ Synodi à nobis iam supra citatum ita accipit, vt Principes interesse vetet electioni, non autem à concessione excludat Episcopatuum facienda ijs, qui iam fuerint electi; idque non videri alienum ab intentione Apostolicæ Sedis, cum contigerit aliquandò, vt Summi Pontifices intercesserint apud Reges ad hoc, vt electis Episcopatus concederent. Addit insuper, se percepisse eam fuisse mentem Vrbani in Concilio Claromontano prohibendi scilicet, ne Reges inuestituram corporalem facerent per baculum & anulum, quasi ea fieret in contemptum Sacrorum; cum tamen nihil incommodi in ea solemnitate videre se profiteretur Iuo, nam Reges nihil spirituale se per eam conferre credebant quoquo modo fieret concessio siue manu, siue lingua, siue virga, sed tantùm eorum votis annuere, qui iam idoneum elegissent, aut bona illa concedere, quæ ex Principis liberalitate iam Ecclesia possidebat. Hæc summatim in sua epistola Iuo, qui tamen dicta sua moderatur se submittens sensui Apostolicæ Sedis; ex quorum occasione acriùs insurgendi in Summorum Pontificum deliberationem damnandi inuestituras vires assumere Nouatores contenderunt; verùm vtcumque mitigare interpretando studuerit Iuo inuestiturarum vsum, alius semper fuit Romanæ, & Apostolicæ Sedis sensus, quę aliquid ampliùs in inuestituris ipsis agnouit, quod Eccle-

siasticam libertatem, & ius ipsius Ecclesiæ læderet; vnde in ijs improbandis semper successiuè institit; nam qui successit Vrbano Secundo Paschalis itidem secundus conuocato Concilio Pictauis in Gallia, licèt alia de causa, attamen Canon in eo conditus de inuestituris; quò enim obstinatior erat Imperatoris, & Principum pertinacia in ijs licèt vetitis retinendis, eo interdictionibus vehementiùs insistendum nouit Ecclesia. Itaque conditi Canonis ea sunt verba, quæ refert *Baronius* ex Vaticano codice. *Decreuit Sancta Synodus, vt nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel qualibet persona de Clero accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cuiuslibet personæ donum Episcopatus, vel Abbatiæ, vel ecclesiæ, vel reliquarum rerum ecclesiasticarum; sed Episcopis à suo Metropolitano, Abbates, presbyteri, & cæteræ inferiores personæ à proprio Episcopo.*

Tom. 12. Annal. Anno 1100.

Insignem aliam Synodum celebrauit, ipsamque generalem, Paschalis in Gallia Cisalpina Guastallæ ad Ripam Padi, de qua ex Vspergensi Abbate, qui & ijdem interfuit, *Baronius*. Præfatur igitur Synodus leuamen, quo respirabat Ecclesia à schismatibus, & hæresibus, & libertatem, in quam resurgebat, amputandasque causas, quę eadem schismata induxerunt, moxq; primò in ea verba constituit. *Patrum nostrorum constitutioni consentientes ecclesiarum inuestituras à Laicis fieri omnimodè probibemus. Si quis autem decreti huius temerator extiterit, tanquam Maternæ iniuriæ reus, Clericus quidem ab huiusmodi dignitatis consortio repellatur, laicus verò ab ecclesię liminibus arceatur.* Accessit Paschalis Beneuentum, ibique celebrauit Concilium, ac in ea præcipua, eaque prima emicuit solicitudo in profligandis inuestituris; statuit enim; vt si Ecclesiasticus de manu Laici acciperet beneficia, vterque tam conferens, quam accipiens communione priuaretur.

Tom. 12. Annal. Anno 1106.

Baron. tom. 12. Anno 1106.

Dum autem contra pertinaciam retinentium inuestituras insistit constanter Ecclesia, multiplicique Conciliorum remedio malum hoc profligare impensissimè studet, per insidias hostis aggreditur, ac inconcussam hactenus constantiam labefactare nititur; Henricus enim Rex iter in Italiam assumit coronam Imperij de manu Paschalis Pontificis suscepturus; legationem præmittit, qua se fidelem, & filium Sancti Petri apud Paschalem profiteretur, interim hostem se præbens Vrbes nonnullas expugnando. In Tuscia Natale Domini Florentiæ egit Paschalis, in sui, & Vrbis prępsidium ad Nortmannos, & Longobardos se conuertit, necnon ad Vrbis Romæ proceres, qui subsidium præbentes & Vrbem, & Pontificem propugnarent. Pacta interim inita Sutrij inter legatos Pontificis, & Henrici antequam Vrbem ingrederetur; ex parte Henrici de securitate Pontificis, Ecclesiarum immunitate, & destitutione, ac iurium ad eas pertinentium, & præsertim de renunciatione inuestiturarum; ex parte Pontificis de Corona Imperij, & Regalibus præcedentium Imperatorum Henrico concedendis, eaque iuramento hinc inde vallata. Ingreditur Henricus Vrbem extra ipsam exceptus à populo, ad portam eiusdem à Clero; & ad

Baron. ubi supr. Anno 1110.

& ad superiores gradus templi Sancti Petri ab ipso Summo Pontifice Paschali, Episcopis, & Cardinalibus. Post pedum oscula, & mutuum complexum ingrediuntur templum; vrget statim Pontifex pro pactorum fide, & implemento, ac præcipuè de abstinendo ab inuestituris; tunc technas suas detegens Henricus apertè fidem promissis negat, & demùm Pontificem aliter coronare recusantem cum Cardinalibus, Clericis, & magna Ciuium Romanorum multitudine sub militari manu captiuum detinet, ac Pontificalibus indumentis exutum cum alijs ad Castrum in Sabinis abducit, ibique sub sæuissima custodia detinet per menses duos, nunquam tamen quà minis, quà sæuitia virilem, ac piam constantiam flectere valens.

At demùm aliorum calamitatibus, & lacrymis victus Paschalis, & schismatis scandalo, quod vniuersæ ecclesiæ impendebat, iuratus promisit, negotium nullum se facturum Henrico pro inuestituris, & idem iusiurandum præstare sunt coacti Episcopis, & Cardinales captiui; sic extortum Priuilegium, quo indultum Henrico, vt Episcopos, & Abbates regni sui post legitimam eorum electionem per baculum, & anulum inuestiret antequam ritu solemni consecrarentur; coronatus tandem fuit Imperator Henricus IV. ac dimissus Pontifex ad Vrbem redijt faustissimis ciuium acclamationibus exceptus. Eò demùm necessitas præcisa Paschalem Papam adegit; vnde de ipso variè varij senserunt pro affectuum varietate. *Iuo* excusat scribens Ioanni Primati Lugdunensi, qui zelo accensus pro dignitate Ecclesiæ conuocare Concilium cogitabat subiectorum sibi Episcoporum, ad quod tamen accedere Iuo recusabat, & inter scribentes excitata quæstio, an inuestituræ essent hæresis, & præsertim pertinacia in eis propugnandis; distinguendo dissidium conciliat Iuo, & præcipuè in indulgendis, aut damnandis ijsdem inuestituris spectandum ait schismatis periculum, & charitatis, & concordiæ conseruationem; quà de re fusius agere nostri modò non est. Certè Paschalis Pontifex pro variè sentientium zelo acriter proscindebatur, quasi tyrannum Imperiali diademate dignatus esset, & Ecclesiæ dignitatem impium concedendo priuilegium prodidisset; Ideò ad curandum scandalum, quod inde in vniuersam Ecclesiam obuenerat, & ad restituendam Ecclesiæ dignitatem cogitauit Concilium Romæ cogere, vnde Lateranense Concilium indicit anno sequenti, eoque coacto post plura gesta, demùm communi Patrum consensu præeunte ipso Paschali Papa damnatum fuit, & annullatum priuilegium, ab Henrico Imperatore extortum, & ipsæ inuestituræ interdictæ.

Per extensum apud Baron. vbi sup.

Epist. 236.

Apud Baron. An. 1112.

Vita functo Paschali successit Gelasius Secundus, cui per annum sedenti suffectus Calixtus Secundus, qui Synodum percelebrem Rhemis in Gallia indixit, & celebrauit, cui cum interuenire promisisset Henricus, non tamen interuenit, sed cum propiùs accessisset, rogatus per legatos Callixti, vt inuestituris renunciaret, recusauit, & in proteruiç pænam excommunicatus fuit, & decretum contra inuestituras conditum in ea verba. *Baron.Episcopatuum,*

Apud Barnn. Anno 1119.

Abbatiarum, aut quarumlibet ecclesiasticarum possessionum inuestituram per manum Laicam fieri penitùs prohibemus; quicumque igitur Laicorum deinceps inuestire præsumpserit, anathematis vltioni subiaceat. Porrò qui inuestitus fuerit honore, quo inuestitus est, absque spe recuperationis omnimodò careat.

Sed demùm Anno millesimo centesimo vigesimo secundo beata pax Ecclesiæ illuxit; Nam in Latetanensi præfato Concilio auditi Germanorum legati missi ab Episcopis, & Principibus Germaniç cum assensu Henrici Imperatoris. Episcopus scilicet Spirensis, & Abbas Fuldens, qui exhibuerunt eam, quam prestare Imperator paratus erat, remissionem inuestiturarum ecclesiasticarum, ob quas hucusque graue adeò dissidium inter Sacerdotium, & Imperium viguerat; iisque petentibus decreta legatio in Germaniam ab Apostolica Sede, quæ & exhibitam inuestiturarum renunciationem acciperet, & Imperatori absolutionem ab excommunicatione impenderet. Ad id destinati cum Lamberto Cardinali Episcopo Ostiensi duo alij Cardinales, qui cum legatis redeuntibus in Germaniam perexere, vbi decernitur concilium tam Episcoporum, quàm Principum cum interuentu Imperatoris celebrandum ad festum Apostolorum Petri, & Pauli, quod cum sine effectu esset peractum, opera Legatorum Apostolicę Sedis indicitur aliud pro mense Septembri Vuormatiæ, vbi cum Deus gratia sua cor Imperatoris tetigisset inclinatum tandem est, vt obedientiam Apostolicæ Sedi præberet, sicque in manu legatorum renunciauit, atque remisit omne ius hucusque prætensum Inuestiturarum Ecclesiasticarum per baculum & anulum, pro quibus tantoperè fuerat hactenùs digladiatum, liberamque reliquit Præsulum electionem, & consecrationem in perpetuum, & bona hucusque ablata Ecclesiæ Romanæ, aut alijs plenè restituit; e contra legati nomine Callixti Summi Pontificis, cum in communionem Catholicæ Ecclesiæ recipientes, concesserunt, vt electiones Episcoporum, & Abbatum Germanici Regni in eiusdem Imperatoris præsentia absque vi fierent, & simonia; & vbi in electione adesset dissidium, ipse Metropolitani, & comprouincialium consilio, vel iudicio, saniori parti assensum, & auxilium præberet; & vt electi tam Regni, quàm totius Imperij regalia per sceptrum ab ipso reciperent, exceptis omnibus, quæ ad Romanam ecclesiam pertinerent; quibus sic compositis Legati cum muneribus ad Pontificem rediere; cuius conuentionis exemplum apud Baronium vbi supra extat.

Baron. tom. 12. Anno 1122.

Vtcumque autem controuersia tanta esset fæliciter sopita, & post Callixtum successisset Honorius Secundus, qui per annos sex præsederat Ecclesiæ, attamen Innocentius II. qui Honorio successit, celebrans *Anno* 1139. Romæ generale Concilium, cuius decreta summa cura hinc inde collegit Baron. inter cætera, & illud inseruit, quod est numero vigesimum quintum. *Si quis præposituras, præbendas, vel alia Ecclesiastica beneficia de manu Laici acceperit indignè suscepto careat beneficio.* Nihil dictum de inuestitura, at idonea adhibita cautio, ne

Baron. tom. 12. Anno 1139.

ne quoquomodo extinctum malum subreperet. Tandem Alexander III. quamuis localem, constitutionem edidit respectu Angliæ Regni, qua inuestituras & annullauit, & interdixit, nec exinde inuestiturarum in Ecclesia habita mentio, pro quibus per quinquaginta annorum spatium tot turbæ excitatæ, totque afflictiones passa est ipsa Ecclesia. Quibusdam Regibus, & Regnis indulta nominatio, & præsentatio; aut per concordata cum Sede Apostolica inita, aut ex grata liberalitate Summorum Pontificum largientium, prout in varijs Regnis varia ratio prouidendi Ecclesias de Pastore suo, & praxis testatur; & ad summum obseruari illud rationabile admodum est, quod *Goffridus Abbas Vindocinensis* eius æui scriptor, quo Ecclesia inuestiturarum controuersia concutiebatur, ad Callixtum II. scripsit; modum enim excogitauit, quo sæua adeò controuersia posset conciliando dirimi. Distinguit inuestituram, quæ per anulum, & virgam fiebat ab ea, quam Laici sine vlla solemnitate præbebant. Primam esse velut Sacramentum in Ecclesia, non secus, ac salem, & aquam, oleum, & chrisma, aliaue huiusmodi, sine quibus consecratio hominum, aut Ecclesiarum fieri non potest, & in his nihil attentari per Laicum contra Iesu Christi auctoritatem asserit, nec ab alio recipere posse nouum Episcopum baculum, & anulum nisi à consecratore suo.

Apud Baron. Ann. 1169.

Opusc. 4. c. 3. & 4.

Quia verò temporalibus bonis, & prędijs ditata est Ecclesia à Principibus sæculi, & Regibus, ideò honestum est, inuestituram hoc nomine à Principibus ipsis tradi nouo Episcopo post consecrationem suam quocumque signo id fiat. Reddamus verba Goffridi, quæ ea sunt. *Inuestituram per virgam, & anulum accipere nisi à suo Consecratore manifestum est esse damnosum; quia nulli laico licet illa Ecclesiæ sacramenta dare, sicut ei non licet Episcopum consecrare.* Inferius, *alia est vtique inuestitura, quæ Episcopum perficit*, alia *quæ Episcopum pascit*; illa ex iure Diuino habetur, ista ex iure humano, subtrahe ius diuinum, spiritualiter episcopus non creatur; subtrahe ius humanum, possessiones amittit, quibus ipse corporaliter sustentatur. *Non enim possessiones haberet Ecclesia nisi à regibus donarentur, & ab ipsis non quidem diuinis sacramentis, sed possessionibus terrenis inuestirentur.* Demum infra. *Possunt itaque Reges sine offensione post electionem canonicam, & consecrationem per inuestituram regalem in Ecclesiasticis possessionibus concessionem, auxilium, & defensionem Episcopo dare, quod quolibet signo factum extiterit regi, vel Pontifici; seu chatolicæ fidei non nocebit.* Hactenus, Abbas, idemq; Cardinalis tituli Sanctæ Priscæ, & multò minùs si non signo aliquo, sed sola approbatione, consensu, aut approbatorio decreto possessio, quoad temporalia nouo Episcopo assignentur, id enim consonum est receptissimæ illi doctrinæ, quam & praxis commendat, & cui commune votum scribentium tum vetustiorum, tum etiam recentiorum plaudit; nouum scilicet electum ad maiores Ecclesias, siue cathedrales esse cuicumq; patrono etiam priuato exhibendum, vt ipse videat, an electus sit ipsi Ecclesiæ idoneus. Vnde ante consecratio-

crationem confirmatio imperatoris expectabatur. *Can. lectis. 63. Diſt.* idque vel eò maximè, nè Princeps Epiſcopum, quem habeat ſuſpectum, recipere debeat, ſi enim id fortaſſe obijceret, electio eſſet retractanda, *vt not. Innoc. ac Felin.* eius ſiquidem intereſt noſſe, qui ſint, qui eccleſias intra eius prouincias ſint adminiſtraturi, vt tradunt *Interp.* ad *C. ex parte. De teſtibus; & ad C. quod ſicut. de elect.* conformiter ad id, quod vel primis Eccleſiæ temporibus ſupra tradidimus obſeruatum, vt ſcilicet electionibus conſenſus populi adeſſe deberet, ne inuitis Epiſcopus daretur. *Nullus inuitis datur Epiſcopus* ait *Cœleſtinus in Can. Nullus inuitis. 61. Diſt.* & elegantiſſimè *Sanctus Leo Papa* relatus in *Can. ſi fortè 63. Diſt. Tantum, vt nullus inuitis, & non petentibus ordinetur, ne ciuitas Epiſcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religioſa, quàm conuenit, cui non licuerit habere, quem voluit*, quæ repetijſſe verba non pigeat. Concilium Carthagin. 3. Can. 40. *in C. illud 23. Diſt. Si contentio ſit de ordinando, diſcutiantur primò perſonæ contradicentium, poſtremò illa etiam, quæ obijciuntur tractentur, & cum purgatus fuerit ſub conſpectu publico, ità demùm ordinetur.* Concilium Africanum *Can. 17.* planè concordat, & arguendo à matrimonio carnali ad ſpirituale, *Cap. inter corporalia de trnſl. Epiſ.* verendum eſt, ne Epiſcopum inuitus populus ſuſcipiens ad deteriora declinet, & aliquid in eum moliatur mali, quem odio habet C. 2. C. *cum locum* C. *requiſiuit. De ſponſal.* Quod ſi populi habenda tanta ratio eſt, cur non & Principis in ditione ſua, cui præficiendus ſit epiſcopus? ideò, vt ſupra indicauimus, conceſſæ nominationes, & vbi hæc nominandi facultas non aderit, vtique Sacrorum Canonum Conſtitutionibus conſonum ſatis erit, vt electo, & conſecrato arrideat etiam Princeps ſupremus in ea ditione, in qua nouus Epiſcopus præficitur, qui bonorum temporalium capiendæ poſſeſſioni, & futuræ adminiſtrationi congruo actu plaudat, & quomodocumque à Summo Pontifice miſſum in obſequium ſupremæ poteſtatis amplectatur. Hæc obiter de Principibus ſæculi in ordine ad Epiſcopatuum prouiſionem.

Ad Cap. ſuper hiſ. de a. cuſ. & ad c. 1. de elect.

Ceuar. ad Reg. poſſeſ. p. 2. §. 10. n. 5. Caſſan. Cathalog. Glor. Mun. p. 5. 2. conſid. 24. nū. 194. & ſeq. Recent. de Mat. laiſ

Ep. 84. C. 5.

CAP. XVII.

Quinam in Epiſcopum eligendi.

1 *Proponitur Idea Epiſcopi ab excellentia eius.*

2 *Ad ſingulares dotes deſcenditur ex verbis D. Pauli; & ſucceſſiuè enumerantur, & examinantur.*

3 *Recenſentur, & applicantur perſonales qualitates Epiſcopi ex Epiſt. D. Pauli ad Timoth. c. 3.*

1 VALIS debeat eſſe Epiſcopus, quiue ad tantum dignitatis debeat attolli faſtigium pulchrè, & exiguo verborum ambitu docet Dionyſius Areopagita ſic ſcribens. *Sicut enim qui ſacrum ordinem nominauit omnium ſimul compendio ſacrorum dixit diſpenſationem*

De Eccleſ. Hier. C. 1. §. 3.

tionem, ita qui Summum Sacerdotem appellat Deo intimè vnitum, ac Diuinum planè virum significat, omni Sacra cognitione perpolitum, in quo omnis, quæ illi inest, Potestas sacra consumatur, atque cognoscitur. Hactenus Dionysius, quem de Episcopo, dum eum appellat *Hierarcham*, non ambigimus quid sentiat ipse de Episcopo, & çqualem eum supponat; indicat nuncupatio, qua breui compendio diuinum virum nominat. Allusit & *Ambrosius* dum hominem naturæ miraculum dixit, Episcopum verò gratiæ. (In Ep. ad Ephes. c.4.) Vnde & *Chrysostom.* splendorem considerans, quem referebat Moyses rediens à colloquio Domini ait, *quod Moyses in vultu Deitatis testimonium portabat ad populum.* quasi Deitatis particeps comparere debeat, qui populo tanquam Dei legatus ad salutem præficitur; quod si Cęlestis Hierarchia (ad cuius exemplar disposita est Ecclesiastica) ita ex Dionysij sententia est composita, vt quidquid habent inferiores ordines, habeant & superiores, qui eos illuminant, ac perficiunt, iam vtique dicendum, & Episcopalem gradum, qui est summus Ecclesiasticorum ordinum, ita esse conditum, vt quidquid in inferioribus reperitur distributum, id in ipso tanquam in fonte emineat collectum; & ideò ad exprimendam Episcopalis gradus excellentiam *Diuus Thomas* (2.2. q.148. Art.6.) inter omnes ecclesiæ Prælatos Episcopum solum esse in statu perfectionis concludit, quo dicto omnia clauduntur, quæ ad exhibendam episcopalem ideam proferri possunt. Verùm quia, vt facile est abstractum concipere, & perfectiones eius ex idea delineare, non item adeò obuium in singularibus assignare, ac imprimere, faciliusq; longè est, qualis debeat esse homo indicare, quàm eundem ad ideam perfectum efformare, ideò dimissis abstractis ad ea, quæ praxis admittit & humana conditio sperare finit, descendimus, & quænam in eligendo Episcopo spectari, aut in electo micare, adesseque debeant enumerabimus.

2 Præibit ad præclarum hoc intentum Episcopi delineator egregius *Diuus Paulus*, (Epist.1. ad Timoth. c.3) qui primùm generaliter Episcopi perfectiones vnico verbo conclusit, dum ad Timotheum scribens pręmittit, *Opportet Episcopum irreprehensibilem esse. Hoc vnico verbo* (inquit ibi *Chrysostom.*) (Homil. 10. in pr.) *genus omne virtutis expressit*; & post pauca; *eum quippe, qui regendos alios suscipit tanta decet virtutis gloria excellere, vt instar Solis, cæteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret. Debet huiusmodi vitam habere immaculatam, atque compositam, vt omnes in illum, & in eius vitam, veluti exemplar aliquod excellens, intueantur.* Nec absimiliter Titum idem Apostolus instruens; (Cap.1. Ep. ad Tit.) cui Cretæ relicto curam ordinandi, & instituendi Episcopos iniunxerat, præscribit. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, & irreprehensibile.* *Chrysostomus* exponens. (Homil. 4. in c.1. Ep. ad Tit.) *Sit omnibus doctrina, exemplarque virtutis tuæ speculum vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti primitiua quædam immago, omnia in se habens, quæ bona, & honesta sunt.* A generalibus hisce haud difficile erit ad singularia inferre,

re,

re, quæ & proximè eligendum, mox & electum circumſtare, ac decorare debent.

Primò igitur in eligendo, ac promouendo Epiſcopo requiritur legitima ętas, quę eſt annorum 30. iam expletorum *C. cum in cunctis in prin. de elect.* Innouauit confirmans *Gregor.XIV.Summ.Pont.Conſtitutione ſua ann.*1592. Verùm ſi de facto ante legitimam hanc ætatem ordinaretur, vel meliùs, conſecraretur Epiſcopus, non tamen irregularis efficeretur, aut vllam ex pęnis illis incurreret, quæ ordinatis ante legitimam ętatem infliguntur; nam effatum generale eſt, quod ſuſpenſio generaliter lata nunquam comprehendit Epiſcopos niſi eorum ſpecifica mentio habita fuerit *C.quia periculoſum. De ſent.excomm. in 6.* & quamuis extet Extrauagans conſtitutio Pij II. ſeptima, quæ ſuſpenſionem comminatur cuicumque ante legitimam ætatem promoto ad ordines, attamen plura ſunt, quæ indicent, Epiſcopos ea conſtitutione non comprehendi; eſto enim, quod Epiſcopatus ſit ordo, tamen eius collatio propter excellentiam dicitur potiùs conſecratio, quam ordinatio, & ideò circumſtantiæ nonnullæ, quæ inferioribus ordinationibus verificantur, vt eſt dimiſſoriarum conceſſio extra tempora, Epiſcopo non poſſunt accommodari, vnde meritò perſonali huiuſmodi conſtitutione non debent comprehendi, nec conſtitutio de illis poteſt accipi. Spectandum ſecundò; vt ſit de legitimo matrimonio natus *C.cum in cunctis, C.Innotuit. De elect.* neque tamen id adeò proprium Epiſcopi, quin & inferioribus Sacerdotibus competat, vt ex Concilio Pictau.

Incip. omnes Apoſtolicæ & eſt 7. 16. 2.Bullar.p. 529.

Tom. 1. Bullar. p. 292.

ſtatuitur *in C. 1. de fil. Presbyt.* & paſſim ſupponitur toto illo titulo. Abominatus eſt ſemper Deus illegitimam ſobolem, & in figura, vel in veteri lege, ab eccleſia ſua etiam ſemper excluſit. *Non ingredietur Manſer, hoc eſt de ſcorto natus, in Eccleſiam Domini vſque ad decimam generationem*; idque dictum multò magis accipi debet de Eccleſia tunc præfigurata, & vera Chriſti ſponſa, & de prima in ea dignitate, à qua illegitimum magis, ac magis excluſum velit; Legitimum autem dum dicimus non ita preſsè intelligimus, vt legitimatum per ſubſequens matrimonium excludamus, hunc enim, vtpote legitimum, eligi poſſe certum eſt, quem legitimum haberi ſtatuit Sum. Pontif. *in C.tanta. qui fil. ſint legit*; firmatque tex. *Et ibid. Gloſs. in C. Innotuit de elect.* Tertiò inſpiciendum, vt ſex ab hinc menſibus ſaltem in ſacro ordine fuerit conſtitutus *Conc. Trid. Seſſ.22. de reform.* C. 2. At in hac parte obligationem auxit Gregor. XIV. in citata iam conſtitutione ſua, quatenus ſtatuit, vt Sacris Ordinibus inſtitutus eſſe debeat per ſex menſes ante electionem, iam reuocaſſe ius vetus ad obſeruationem cenſetur, de quo in *C.à multis. De ætat.qual. & ord.præfic.* Quartò attendendum; vt electus ſit doctor, aut licentiatus in Sacra Theologia, vel Iure Canonico, aut ſaltem publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios inſtruendos probatus. Ita *Concil. Trid. ſeſſ. 22. de Reform.* C.2. & qui poſt Concilium ſcripſere.

Deuter. c.23.2.

Couar. Ep. De ſponſ.p. 2.C.8.§.2. num.30.

§.9.

Verùm Greg.XIV. in præcitata conſt. ſua non cenſuit fidendum gradui doctoratus, qui in Italia plu-

ribus

ribus in studijs ex condicto cum laureandis confertur, & vtcumque Patauij, vbi scribimus, antiqua, & ingenua fide omnia gerantur, & examen sit satis exactum, attamen eorum, qui promouentur audacia imponit, & sæpè euadunt, qui mox se ipsos parùm scientes fatentur; vnde casus cum virtute luctatur, & rem virtutis sæpiùs agit; meritò (inquam) Summus ille Pontifex doctoratui non censuit fidendum, sed peculiarem diligentiam adhibendam circa doctrinam promouendi, & peculiarem inquisitionem habendam, nisi de eadem doctrina ex publica aliqua functione constaret. Sed demùm Clemens VIII. statuit, vt assumendi ad Episcopatus Italiæ in Vrbe coram Summo Pontifice, & Sacra Congregatione Cardinalium, aliorumq; grauium, & peritorum Prælatorum, ac virorum examinetur. In Gallia verò, & Hispania coram Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Legatis ibidem existentibus, & ijs deficientibus, coram Apostolicæ Sedis Nuntijs, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, alijsque grauibus, & in iure peritis viris speciali ipsius Summi Pontificis mandato assistentibus; tanti enim est, reddi certiores de doctrina, & virtute promouendi Epicopi.

Quintò, vt sit ex Parentibus catholicis procreatus; ità Greg.XIV. in eadem constitutione sua, & demùm vt in ecclesiasticis muneribus, & functionibus sit diù versatus, isq; cui nihil ex illis obstet, propter quæ ineligibilis quis redditur; quæ singula exactissimè pertractata habentur apud recentiores, à quibus hęc praxim respicientia perfacilè possunt haberi. Quæ autem in Episcopo desiderantur qualitates, & dotes breui epilogo exhibuit *D. Paul. in Ep.sua p. ad Timot.Cap.3.* quo quidem nullum est quærendum exactius exemplar. Exorditur *Diuus Paulus. Fidelis sermo, si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Si non principatus, ac dominationis fastu, verùm cura regiminis, & charitatis affectu, bonum opus desiderat*, ait *D. Chrysostomus*; & quia Episcopum bonæ vitæ esse opportet, ideò qui episcopatum desiderat bonum opus desiderat, inquit Ambrosius ibidem.

Barbos.iur. Eccl. vniu. lib. 1. c. 9. & 10.& de off. & pot. Episc. p. 1. in. 2. Gloss. 1. AdThimot. c. 3.

Homil. 10. in princ.

3 Prosequitur *Diuus Paulus: Oportet igitur Episcopum irreprehensibilem esse*; grandis planè, ac planè ampla conditio, de qua supra. *Vnius vxoris virum*. Non quod non liceat Episcopum fieri absque vxore, vt cauillando quidam intelligunt; sed eius rei modum constituit, inquit Chrysostomus; *quàmuis enim seccundam numero vxorem habere non sit probibitum* Subdit Ambrosius *Sobrium*; si enim à moderato quolibet Viro crapula, & ebrietas abesse debet, maximè ab Episcopo, qui in specula spectandus ab omnibus tanquam exemplar proponitur. Ingessere id Patres, ex quorum scriptis transtulit in rapsodiam suam *Gratian.Can.Episcopus.Cum plurib. seqq.36.Dict.* neque enim ebrietatis, & crapulæ est hiè aggeranda diffusior detestatio. *Prudentem*; & quid ni? cum sine prudentia nulla virtus verè virtus sit; prudentiæ siquidem est præscribere, & assignare medium, in quo tota virturis ratio reposita est. *Ornatum, pudicum, hospitalem*. Pudicum meritò; quandò pudicitia flos est omnium virtutum, & ornamentum, eaque adeò est Epi-

scopo colenda; vt vel coniunctissimarum mulierum debeat affectatam declinare consuetudinem *Can.* 1. 36. *Dist.* vnde Hieronym. *Non sufficit Episcopo propriam habere pudicitiam, nisi etiam comitum, & ministrorum pudore decoretur*; quos quidem tanquam totius vitæ ipsius Episcopi testes Sacri Canones accuratissimè præscripsere. *Can. Interdixit. Cum seqq.* 22. *Dist. Can. cum Pastoris* 2. *q.* 7. *Hospitalem*; & hæc Episcoqi maximè propria virtus, hospitalitas scilicet, quæ enim bonorum ecclesiæ portio in diuisione fuit assignata, eo titulo præcisè tradita fuit, ad hospitalitatem exercendam. Non hic Sanctorum Patrum, non Conciliorum cumulandæ voces, quæ liberalitatem in pauperes tanquam verum, & connaturalem vsum redituum ecclesiasticorum commendant; vna pro omnibus erit auctoritas *Concilij Trident.* sic statuentis. *Omnino verò ijs interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiæ, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sint, ijs vt pauperibus distribuant.*

Lib. 1. *contra Pelag.*

Sess. 25. *de Ref. cap.* 1.

Pergit D. Paulus; *Doctorem*. Obseruat Chrysostomus dotes hucusque recensitas, & requisitas in subditis etiam plerumque videri; verùm quia oportet Episcopum ea, quæ sunt Rectoris habere, idcircò subiunxit *Doctorem*, hoc est (exponit Chrysostomus) *aptum ad docendum*; hoc quippe à subditis nequaquam exigitur; *cæterùm illi ante omnia adesse debet, qui huiusmodi suscepit officium*; sunt Chrysostomi verba. Prosequitur *Diuus Paulus*. *Non vinolentum*. Sobrium esse debere iam dixerat, quod moderationem in potu præscribit, vnde per non vinolentum, non contumeliosum, & non elatum intelligit, si Chrysostomo credimus; qui haud absimiliter exponit id, quod subdit *Diuus Paulus*. *Non percussorem*. *Neque hic manibus violentèr vtentem profectò significat* (inquit Chrysostomus) *sed quid? sunt nempe, qui improbè nimirum fratrum conscientiam feriunt, quos mihi nunc significasse videtur*; & ideò subnectit Apostolus. *Sed modestum, non litigiosum, non cupidum*, vt lites vt dissidia, vt auaritia inde exulent. *Sed domui suæ benè præpositum* (addit Apostolus) nam, & sæcularis sapientiæ cultores sentiunt, quod si quis domum suam rectè administret, is quoque & Reipublicę negotia rectè contrectare valeat. *Est enim ecclesia velut domus quædam*, (inquit Chrysostom.) *ac sicut in domo vxor est, filij, ac serui, omniumque cura, & regimen incumbit viro; ita fermè, & in Ecclesia videas; nihil ibi est aliud, quàm filij, vxores, serui*; meritò igitur à recta, & solicita familiæ, siue domus administratione ad Ecclesiæ regimen arguit. Addit non *Neophytum*, quæ qualitas tunc maximè spectanda erat, cum frequens esset gentilium ad Ecclesiam conuersio, vnde cauendum meritò fuerat, ne continuò nouitèr imbutus Ecclesiæ Sacramentis ad huiusce Principatus onera ferenda proueheretur.

Demùm claudit Apostolus. *Oportet autem illum, & testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt*; obseruauit Chrisostomus, fallacem esse huiusmodi conditionem,

& hinc

& hinc inde facilè decipi posse, qui in eligendo, & probando nouo Episcopo huic testimonio fidat; quid enim si testimonium habeat bonum, bonamque famam, & ipse huiusmodi non sit? sed respondet idem; *At id quidem in primis difficile est, vix enim obtineri potest, vt qui boni non sunt, apud inimicos bonum habeant testimonium*; Sed quid è contra, si illum frustra, & per inuidiam maledictis, probrisque resperserint, cum maximè gentiles sint? *At id quidem fieri non potest* (inquit Chrysostom.) *quippe eum, qui irreprænsibilem duxerit vitam, & illi ipsi reuerentur*. Id factum planè in Apostolis, quorum vitam nemo carpere vnquam fuit ausus, at prædicationem vtique; nullus vnquam Apostolis, fornicationis, impudicitię, aut auaritiæ crimen obiecit; sed tantummodò seductores appellati sunt, quod solùm ad dogma refertur; qui enim fuerit vitæ fulgore conspicuus, & illis verendus sit necesse est, quippe veritas ipsis quoque ora obstruit inimicis.

Meritò igitur testimonium hoc ab ijs, qui foris sunt proponitur considerandum, sed non solum, ita vt cum cæteris, quæ requiruntur, ne istud quidem desit. Hanc eligendi Episcopi ideam proposuit Diuus Paulus, nosque in ea ponderanda vni sumus innixi Chrysostomo, quo nullum habemus, qui mentem Apostoli intimiùs peruadat; relatis igitur eligendi dotibus ad ornamenta, & indumenta, quibus vtitur electus descendamus, nec enim ab re, & iniucundum erit breuiter ponderare, & sub ijs latentia reuelare mysteria.

CAP. XVIII.

De Episcopalibus Insignibus, & Ornamentis.

1 *De Mitra agitur, & eius antiquitate, & afferuntur hinc inde rationes.*
2 *Mitræ consideratio mystica.*
3 *De Anulo Episcopali, & eius tradendi ratione multiplici.*
4 *De Anuli Episcopalis materia, & singulæ eius qualitates Episcopo adaptantur. De eiusdem anuli forma, & gemma.*
5 *De Baculo Pastorali eius rationibus, & vsu.*
6 *De Cruce pectorali gracè* Encolpion.
7 *De Chirothecis Episcopalibus, & earum rationibus.*
8 *De Episcopalibus Sandalijs, origine, vsu, & rationibus.*
9 *De Reliquis Episcopalibus indumentis remissiuè, & de ratione ea cumulandi in Episcopo.*



VTCVMQVE plura prostent à scriptoribus tradita de mysterijs, & significationibus insigniûm, & indumentorum Episcopalium, liceat nihilominùs pauca saltem, sed potiora, & notabiliora delibare, quæ ad materiæ coronidem apposite inseruient. Inter indumenta, & episcopalia insignia primum se se exhibet capitis operimentum simul, & ornamentum, quod Mitra appellatur.

1 De cuius antiquitate digla-

diantur scriptores; plerique enim nouitium inuentum asserunt, vel ad summum non admodum antiquum, cum receptum in vsum velint, post annum millesimum à Christi natalibus; innixi, quod apud vetustiores scriptores, manuscripta sacramentaria, & auctores de Diuinis officijs tractantes nulla Mitrę habeatur mentio. Intueri licet adhuc Sanctorum Episcoporum immagines pręfixas eorum operibus, vt Dionysij Areopagitæ, Basilij, Epiphanij sine vllo Mitræ ornamento, aut tegumento exhibitas, vtcumque alijs Pontificalibus indumentis instructi ipsi appareant. Notabile est introductum Photium in octauam Synodum, in qua eius causa peragebatur, cum baculo quidem pastorali, quod eripi de manibus eius iusserunt Patres; & tamen nihil de Mitra, quam non omisisset Photius, sicut non omisit baculum pastoralem, si Mitra tanquam insigne Episcopale fuisset in vsu, & sibi competentem agnouisset, cum in omnibus se gerere tanquam Episcopum, & comparere studeret.

At verò Mitram nouitium credere inuentum plura, & multò grauiora vetant, suadetque maximè ratio, immò & veritas ipsa, vt vnde cæpit Episcopalis dignitatis exordium, etiam sumpserit Episcopalis Mitra. Ioannem enim Apostolum Ephesi Episcopum laminam auream gestasse testatur *Diuus Hieronymus ex Policrate*; *sed & Ioannes* (ait ibi Hieronymus, vel Polícrates) *qui supra pectus Domini recubuit, & Pontifex eius fuit, auream laminam in fronte portans*; quæ sicuti fuit insigne legalis Pontificis ex eoden Hieronymo ad Fabiolam de Veste Sacerdotali, ita & index est Christiani Pontificatus, & Principatus Sacerdotij; neque enim moramur *Tertulianum* negantem Apostolorum, Euangelistarum, aut Episcoporum aliquem in Ecclesia incessisse coronatum, nam scimus de alia corona eundem loqui, insurgentem in etnicas coronas ex olea, quercu, gramine, & floribus, quas Idolatriæ de gentilium vsu ipse deputat, non autem de Corona maiestatis Sacerdotalis insigni, qua vsum Apostolum illum, immò & Iacobum Hierosolymorum Episcopum testatum legimus, indeque confirtur, ab illorum Apostolorum exemplo migrasse in Ecclesiam ipsam, & Ecclesiasticos Principes ornamentum capitis, quod Mitram vocamus; cuius nominis vsum, & in Sacra Scriptura spectamus adhibitum ad tegumentum capitis significandum, vt in *Exodo, Leuitico, Iudith. Eccles. Baruch. Isaia, & apud Ethnicos*, ac profanos auctores; *Virgilius* enim

Mæonia mentum Mitra, crinemq; madentem.

Subnixus rapto potitur & alibi.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula Mitræ.

Vt mittamus, Iuuenalem, Persium, & alios, apud quos Mitræ nomen legitur, tanquam ornamenti fæminarum præcipui apud Lydos præsertim, & Phrygios; qua consideratione excitati Sectarij Catholicis imputant, quod muliebria, nedum gentilia ornamenta in sacrum vsum sibi vsurpauerint, at perperam; quod enim à diabolo fuerat corruptum, & in profanos vsus translatum, auctore Deo fuit in rectum vindicatum, immò & materia, & forma sic immutatum, vt vno retento

De Script. Eccles.

Lib. De Corona cap. 9

C. 29. C. 8. C. 10. C. 45. C. 5. C. 3.

Aeneid. l. 4. lib. 9.

tento nomine res planè alia appareat; quæ enim Mitræ apud veteres ethnicos erant virginum, & fæminarum propriæ ex alia consistebant materia, lanea scilicet, & erant forma omninò diuersæ, nam nec acuminatæ, nec sublimes, quales Episcopales, sed erant fasciæ byssinę, seu byssina velamina gemmis, & aureis bracteis fulgentia; vnde quam Deus mitram per Moysem in veteri lege Summo Pontifici statuerat, hanc ipsam in Vicarium suum, & episcopos alios tanquam condignum ornamentum transtulit, & ideò à vetustissimis, primisque Ecclesiæ temporibus testatum eius vsum intuemur. Celebre est illud argumentum, quod ex facto Cœlestini Summi Pontificis desumitur, & refert *Baronius*, quod & ante tradit *Balsam.* & *Nicephor.* Cum enim Cœlestinus Romanus Pontifex vices suas commisisset Cyrillo Episcopo Alexandrino in causa Nestorij, vt tanquam Vicarius ipsius Synodo præsideret, quæ pro definitione causæ conuocanda erat, Phrygium ei misit, quod licèt interpretatur *Baronius* pallium, de Mitra potius intelligendum videtur, sicut accipit, & *Isidorus*, qui varia capitis ornamenta explicans ait; *Mitra est ornamentum capitis deuotarum*, huncque ipsum morem mittendi Mitram confirmat, quod legitur in vita S. Anselmi Lucensis, de quo *Baron. Ille* (nempe Gregor. VII.) *Mitram Capitis sui transmisit isti* (nempe Anselmo) *tanquam potestatem ligandi, atque soluendi, sed & miracula, credo, faciendi*, quod & scripsit *D. Bernardus in vita S. Malachiæ*. In Ecclesia Africana vetustissima seruatum Mitrę vsum, vel à tempore Diui Augustini, testatur celebris eiusdem corporis Augustini translatio, quam regerit *Baronius* in ea verba. *Tunc planè accidisse perhibetur, vt Hipponensis Episcopus, & alij eiusdem prouinciæ Numidiæ Sacerdotes, occultè, vt licuit, sacrum ferrent secum vnà thesaurum, nempe venerandum corpus magni illius totius Ecclesiæ Catholicæ Magistri Aurelij Augustini Hipponensis Episcopi, simulque eiusdem sacri verticis ornamentum Mitram Episcopalem, & Episcopatus insigne baculum pastoralem, sed & alias plures secum eueherent Sanctorum reliquias*. Quod ipsum repetit in notis ad *Martyrologium*; vt mittamus Mitras, quæ adhuc in pluribus Ecclesijs visuntur, & asseruantur antiquissimas, qualis S. Syluestri Romæ, & alibi aliorum; debuit igitur regale hoc ornamentum ad contestandum regale Sacerdotium transferri, & capiti Summi Sacerdotis assignari, & præcipuè Summi Romani Pontificis, à quo in alios subinde deriuatum, vnde factum, vt frequentior re vera fuerit Mitræ vsus in Occidente, quam in Oriente.

Concessa autem fuit Mitra non solum Episcopis, quorum propria, sed & alijs inferioribus, vt Abatibus, immo nonnunquam, pro libito Apostolicę Sedis, etiam Laicis Principibus de Ecclesia, & catholica fide benemeritis, vt Vratislao Bohemiæ Duci, quas tamen non fuisse omnes eiusdem rationis credendum omninò est, sed ita diuersas, vt pro gradus prerogatiua magìs, aut minùs ornatæ appareant. Hoc ratum igitur, quod nouitium inuentum non est Mitra; & quamuis apud antiquos

Tom.5.Annal. anno 430.
Ad Nomoc. Photij tit. 8 c.1.pag.89. edit Paris.
Hist. Eccl. lib.14.c.34
Lib. 19. de Origin.c.31
To.11. Annal. anno 1085.
Circa med.
Tom.6.Annal. anno 604.
28. Febr.
Baron.tom. 11. Anno 1068.

quos rituales scriptores sit de Mitra silentium, attamen de nouitate eius minùs tuta est illatio, plura namque in sacris ritibus adhibentur, quorum in ijsdem ritualibus non habetur mentio, vt de vnctione cum Sancto Oleo, quæ adhibetur in ordinatione Sacerdotum, de Cruce pectorali, quam in vsu apud Orientales, & Occidentales Episcopos compertissimum est, & tamen apud rituales auctores nulla eius commemoratio, & ne in singulis enumerandis immoremur, iam vulgata est regula, quod argumentum, & illatio ab auctoritate negatiuè non procedit; minùs vrget, quod veterum Episcoporum, & Patrum imagines videantur non mitratæ; nam immò, & mitratas plures intuemur, quæ incertum, & inconcludens reddunt argumentum; inter operas Sancti Ambrosij Parisijs impressa prostat eiusdem Sancti Doctoris mitrata imago ex peruetustis Ecclesiæ Mediolanensis monumentis desumpta; prætərquam quod non tanti censenda est pictorum auctoritas, vt de rituum Ecclesiasticorum veritate definitionem valeant prębere, cum mutabilis nimis, nimisque versatilis sit eorum imaginatio; & hactenus de Mitræ antiquitate.

2 Hæc igitur mitra, quæ insigne capitis tegumentum in solemni Episcopi consecratione capiti eius imponitur, & semper in solemnibus ab eo gestatur in sui figura mysticum quid præsefert; Bicornis enim, vtriusque testamenti scientiam designat, quod vtrumque calere Episcopus maximè debet; armatus hac sacra Cydari, bicornique galea munitus fidei hostes ferire debet, sicut omni æuo zelantes Episcopi sæuientibus gentilium Principibus, & Tyrannis restitere, & terribiles apparuere. Mitræ additur anulus, celebre non minus, quàm vetustum Episcopi ornamentum.

3 Anulorum vsum antiquissimum testantur, vel ipsa ethnicorum scripta, nec abnuunt sacra monumenta. At Episcopalis anuli vetustatem indicat Concilium Toletanum (C. 17.) quartum celebratum mille abhinc annis, & vltra, quo præscribitur ordo, per quem, si restituatur Episcopus deiectus, Presbyter, aut Diaconus, veniat restituendus; inter insignia enim, quæ Episcopo redduntur, anulus memoratur; & ne alias congeramus auctoritates, anulum Episcopo in eius consecratione consueuisse dari testatur vetus ordo Romanus, sacramentale *D. Gregorij*, & Romanum Pontificale, in quibus leguntur, elegantes non minùs, quàm piæ Orationes, quibus sit Episcopo hæc anuli traditio, qui sicut (*Qualit. in Rom. Eccl. Episc. ord. post. med. De consec. Eccles.*) datur in consecratione, ità adimitur in execratione, quo casu propter legitimam aliquam causam contingat Episcopum deponi. Eius autem tradendi redditur ratio non vna; prima, eaque omnium potissima, vt indicetur matrimonium, quod inter Episcopum, & Ecclesiam contrahitur; Anulus enim à Sponso Sponsæ mitti consueuit, eumque ideò pronubum appellauit *Tertullianus*, (*In Apolog.*) sicut & *Iuuenalis sponsaliorum pignus*; (*Sat. 6.*) considerare igitur se ipsum debet Episcopus ecclesiæ suæ addictum, & sancto nodo vinctum, quem nodum, ceu visibilis caracter, anulus reddit.

Datur anulus episcopo (& sit ratio secunda,) vt eius dignitas, ac

pote-

potestas visibiliter innotescat; quasi penès ipsum signatoriùs Dei anulus extet, index potestatis impertiendi beneficia, quæ potissima hominibus conferuntur, cum nec peccata hominibus remittantur, nisi Episcopi, aut delegati ab eo sacerdotis ministerio diuina gratia consignetur, Anulum Principatus insigne iàm notius, quàm vt probatione indigeat; vnde & *D. Augustinus* de anulis ex Cannensi clade loquens miserabile dignitatis insigne nuncupat, & pulchrè *D. Ambrosius* ponderans munera, quæ post somnium interpretatum dedit Pharao Ioseph, & inter ea anulum, ait; *quid enim sibi vult anulus digito eius insertus? nisi vt intelligamus Pontificatum ei fidei esse delatum, vt alios ipse signaret?* Indeque emicat tertia ratio traditi anuli Episcopo, tanquam potestatis eius verissimi indicis; cum enim ex septem sacramentis ecclesiæ tria tantùm sint, quæ imprimunt caracterem, & animæ spirituale signum, Baptismum olim soli Episcopi conferebant, at hodie confirmationem, & ordinem, vnde, & meritò, ipsis anulus, quasi signatorius, & caracteris, vel signi impressiuus datur. Nisi addere velimus, & per anulum indicari Spiritus Sancti dona, gratiasque varias gratis datas, quæ instar anuli in orbem ducuntur, & inter se coniuncta à Deo procedunt, & in Deum reuertuntur; sic enim Ecclesiast. *Lustrans vniuersa in circuitu pergit Spiritus, & in circulos suos reuertitur*; mysticam Episcopalis anuli significationem agnouit, & fassus est, licèt non sine liuore in latinos, Demetrius Chomatenus Archiepiscopus Bulgariæ in responsis ad Constantinum Cabasilam Archiepiscopum Metropolis Dyrrachiensis, qui ad rationes iam supra tactas alludens concludit; *At latinis non spiritualiter, sed carnaliter, neque supramundanè, sed mundanè anuli appellationem accipientibus, studio magno affectatum est anulos gestare, vtpotè Ecclesiarum sponsis, ideoque neque hoc illis notam inurit.*

Lib. de Ioseph. c. 7.

Iuris Graecorum. lib. 5. 2.

4 Anuli Episcopalis materia non alia certè, quàm aurum, ipsumq; purissimum; hoc enim decet, non ferreum, rigida materia, & armis conflandis apta, & destinata, ac sæuitiæ ministra, quam abhorret lex euangelica, charitatis, & amoris lex, & quæ longè abest à lenitate illa, quam Ecclesia cumprimis profitetur; cum è contra arrideat aurum inter omnia metalla præstantius, & primum, cum & Christus, quem repræsentat Episcopus, super omnia sit, *quoniam in ipso condita sunt vniuersa in Cælis, & in terra visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue principatus, siue potestates &c. Ipse est ante omnes, & in ipso omia constant.* Immò si percurramus auri dotes eas primùm Christo aptari, & spectare in Christo inueniemus; aurum est materia, qua cunctæ res æstimantur, & est omnium pretium; & Christus pretiosus est ille thesaurus, quo mundus vniuersus est redemptus, Dei iustitiæ satisfactum, & chirographum nostrum deletum, quæsita gratia, comparata gloria. *Empti estis pretio magno*; inquit D.Paulus: Aurum omnium metallorum purissimum, eoque figuratam eximiam Christi puritatem arguimus, quam designauit idem Apostolus; *Talis nobis decebat, vt esset Pontifex Sanctus,*

Ad Coloss. cap. 1.

1. ad Chorint. c. 7.

Ad Hebraeos cap. 7.

ctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excellentior Cœlis factus. Vt autem arrident congruentiæ huiusmodi collato auro ad perennem Ecclesiæ sponsum, haud minùs respondent, si & cum Episcopo temporali sponso componantur. Aureus enim primò ipsum decet anulus, non ferreus, cum ab Episcopo debeat abesse ferrea rigiditas, & inflexibilitas, cum immò debeat esse benignus, misericors, patiens, & charitatem cum primis colere, cuius maximè proprium inflecti, & inclinari in proximi salutem, & bonum. Puritas in Episcopo suspicitur siue doctrinæ, siue disciplinæ; doctrinæ, quia si vigeat fastus, ac tumor præcipitem ipsum agent; doctrina excelluerunt orientales Episcopi; at veritatis studio prætulerunt vanitatis typhum, indeque sua, & subditorum ruina. Disciplinæ, & morum, ad quam respiciens Apostolus pudicum, continentem, sobrium voluit Episcopum, eumque, qui gestu, aut verbo nihil, vel minimum, impuritatis exhibeat; alludit graphicè aurum, & gestantem Episcopum assiduè admonet, *Cui rerum vni* (inquit *Plin.*) *nihil igne deperit, tutò etiam in incendijs, rogisque durante materia.* Splendor singularis micat in auro; huncque curare maximè debet Episcopus, vt fulgeat splendore sanctæ operationis, optimi nominis, & æstimationis; innuunt ipsius Christi verba, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Vnde sicut in auro consideratur pura substantia, & externus splendor, ita in Episcopo duo hæc maximè exiguntur conscientia pura, & illibata fama, conscientia propter se, fama propter alios. Eleganter *D. Bernardus* ad Eugenium suum. *Sanè interest tuæ perfectionis, & malas res, & malas species deuitare, in altero conscientiæ, in altero famæ consulas.* Facile est aurum, ac ductile, sed & ponderosum, ac graue, vnique cedens plumbo in hac parte, vt scribit *Plinius*; qua dote nulla Episcopo magis propria. Sit facilis, sit charitate, & misericordia ductilis, sed simul & grauis. Præscripsit *Tito Apostolus. In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, & integritate, in grauitate.* Nec minùs *Tridentina Synodus* Episcopos admonens, vt ab ijs abstineant, quæ debitæ grauitati quoquo modo notam inferre, gradumque adeò sublimem polluere valeant.

Lib.33.c.3. — *Matth.c.5.* — *Lib.5. de consid. c.4.* — *Vbi supra.* — *Ep. ad Tit. c.2.* — *Sess.25.c.1.*

Decet quidem Episcopum humilitas, sed cum magnanimitate coniuncta, neque enim pugnant inuicem duæ istæ virtutes, at ratione, & consideratione diuersa possunt inuicem cumulari, vt docet eleganter *D. Thomas* vnde & cum grauitate concurrere. Agnouit *B. Gregorius Magnus* scribens ad Anthemium Subdiaconum, cui indicat repræhendendum Paschasium Episcopum de pluribus, & de hoc præsertim; *Hoc quoque eius culpis adiungitur, quod ita quotidie despectus, cum vno, aut duobus clericis dicitur ad mare descendere, vt & apud suos in fabula sit, & extraneis sic vilis, ac despicabilis videatur, vt nihil habere Episcopalis, vel ingenij, vel reuerentiæ iudicetur.* Hæc de materia Episcopalis anuli. Forma autem

2.2.q.129. art.3.ad 4. — *Lib. 2.*

tem

tem nota, & simplex est, anulus enim in orbem vertitur, & digitum circuit; at ornatus eius, vt sine mysterio non est, ita nec sine consideratione mittendus. Anulos, & præsertim nuptiales, puros fuisse, & primùm ferreos apud Romanos, ac subinde aureos, & cum eadem puritate, & sine ornatu, aut cælatura testatur *Plinius*, quamuis succrescens luxus cælaturam, & ornatum inuexerit etiam apud Christianos, vt indicat *Clemens Alexandrinus*, quos in anulis, præsertim sponsalibus, fidei signum per duas manus expressum impressisse notat *Baronius*. At circa Episcopalem anulum asserit *Stephanus Durantius* in eo nihil penitus cælandum, aut exprimendum. *Anulus Episcopalis* (inquit ipse) *ex auro puro puto solidè conflatus constat. Cum gemma pretiosiori, in qua nihil sculpti esse debet.*

Lib.33.c.1

Lib. 3. Pedag. c.11.

Tom.1.Annal.ann.57

Lib.2. de ritib. Cath. Eccles. c.9.

Nihil scilicet profanum, aut ab Ecclesiastica pietate, & grauitate alienum, ne turbet, quod effossi antiqui Episcopales anuli cælatum quidpiam exhibeant; at quid quid sit de cælatura, an gemma Episcopalem anulum deceat, ambigere fas est; neque enim pietas ipsa, & Ecclesiastica grauitas admittere gemmam videtur, cuius vsus luxui à Plinio tributus; *Multis hoc modis* (inquit) *vt cætera omnia luxuria variauit, gemmas addendo exquisiti fulgoris, censuque optimo digitos onerando*; quo intuitu & inuehitur in gemmas luxus acerrimus insectator Tertullianus in libris suis de cultu fæminarum; *sed, & lapillos istos* (ait *Tertullianus*) *qui cum auro superbiam iungunt, quid aliud interpreter, nisi lapillos, & calculos, & eiusdem terræ minutalia, nec tamen aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut fastigijs sustinendis, aut tectis densandis necessaria.*

De habitu Muliebri cap.6.

Exaggerat neruosè Tertullianus hæc ipsa, & in ijsdem insequitur acriter muliebrem vanitatem, & hæc vel vna tanti auctoris consideratio gemmam in manu Episcopali damnet; nec à Tertulliano recedit *D.Cyprianus* zelo æstuans, & geminata hæc auctoritas muliebre ornamentum ab Episcopo ableget. At plana est Patrum istorum intentio non gemmarum vsum damnantium, sed abusum corrigere studentium. Inferius subdit idem Tertullianus, *Ceterum materiæ ex Deo sunt, non statim & huiusmodi fructus latere in omnibus quæritur*; ac si dicat; gemmæ, & res aliæ huiusmodi à Deo sunt, non item accedens earum vsus, qui ab homine, & à Diaboli instigatione; pluribus prosequitur, vt rem approbet, ac modum vtendi corrigat. In Sacræ Scripturę monumentis laudantur gemmæ, & admittuntur in Sacrorum vsum pretiosi lapides: cum id fuerit factum in futurorum figuram, damnata eadem tanquam detestabilia non sunt censenda in figurato. Vtetur igitur, virtute salua, gemmis Episcopus, nec studium omittet in ijs seligendis, quæ ad virtutes status sui proprias alludant, & quas ex mystica significatione commendauit Deus in Sacris Scripturis. Plures sunt gemmæ, quas Deus ad Pontificis ornatum præstituit, & præcipuè quas micare voluit in Rationali, quod describit *Diuus Hieronymus* singulos recensens lapides, qui & in Apocalypsi enumerantur tan-

Lib. de Discipl. & hab. Virg.

Cap. 9.

Iudith. 10. Exodi: 35. Ezechi. 28. Apocal. 21.

Epist. 128. ad Fabiol.

quam materia cœlestis Hierusalem. Ex ijs fas sit Episcopo quamlibet sibi deligere; vnam considerabimus æquè insignem, ac frequentem, eaque est Saphirus; cœlum colore reddit hæc gemma, aerisque sublimioris, ac purioris præsefert imaginem, & apud Ezechielem locus, in quo stat Thronus Dei, Saphirum refert, & in hoc colore Dei emicat gloria. Eliget hanc gemmam Episcopus, vt eam intuenti occurrat, *Quod nostra conuersatio in cœlis est* discatque iugiter sic excitatus cœlestia meditari. Sed numquid adamantem assumet? Scrupulum inijcit, quod in rationali Summi Sacerdotis apud Moysem nullus datur Adamanti locus inter alias gemmas, nec inter eas, ex quibus struuntur fundamenta Cœlestis Hierusalem vlla adamantis mentio. Nec sine re; *Cum insuperabilis eius durities, nec in calescenus* (vt inquit *Plinius*,) cor impenetrabile, nec charitatis igni cedens referat, quod gratum Deo credere nefas, ac proinde exulare à Sacris gemmarum nobilissimam.

Ad Philip. 3.

At sensu meliori in Sacra Scriptura proponitur Adamas, licèt non inferatur, aut rationali, aut muris supernæ Ciuitatis, nam qnod legitur Amos Cap. VII. *Et ecce Dominus stabat super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij*. Ex versione Simmachi legit Hieronym. *super murum adamantinum*, & exponit hunc ipsum locum de Christo Ecclesiam super immobilibus, & inconcussis fundamentis ædificante. *Hic stat* (inquit *Hieronymus*) *super murum adamantinum idest super Sanctos Apostolos suos, quibus donauit, vt à nullo superati dicerent; quis nos separabit à charitate Christi tribulatio, an angustia?* Sunt quidem omnes Apostoli Ecclesiæ funadamenta; at propriè, & secundùm excellentiæ veritatem Petrus est Ecclesiæ fundamentum; & ideò *D. Hieronymus* per Adamantem in manu Domini Petrum intelligit sic exponens. *Petrus erat fortissimus Adamas; portæ Inferi non prçualebunt aduersus eum &c. Dominus, qui stat super murum hunc adamantinum, habet in manu, sua hunc adamantem, qui nisi Dei teneatur manu, & illius valletur auxilio omnem perdit fortitudinem*, & proseqitur latè hanc adamantis translationem in persona Petri. Vnde libertatem, qua ex gemmis quamlibet assumere potest ad sui anuli ornatum Episcopus, ità moderabitur, vt pro cultu, & obsequio in Apostolicam Sedem, & Petrum, ab Adamante abstineat, eumquę relinquat Supremo Capiti in Principatus totius Ecclesiæ singulare symbolum.

5 Post Anulum succedit proprium Episcopi insigne Baculus scilicet, & Virga Pastoralis. Antiquitatem Episcopalis pedi illud ipsum testatur monumentum, quod pro vetustate Mitræ iam supra attulimus ex *Concilio Toletano IV.* non hìc iterùm ingerendum, cui addi potest, & vetustissimus Ordo Romanus, qui post consecrati vnctionem, benedictionem, & anuli traditionem adnectit baculi beneditionem, qui concepta verborum formula à consecrante traditur consecrato. Prolusisse videtur Episcopali pedo baculus, quem pascens gregem gestauit Moses, subinde approbans Christi Domini auctoritas, dum præcepit Apo-

Tom. 10. Biblio. SS. Patrum.

Cap. 6. Apostolis suis (inquit *D. Marcus*) *ne quid tollerent in via nisi virgam tantùm, non peram, non panem, non in Zona æs*, & quamuis Matthęi Cap. 10. virga ijsdem negetur. *Neque Calceamenta, neque virgam*; attamen conciliant recentiores Theologi; vt concessam virgam intelligant merè ligneam, sine ferro, ad sustentationem tantummodò aptam; interdictam verò non puram, & ad feriendum directam, qualem abhorret Apostolica, & Ecclesiastica lenitas, qualemque non decebat gestare missos tanquam oues inter lupos, & vni diuinæ prouidentiæ fidentes.

Conceditur igitur virga directionis ad iudicium, quam *D. Paulus* ad Chorintiorum correctionem comminatur; *Non enim in sermone est Regnum Dei, sed in virtute; quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* 1. ad Chor. cap. 4. Acuta, vt pungat magis quàm, vt feriat; sed & recta, vt regendo, & dirigendo consoletur; hanc virgam, huncque baculum habuere tam Orientalis, quam Occidentalis Ecclesiæ Episcopi, & innumera suppetunt testimonia, illud vnum satis iam supra à nobis commemoratum, cum se sistente in octaua Constantinopolitana generali Synodo Photio pseudopatriarcha cum baculo pastorali iusserunt Patres de manu eius eripi; *Baculum signum est dignitatis pastoralis* (dixere Patres illi, & præsertim Marinus Legatus Apostolicæ Sedis) *quam hic habere nullatenus debet, quia Lupus est non Pastor*. Quem Constantinopolitani Patriarchæ non de manu ordinatoris, sed Imperatoris recipiebant. Gestasse pastoralem baculum, & Abates, ipsisque datum in inuestitura sua testatur D. Bernardus, vel qui alius auctor Sermonis in cæna Domini, ait enim; *Inuestitur per librum, Abas per baculum, & anulum simul*. *Monachos etiam baculo vsos* indicat *Cassianus* sed intentione alia, quàm Abates certum est, ideòque nec vlterius immoramur. Lib. 1. de habitu Monach. c. 8. & 9. In Occidentali vero Ecclesia vsos Episcopos baculo pastorali euidentius est, quàm vt probatione indigeat: mirum solummodo illud; Pontificem Romanum baculum nec gestasse, nec gestare, idque tum propter historiam, tum propter Mysticam rationem inquit *Innoc. III. in C. Vn. de Sacra Vnct.* Vbi *Gloss.* rationem historicam assignauit, sed quæ apud nullum historicorum legitur; assignat alibi ibidem *Innocent.* Lib. 1. de Myst. Miss. c. 62. Missum scilicet D. Eucherium primum Treuirensium Episcopum Treuiros cum Valerio, & Materno, vt Teutonicæ Genti fidem catholicam prædicaret, cum mortuus esset Maternus, D. Petrum misisse baculum suum, vt eo tactus à mortuis reuiuisceret, quod euenit; vnde & Maternus Eucherio in episcopatu successit, ideò remansit baculus Treuiris, & eo vtitur Pontifex successor Petri tunc solùm cum Treuiros aduenerit. Parùm distat hæc ratio ab illa *Glossæ*, & in eo solùm, quod Innocentium habeat auctorem.

At quidquid sit de historica illa ratione, mysticas alias excogitarunt *Gloss. & Io: Andr.* qualis illa, quod Ad d. C. Vn. Pontifex potestatẽ suam immediatè à Deo recipiat, alij verò Episcopi ab hominibus, & ideò traditur illis à consecratore baculus potestatis index quod

quod à nullo Papa corrigi possit, si deliquerit, Episcopi verò vtique; quod ad trahendum ad se Pontifex baculo non indigeat, qui semper habiturus sit oues, cum nunquam ecclesia sit desitura; at è contra particulares aliorum Episcoporum Ecclesiæ deficere possint, & aberrare, & ideò earum Episcopus baculo indiget, quo errantes oues ad se reuocet.

Congruæ sanè rationes istæ; at illa fortasse verior, quod ob plenitudinem amplissimæ potestatis baculo careat Summus Pontifex quasi potestas nullos agnoscens limites nullo debeat symbolo, aut possit designari, cum è diuerso in Episcopis baculus, & suas habeat allusiones; datur enim ipsis baculus pastoralis tanquam potestatis insigne, ac dignitatis qualem in virga designarent veteres; datur, quia pastorali baculo omnia pastoralia denotantur offitia, quorum potiora regere, corrigere, sustinere, excitare, & ideò est baculus acutus in fine, retortus in principio, rectus in medio, quæ reddit elegans monosticon.

Curua trahit, quos recta regit,
pars vltima pungit.

Huc possunt comodè reuocari, quæ supra de inuestituris per baculum, & nulum sunt considerata, neque iterum ingerenda; sed reliqua Episcopalia singularia ornamenta prosequamur.

6 Inter ea spectabilis maximè est Crux pectoralis, cuius licèt non sit mentio in antiquo romano Ordine, aut penès auctores, qui de ecclesiasticis ritibus tractarunt, attamen negari nequit, quin mos gestandi salutare hoc signum sit vetustissimus. A Græcis manauit primùm, quibus à sinu *Encolpion* hoc signum Crucis fuit dictum. Argumentum præbet Epistola Nicephori Constantinopolitani Patriarchę ad Leonem III. Summum Pontificem, quam per extensum reddit *Baronius*, in fine enim regerit Nicephorus munera, *Tom. 9. anno 811.* quæ ipsi Summo Pontifici mittit, & sunt ea verba. *In signum autem mediatricis inter nos in Domino dilectionis misimus fraternæ vestre beatitudini Encolpion aureum, cuius vna facies crystallum inclusum, altera picta nigello est, & intus habet alterum Encolpion, in quo sunt partes honorandi ligni in figura Crucis positi &c.* plura alia munera, quę ibidem successiuè enumerantur, exponens Baronius declarat, quid sit Encolpion subdens. *Significare videtur eo nomine crux pectoralis ad collum appendi solita.*

Cui expositioni robur addit ex auctoritate octauæ generalis Synodi, quæ fuit Constantinopolitana Sexta redditis ipsius verbis, ex quibus apparet fideles omnes etiam laicos Crucis signum appensum gestare consueuisse, at non per hoc fuit, quo minùs Crux pectoralis dici valeat & proprium Episcopi ornamentum, quidquid sit de facto illo Basilij Imperatoris, de quo in dicta Constantinopolitana Synodo, & refert vbi sup. Baron. nam nota est Imperatorum illorum audacia circa sacra fouentibus præcipuè Græcis Pręsulibus, quorum putidam assentationem plura testantur, sed præcipuè responsum secundum Demetrij Chomateni ad Constatinum Cabasilam; *Iur. Græc. lib. 5. responsf. c. 1.* imitatus & *Theod. Balsam.* à quo mutuatus est nænias illas. Sed ad rem.

Gesta-

Gestarunt igitur Orientales Episcopi Encolpion, siue Crucem pectoralem, gestarunt & Occidentales, licèt apud ipsos non sit adeò vetustus mos iste auream Crucem in pectore gestandi, cum electio materiæ fuerit vnicuique libera relicta, adeò, vt plumbea fuerit reperta inter exhumatos cineres *Sancti Birini Episcopi Dorcestriensis in Anglia*. Neque hunc morem Episcopis conitem conuellit *Innocentij III.* auctoritas, qui recensens ornamenta Pontificis Romani ait; *Et quia signo Crucis auri lamina cessit, pro lamina, quam Pontifex ille gerebat in fronte, Pontifex Crucem gerit in pectore*. Respexit enim Innocentius ad Italicum morem, quem vsque hodie seruatum, scimus, vt Episcopi, & Cardinales ipsi cum Encolpio, & pectorali Cruce coram Summo Pontifice non se sistant quod obseruare fas est ex vtroque Concilio Ferrariensi, & Florentino sub Eugenio IV. Summo Pontifice. Describitur Patriarcharum, & Episcoporum, aliorumque assidentium Prælatorum habitus, & inter ornamenta Occidentalium nulla Crucis pectoralis mentio; at vbi Græcorum describitur apparatus præcisè numeratur Encolpion, siue Crux pectore pendens, vt moris Orientalium, licèt in conspectu Summi Pontificis, quamuis si contingat Episcopū celebrare solemniter Summo ipso Pontifice præsente, fas illi sit Crucem pectoralem assumere, omnia enim sibi licent, quæ in consecratione fuere tradita, inter quæ & Crux pectoralis.

Apud Surium.4.Decembris.

Lib.1.Myster. Miss. c. 53.

Hæc Crux igitur maximè decet Episcopum, cui nefas *gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi*, vbi ait Chrisostomus, non aliter tanquam Episcopum posse gloriari, eamque in pectore gestare, vt sibi, & alijs diuina beneficia tanquam è speculo spectanda exhibeat, exultans cum Apostolo, ac dicens. *De cætero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini mei in Corpore meo porto; non dixit habeo* (subdit ibid. immediatè Chrysostomus) *sed porto, tanquam aliquis de trophæis glorians, signisque regalibus*. Spectat Episcopus ex quatuor Crucis angulis virtutes quattuor, quæ in passione Saluatoris præ ceteris emicuere; eæque sunt, demississima obedientia, singularis patientia, inexplicabilis humanitas, charitas eximia, hasque intuens è Cruce studeat totis viribus imitari. Cruci adduntur Chirothecæ, & Sandalia, de quibus pauca ad coronidem.

Ad Galat. c. 6.

Vbi supra.

7 Chirothecarum exemplum inter Pontificalia veteris legis ornamenta nullum legimus; at ex Apostolica traditione inter Episcopalia insignia manasse, quamuis non esset inconueniens coniectari, attamen quia in traditionibus Apostolicis adstruendis cautè incedendum est, ideò dimissa Apostolica traditione, peruetustum nihilominus Chirothecarum Episcopalium institutum facilè asseremus ex eo, quod *Innocent.III. & Honorius Augustodunensis*, quem auctorem operis, quod attitulatur *Gemma animæ* agnoscit *Bellarminus De Chirothecis* ipsis tractans, tanquam de re ante eos in vsu, licèt non sub eodem nomine; quæ enim dictæ sunt Chirothecæ, manicæ ante dicebantur, vt indicant vetus Ordo Romanus, *Innocentius, & Honorius* vsque ad æuum Caroli Magni. In Ordine enim Romano describitur ritus

De Myster. Missæ lib. 1. c. 57.

De Scriptoribus Eccl.

Tomo 10. Bibliot. SS. PP. Hittorp. in collec. Auct.

tus Episcopalis ordinationis, & post alia monet aptanda illi esse sandalia, & continuò manicas, addita insuper pia, & congrua oratione pro manicis benedicendis, & in manum inferendis; si verò Ordo Romanus manicarum meminit, iam credendum est, fuisse ipsas longè antiquiores, cum Ecclesia Romana nedum antiquæ doctrinæ, sed & disciplinæ, & rituum fuerit semper obseruantissima, & tenacissima. Huius episcopalis ornatus, vt in Ecclesia Occidentali plura prostant testimonia, ita in Orientali nullum intuemur vestigium, vtcumque eius introducendi, & adhibendi, & morales, & mysticæ vigeant rationes; per Chirothecas enim manus Episcopi operientes opera eiusdem significantur, quæ fieri ab ipso ita debent, vt maneant in occulto, & nesciat sinistra, quod faciat dextera: fieri enim opera mandauit quidem Dominus, vt videantur, at non ea intentione, vt spectentur; tunc siquidem vacuæ erunt ab omni mercede apud Patrem; per manus igitur indicantur opera, per easdem tectas prudens ipsarum operimentum. Ita *Honorius Augustodunensis*, & *Innocentius III.* nec non *Guglielmus Durantes*, addens, quod ad Christum Dominum alludat.

De antiquo Ritu Missæ lib. 1. c. 2. 15.
Myst. Miss. lib. 1. c. 57.

At rationem adæquatiorem aliunde meliùs mutuari non licet, quam ab Ecclesia ipsa, quæ & in veteri Ordine Romano, & nouo Pontificali orationes exhibet, quibus & Chirothecę benedicuntur, & formulam verborum, quibus eæ traduntur, & ex vtrisque intentio, & significatio emicat; nil aliud enim indicari legimus nisi munditiem noui hominis; adiecta insuper mystica expositione, quam dedit *D. Augustinus* pellibus hædinis, quibus Iacob manus suas contexit cum benedictionem à Patre suo Isaac subripere vellet, ijs addidit, & *Petrus Blesensis* moralia documenta, quibus Episcopo ad rectum manuum vsum excitet, ac promoueat, à quorum omnium singulari descriptione stylum meritò suspendimus. Est hic vsus Chirothecarum cum alijs insignibus Episcopi maximè proprius, nec inferiori Sacerdoti communicandus, vtcumque in ordine ad Corpus Christi verum conficiendum par Episcopi, & inferioris Sacerdotis sit potestas; in hisce enim applicandis insignibus non tam ordinis character, quàm hierarchica series spectatur, à qua tota ecclesiæ vnitas, atque salus omninò pendet, & ideò decorandæ fuere Episcopi manus ornatu, qui inferioribus non concedatur, vt honestatæ eo insigni appareant, quas potestas, & eminentior gradus ab inferioribus distinguit, & quæ inspecto etiam ordine aliquid amplius exercent, quàm inferiorum, vtcumque consecratæ, efficere valeant; chrisma enim conficit, ordinat, & confirmat Episcopus, quæ nequeunt Sacerdotes inferiores. Inconsutiles, sericæ, aureumque circulum desuper habentes (vt inquit Innocentius,) vt insinuetur vnitas à Summo Sacerdote pendens, & quia actiones Pontificis rectæ fidei debent esse concordes ait *Honorius Augustodunensis*. Iam satis de Chirotecis. Transeamus ad Sandalia, & Episcopalia ornamenta claudamus.

Tom. 4. lib. contra Mendaciũ c. 10. post initiũ.
Vbi sup.
d. lib. 1. c. 215.

8 In Sandaliorum gratiam non censemus nobis retexendam altiorem, ac fusiorem de Calceis indaginem

ginem, de quibus ex professo egerê *Eruditissimi Viri*; illud præmittemus vnum, calcei nomen à calcibus deductum generale esse, variasque species, siue formas sub se continere, inter quas præcipua sunt sandalia, de quibus agere nostrum est. *Benedictus Balduinus*, qui Patre sutore natus geniale hoc studium cum sanguine hausit, vt ipsemet modestè non minùs, quàm ingenuè fatetur, de Sandalijs peculiarem tractationem instituens ea sic definiuit. *Sandalium scilicet esse muliebre calceamenti genus, idque pulchrum, elegans, & elaboratum*; & rectæ huius assignationis argumentum exhibet factum Iudith, quæ excelsum illud opus molita pro salute gentis suæ, vt gratiam Holofernis sibi conciliaret inter cætera, quibus se ipsam exornauit, *Sandalia pedibus suis induit*. Mulierum maximè proprium fuit huiusmodi calceamenti genus vtcumque crescente luxu assumpserint, & viri. forma sandaliorum fuit, vt essent soleæ, quę inferiores tantùm plantas ab itineris offendiculis defenderent; hinc Sardinia apud *Plinium* Sandaliotis dicta ob soleæ, quam præsefert, similitudinem, vnde & plantæ pedis humani eam fecit similem *Claudianus*.

Io: Rosin. antiq. Rom. lib. 6. c. 36. Bened. Balduin. De Calceo. Iul. Nigron de Caliga. Lips. Elect. lib. 1. c. 13. Hadrian. Turneb. Aduers. lib. 19. c. 24. Guido Pancirol. memorab. p. 1. tit. 44. de fibula.

Iudith. c. 10.

Lib. 3. c. 7.

De bello Gild. vers. 507.

> *Humanæ speciem plantæ se magna figurat*
> *Insula, Sardiniam veteres dixere Coloni.*

Sicque Sandalia imi calcei, & simplices, qualibus vtuntur Capuccini Apostolorum imitatores. Processu temporis ampliato luxu Sandalijs noua obuenêre additamenta, indeque concludit *Balduinus*. *Ego si quis arbitrio locus (ne decretum quis expectet) existimo primùm Sandalia Græcis ea fuisse, quæ Romanis soleæ; ita vt elegantiora mulierum essent propria, minùs elegantia viris etiam interdum vsurparentur*; Sandalijs ad simplicem, sed & necessariam terminorum notitiam, & distinctionem adnectimus campaga, & caligas, quæ voces, licèt nonnunquam pro eodem reperiantur acceptæ, attamen differunt, quia caliga dicit calceamentum militare, adeoque vilius, campagus verò, siuè campagum nobiliùs; vtrumque tibias, & pedes circumtegit, sed cum eo discrimine, quod campagus corigiarum flexuris, & implicaturis circumuinciebatur, & ad instar retis fenestratus apparebat, vt ex typo apud eumdem Balduinum spectare licet; at caliga non item, vnde campagi longè maioris erant decoris, & ideò Senatorum tantùm, & Patritiorum. Gestabant & Imperatores, sed diuersos colore, & auro, gemmis, aut Imperialis Aquilæ signo, si Balduino credimus, qui pluribus, & exactè rem prosequitur, & ad eum curiosum lectorem remittimus.

pag. 119.

Inter calceamenta igitur varia Sandalia præstare adeò sunt visa, vt sicuti apud veteres non idem erat plebeiorum, & Patritiorum calceamentum, ita inter Ecclesiasticos aliud deberet esse Clericorum, & Episcoporum aliud; sed Sandalia proprio iure Episcopis solis addicerentur, & Sacerdotibus, ac presbyteris tantùm in actu Sacrificij concederentur, Diaconis verò Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis solummodò ex priuilegio, & singulari iure, ac extraor-

traordinario, immò & eodem iure Subdiaconis. Sed demùm cum ex faciliori, & profufiori conceffione vilefcerent Sandalia, vifum eft Summis Ecclefiæ Præfulibus eorum vfum ita ad folos Epifcopos reftringere, vt alijs inferioribus omninò interdiceretur, exceptis infignioribus quibufdam Sacerdotibus, cuiufmodi Abbates, fed non omnes, at ij, quos Sedes Apoftolica eo dignos honore cenferet, vt in hac prærogatiua Epifcopis venirent ęquiparandi.

Ijs igitur, qui Apoftolorum fucceffores, calceamentum fuit iure fuo ftatuendum, quo Apoftoli ipfi Orbem peragrantes, & fidem diffeminantes funt vfi, vt in hac parte confimilis imitatio effet; Sandalijs vfi funt Apoftoli, de quo calceamenti genere verificantur, quod in fpeciem aliquam diffonantię legimus apud

C. 10. 10. Euengeliftas; nam apud *Matthæum* interdicta à Chrifto Domino Apoftolis calceamenta legimus. *Nolite poffidere aurum &c. non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*, & tamen apud *Mar-*

C. 6. 8. *cum* conceffa Sandalia, *fed calceatos fandalijs* (inquit) *& nè induerentur duabus tunicis*. Rectè quidem; nam Sandalia, nec totum pedem tegunt, ficut calceus, nec operiunt pedem cum tibia ficut campagus, fed folam plantam tuendo, fuperiorem partem pedis nudam, vnà cum tibia relinquunt, adeò vt cum calceamento non dixeris fic calceatum, nec fine calceamento fic de-

Tom. 4. lib. 2. de confenfu Euangelift. c. 30. fenfum, quam conciliationem affignauit *D. Auguftinus*. Sandalijs adduntur, & campaga, fiue campagi Epifcopo Pontificaliter celebranti tibiam altè induentes, vt indicat *Innocantius III.* quàmuis Pontificale Romanum vtrumque exprimat vno Sandaliornm nomine; quæ quidem adempta demùm omnibus alijs, quibus erant in vfu, & folis Epifcopis relicta, & fummo Cardinalium gradui, vt colligere licet ex luculentiffimo fermone Synodali, quem habuit Iuo Carnotenfis celebris in Gallia Epifcopus; differens enim de indumentorum Sacerdotalium fignificationibur hæc de Sandalijs præcisè fatur. *Vtuntur Epifcopi, & Cardinales presbyteri fandalijs, quæ calceamenta funt prędicatorum*; quæ expreffio de presbyteris Cardinalibus facta Diaconos excludit, quamuis poftea priftina decora reftituta teftetur confeffus celebris Concilij Florentini, quo Cardinales Diaconi Epifcopis particularium Ecclefiarum prælati. Lib. 1. de Myft. Miff. c. 48.

Quod diximus autem fupra de Mitra, idem, & de fandalijs dicendum, fuiffe fcilicet ipfa cum alijs Epifcoporum infignibus conceffa Abatibus, præfertim maioribus, provt varia Summorum Pontificum diplomata extant, qua de re agere fufiùs extra intentionem noftram effet, ideò rationes myfticas fandaliorum breuitèr adnectemus, affignat *Innocentius III.* ita fcribens. *Inter hæc pedes Pontificis in prẹparatione Euangelij pacis caligis; & fandalijs calceantur, quorum pulchritudinem admirabatur Propheta, cum diceret, quàm fpeciofi funt pedes euangelizantium pacem euangelizantium bona. Sandalia verò de fubtus integram habent foleam, defuper autem corium feneftratum, quia greffus prædicatoris debent* Myft. Miff. lib. 1. c. 48.

bent subtus esse muniti, ne polluantur terrenis, secundùm illud, excutite puluerem de pedibus vestris, & sursum aperti, quatenus ad cognoscenda cælestia reuelentur secundùm illud propheticum, reuela oculos, & considerabo mirabilia de lege tua.

De off. Diuin. capit. quid significat vestim. De Diuin. off. lib. 2. cap. 25. Sermone Synod. lib. 2. De cons. Euangelist. c. 31.

Quam rationem à prædicationis munere desumptam longè ante Innocentium assignarunt Sacri Auctores de Ecclesiasticis Officijs, siue ritibus *Albinus*, *Alcuinus*, *Amalarius*, *Iuo Carnotensis*, quibus omnibus prætulit facem *D. Augustinus*; & eadem allusione Monachi Aegyptij hoc calceamentorum genus ad rerum terrenarum contemptum, & cælestium desiderium interpretando dirigebant, vt fusè satis exposuit *Cassianus*. Extulit sandaliorum significationem ad longè sublimiorem illationem *Rupertus*, *sandalia Pontificis* (ait) *illud significant Diuinæ incarnationis calceamentum, de quo ipse Christus in Psalmo 59. in Idumæam extendam calceamentum meum idest gentibus notam faciam Incarnationem meam.* Cui plaudit, & *Magnus Gregorius*. *Incarnatus Dominus calceatus apparuit corrigia calceamenti, idest ligatura mysterij*, & infra; *Ioannes soluere corrigiam calceamenti non valet, quia nec ipse inuestigare sufficit incarnationis mysterium, qui hoc per Prophetiæ spiritum agnouit; & Sanctus Basilius* demùm. *Diuinitatis calceus est caro Deum ferens, per quam ad homines descendit.* Alias rationes excogitarunt, provt pietas, & deuotio excitat, Patres, & Doctores, quas singulas describere subsistimus hisce tanquam potioribus contenti.

Lib. 1. de Hab. Mon. c. 10. De Diuin. off. lib. 1. c. 24.

Homil. 57. in Euangel.

In Psal. 59

9 Reliqua Episcopalia indumenta non sunt adeò Episcoporum propria, quin & cæteris inferioribus Sacerdotibus, & ordinibus competant, cumulantur ea in Episcopo, quæ diuisa gestantur ab inferioribus, vt Dalmatica, & Tunicella; de Dalmaticæ nomine, & origine alibi fusiùs, & opportuniùs, nunc solam cumulationis rationem in Episcopo memorantes. Haud difficile est consideranti rationem scrutari, & assignare, ob quam maiorum ordinum indumenta in Episcopo vniuntur, nam qui omnium profitetur, & gerit gradus debet etiam per indumentum indicare omnium habere nedum, sed & exercere virtutes, vel quia sicut omnes gradus inferiores Episcopatu ab Episcopo conferuntur, & ab eo proueniunt, ita rationabile est, vt in ipsum redeant, & in ipso substitant, id testante multiplici ipsius habitu. At si Episcopi exhibent in ecclesia Apostolos, & gerunt Apostolorum vices, vt quid multiplicantur in Episcopis indumenta, si Christus Dominus duas tunicas Apostolis interdixit?

Matth. c. 10. Luca c. 6

Non pugnat hoc cum multiplici vestium ornatu Episcopi, qui est Apostolorum successor; non enim absolutè habere duas tunicas Apostolos suos vetuit Christus, aut eas induere; sed non duas ferre in via, ne scilicet vestibus se nimis onerarent, vt fierent ad cursum euangelicæ prædicationis tardiores, quo intuitu, & ipsis dictum *Nihil tuleritis in via &c.* vel ne nimiùm de curando vestitu essent solli-

liciti, quæ ratio propagato iam, ac diſſeminato Euangelio ceſſat; vnde peregrinari non ampliùs debent Epiſcopi, ſed magis incumbere gregi, & in eum attentè excubare.

Poſſent facilè excogitari aliæ rationes, & alię alluſiones ipſius Epiſcopalis indumenti; at hæc ſatis circa Epiſcopalia inſignia, & ornamenta. De pallio fortè deſiderari poſſet tractatio, verùm reijcimus eam in locum opportuniorem, cum de eccleſiaſtica Hierarchia tractabimus: eſt enim pallium ſingulare iuriſdictionis inſigne. Vnde ſtylum hic ſuſpendimus, & de epiſcopis ipſis tractationem claudimus.

FINIS LIBRI SECVNDI.



IVRIS-

IVRISPRVDENTIA SACRA

LIBER TERTIVS.

DE COMITIIS ECCLESIASTICIS Concilijs, & Synodis.

TRACTATVS III.

CAP. I.

1 *Comitiorum ratio à regimine, & Politia Ecclesiæ deducta, & à sæculari non minus.*

2 *Quæ comitiorum propriæ vtilitates.*

3 *Quæ eorumdem necessitas.*



LAVDET Ecclesiasticę Reipublicę politiam hæc de Comitijs, & Concilijs, siue Synodis tractatio, quam per summa capita distribuemus, de singulis accuratè, & breuiter acturi. Pars quidem hæc est Ecclesiasticæ politiæ præcipua, & ideò cum sectarijs valdè controuersa, & à propugnatoribus Catholicæ veritatis dilucidè examinata, ac sedulò exagitata, & quamuis aliquid difficultatis inuoluere videatur ex aduersariorum proteruia, & principiorum; per quæ incedunt, diuersitate, attamen suppositis, quæ hactenus circa Ecclesiasticum regimen sunt fundata, adeòque certa, facilè erit veritatem assequi, & verum Comitiorum, seu Conciliorum statum, & auctoritatem, sine potestatem dignoscere.

1 Certè instituit Deus (vt alias aduertimus) & erexit Ecclesiasticam Rempublicam ad supernaturalem finem per supernaturalia media dirigendam, at sensibilibus signis contesseratam, vt loquitur Tertullianus, & humano modo, humanisque medijs haud minùs regendam; vnde & politiam, siue regiminis formam elegit omnium excellentissimam, qua administretur, & monarchicum statuit eius regimen, sub vno visibili, supremoque capite. Aristrocratiam admiscuit, Optimatesque esse in ea voluit, qui subiecti quidem supremo Capiti, non tamen vt eius Vicarij, sed iure suo præessent. Cum igitur Respublica quælibet præter ordinarios Magistratus, & ordinarium Senatum sua insuper habeat Comitia, qer quæ, & in quibus ardua, & grauiora negotia examinet,

minet, ac diffiniat in commune Reipublicę bonum, meritò voluit Deus, & inspirauit Ecclesiæ suæ, ac Petro, & summo Capiti eius successori, vt præter ordinarium Apostolorum, & Cardinalium Senatum, de quo supra, vbi exigeret Reipublicæ vtilitas, ac rei de nouo emergentis exposceret necessitas, conuocarentur Optimatum per Orbem Christianum diffusorum Comitia, & eorum consilio, & auctoritate grauiora, & difficiliora terminarentur. Consultò quidem, & tam prò diuina, quàm & pro humana prudentia; quę enim retiones in ciuili regimine, qualecumque illud sit, sed præsertim Regio, vel Monarchico, Comitia generalia totius regni commendant, hæ ipsæ & in Ecclesiastica Republica cum primis eadem probant. Nullibi enim meliùs de curandis Reipublicæ morbis, populis dirigendis iubendis legibus, de statu conformando, quàm apud Principem in Senatu, coram Optimatibus, & Populò agi potest; quantumuis absoluta sint regna, & supremi sint Reges optima tamen agnoscunt Comitia, ac planè necessariam eorum conuocationem, vt impediantur conspirationes, & ambitiones subditorum ad morum, & Reipublicæ vniuersæ conformationem, & ad tuendam æqualitatem illam, quæ vera ditionum salus, & quò Regna, ac ditiones ipsæ sunt ampliores, ac latiores, eò maior est Comitiorum vtilitas.

Hæc quidem, vt certa sunt in sæculari regimine, ita certissima in Ecclesiastica politia, cuius Respublica quanto est diffusior, ac situ orbis disiuncta, eò magis exigit Optimatum conuentum, ac sua exposcit comitia, nullibi enim vniuersalis Ecclesiæ fides potest apertiùs explicari, splendidiùs eminere, aut tutiùs prædicari, quàm in compendio vniuersalis Ecclesiæ, quæ Comitijs, & Concilijs generalibus continetur & (vt inquit Cælestinus Primus ad Synodum Ephesinam) *vbi Spiritus Sancti præsentiam testatur congregatio Sacerdotum &c.* Et *remota arte fallendi tandem patet, quid altiori tractatu, aut coerceri debeat, aut sanari*; scribit *Sanctus Leo Magnus ad Pulcheriam Augustam*. Epist. 11. in fin.

2 Et quamuis supremum Ecclesiæ Caput semper præsideat, regat, & excubet assidente purpurato, ac ordinario Senatu, non tamen superuacanea sunt, aut inutilia generalia Comitia, ex quibus pleræque vtilitates Ecclesiasticæ Reipublicæ obueniunt, nam impensiùs morum reformationi insistitur, abusus, & vitia, quæ sensim in Ecclesiam irrepunt, per concilia emendantur, & euelluntur, vt ex Concilio Aruernensi colligit *Iuo Carnotensis*, celeriùs causę Episcoporum iudicantur, Lib. 4. Decret. & expediuntur, vt optimè nouit Nicęna Synodus prima *Can.* 5. maturiùs Ecclesiastica dogmata discutiuntur, veritas elucidatur fæliciùs *Augustino* teste, qui ait, pridem salua pace fluctuasse Patres, *Donec plenario Orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmatur &c.* Et *quod à pluribus sapientibus quæritur faciliùs inuenitur.* Ait Innocentius *in Can. de quibus* 20. *Dist.* Lib. de Baptismo Cont. Donatist. Ecclesiasticæ, & Apostolicę traditiones tutiùs custodiuntur, & conseruantur, vt scribit ad Ianuarium idem *Augustinus*, & demùm (quod om- Ep. 118. c. 1

nium

nium maximum) dubia, si quæ emergunt in fide, discussa subtiliùs enodantur, & ipsa fidei doctrina vberiùs explicatur; vnanimis enim huiusmodi Patrum Conuentus Diuino illustratur spiritu, in veritatis, & Ecclesiæ bonum dirigitur, ac vel per scripturarum germanam interpretationem, vel per diuinarum traditionum auctoritatem veritatem ipsam roborat, & errores obtruncat; stat enim immutabile diuinum
Matth. 18. 20. promissum. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; quod quidem, vt verum de quolibet cætu fidelium in Spiritu Sancto congregato, ita verissimum in generali Concilio legitimè conuocato. Vtilitatem Sacrorum Comitiorum, vt ex hisce agnoscimus, ita & necessitatem non excludimus, quam absolutam in aliquo casu dicere possumus.

3 Absolutè, & simpliciter necessaria Concilia in Ecclesia dici non possunt, quandò intuemur ipsam per annos trecentos, & vltra optimè rectam antequam haberetur Nicęnum Concilium primum; quamuis enim in deterius labantur hominum mores, & laxetur Ecclesiastica disciplina, non tamen per hoc censenda absolutè necessaria Concilia, quia Pontificiæ leges, & prouincialia Comitia mederi vtique possunt, etiam si non habeantur generalia, quæ sanè suauiùs id possunt præstare. Compressæ quidem sunt hæreses per septem generalia Concilia, at multò plures sunt extinctæ à sola Apostolica Sede adiuuantibus particularibus Comitijs. Verùm præscindendo à quacumque Comitiorum specie; certè Concilium aliquod in Eclesia est absolutè necessarium. *Necesse enim est, vt veniant scandala* ait Christus Dominus, cui Matth. 18. consonanter, & *D. Paulus*; *oportet, & hæreses esse*; igitur & necessarium 1. ad Chorint. c. 11. remedium in Ecclesia ad vtrumque tollendum accommodum, hoc autem Concilium qualecumque, & hoc vsa est semper Ecclesia, hoc Summus Pontifex supremus in Ecclesia iudex, & meritò; nam stat diuinum promissum iam supra memoratum, *Vbi sunt duo vel tres &c.* Act. c. 15. & hoc ipsum adhibuere Apostoli à Christi ore edocti; ad quam necessitatem respexit *D. Cyprianus* ad Stephanum scribens; *Necesse habuimus conuenientibus in vnum pluribus Sacerdotibus cogere, & celebrare Concilium*; & Synodus Lib. 2. Ep. 1 in prin. sexta Concilium appellauit exercitum, & militiam Dei aduersus Act. 18. cohortem Diaboli; posset sanè Deus Ecclesiam suam sine Concilijs regere, & tueri, at iuxta ordinariam prouidentiam, & vt humano modo regatur, necessaria sunt Concilia ed rectum, & rationabile Ecclesię regimen, & in hac parte nec immorandum, nec scrutandum curiosiùs. Sed ad rem ipsam accedamus.



CAP.

CAP. II.

Origo, Denominatio, Definitio, ac Diuisio Sacrorum Comitiorum.

1 *Figura in lege veteri, & origo ex Euangelio.*
2 *Comitia an humanum inuentum, an verò ex diuina institutione.*
3 *Nomen, & nominis ratio remissiuè.*
4 *Definitio Concilij traditur, ex varijs Auctorum sententijs.*
5 *Diuisio Concilij in species quattuor, & singulæ assignantur.*

1 ADVMBRATA Ecclesiæ Comitia, ac veluti præmonstrata censuit Card. à Turrecremata in antiquis Sacrarum Scripturarum monumentis, sed præsertim *Numer. Cap.* 15. vbi scriptum. *Surrexerunt ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, & qui tempore Consilij per nomina vocabantur.* Sit quidem hæc figura futurum in Ecclesia Concilium velut vmbra delineans, neque enim exactiori censura id examinandum; at proximiorem Comitiorum originem retegemus, quæ quidem non altiùs repetenda, quàm ab ipsis erumpentis Ecclesiæ cunabulis inter obstetricantes Apostolorum manus. Plura celebrata comitia ab Apostolis idem Turrecremata enumerat, quidquid enim ab ipsis in conuentu fratrum, aut discipulorum est gestum, idipsum Concilium existimat, & appellat, siue sit electio Matthiæ in Apostolum, siue Diaconorum institutio, siue qui alij actus gesti in conspectu fratrum, quos quidem Comitia late sumpta fatebimur vltra, quàm nostra ferat intentio.

Sum. De Eccles. lib. 3. c. 3.

At primum, & proprium Ecclesiasticorum Comitiorum typum à Christo Domino exhibitum proponimus tunc, cum veniens in Partes Cæsareæ Philippi, & cum solus esset orans cum discipulis suis interrogabat eos dicens, *quem dicunt homines esse filium hominis?* quem locum ad rem nostram expendens *Baron.* excitata, tanquam in re animaduersione dignissima, lectoris attentione ait. *Eiusmodi namque tanti ponderis, & auctoritatis actio Christi typum quemdam exprimit celebrandi Concilij; cum missis cæteris, solus cum discipulis, post preces Deo oblatas de summa rerum quæstionem proponit, & admirabili quodam ordine, vt prius destruantur errores, ac subinde solita firmitate veritas stabilita locetur: in primis interrogat, quæ sit illorum, qui foris sunt, opinio de filio hominis; sed cum deliramenta potiùs, & insana ab illis dicta ferrentur, quid demùm ipsi de ea re sentirent, rogat sententias omnium &c.* Hactenus Baronius. Post præmissum typum ex ipso Christi Domini facto prima Ecclesiastica Comitia agnoscimus in celebri conuocatione illa, quam in actis Apostolicis legimus, cum excitata controuersia super circumcisione, & legalium vsu, *Conuenerant Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc; & cum magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos.* In quo

Matt. c. 16. Marc. 8. Luc.

Tom. 1. Annal. Anno 33.

Cap. 15.

quo quidem conuentu ad typi iam per Chriſtum exhibiti celebrata ſpectamus Eccleſiaſtica prima Comitia; Paulus enim, & Barnabas Hieroſolymam petunt quæſtiones diſcutiendi cauſa; conuocatio fit, præſidet Petrus, fit diſquiſitio per vota oretenùs data, & tandem ſtatuitur decretum communi conſenſu, & approbatione Apoſtolorum, ſeniorum, & totius Eccleſiæ receptum, ac per Epiſtolam promulgatum, quæ quidem veriſſima comitiorum Eccleſiaſticorum forma.

De Cęleſti Hierar. lib. 6. cap. 1.

2 Et quamuis ex hiſce ſic geſtis Albertus Pighius Comitia in Eccleſia eſſe merum humanum inuentum, & ex puro humanæ rationis dictamine quaſi deducens, aſſeruerit; attamen longè ſublimius, adeòque diuinum inuentum, & inſtitutum præſtat aſſerere, quandò Chalcedonenſis Synodus ſcribens ad Sanctum Leonem Magnum, Conſtantinopolitana V. eadem ſexta contra Monothelitas, & Cæleſtinus Papa I. ſcribens ad Epheſinam Synodum Comitiorum Eccleſiaſticorum fundamentum poſuere in verbis illis Chriſti Domini; *Dico vobis, quod ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt; vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*; ac proinde non decet aſſerere merum humanum inuentum, quod à diuina auctoritate, & diuino verbo exordium ſumpſit, eòque reſpicientes Apoſtoli decreti ſui longè excelſiora reuelarunt auſpicia præmittentes. *Viſum eſt Spiritui Sancto, &c.* quæ quidem omnia inducunt, vt dicamus Eccleſiaſtica Comitia ab Apoſtolica traditione eſſe,

Poſt. princ. Act. 3. in fin. Collat. 8. in Definit. contra 3. cap. in princ. Act. 17. in defin. tom. 1. ep. decr. Ep. 17. in pr.

Matt. c. 18.

eamque Apoſtolos à Præceptoris Chriſti ore hauſiſſe, ac in Eccleſiam tum exemplo, tum doctrina tranſmiſiſſe modo, forma, loco, tempore celebrandi humanæ prudentiæ, & auctoritati relictis.

3 Hæc, quæ hactenus politico (vt ita loquamur) termino Comitia appellauimus, Eccleſia, & Patres proprio indigitarunt nomine, & latinè Concilia, Grecè vero Synodos nuncuparunt, appoſitis ſanè ad intentum ſignificandum vocibus, circa quarum etymologiam non immorabimur, cum vtriuſque vocis aperta nimis ſit intentio, ſiuè latinæ, ſiuè grecæ, & ſingulæ ſe ipſas explicent, & in hiſce leuioribus remittemus ad ſcribentes, ad rem, & ad definitionem tranſeuntes.

Iſidor. lib. 6 Origin. c. 16 Alberic. in Diction. Card. in proem. Clementin.

4 Vtcumque *Cardin. Iacobatius* in luculentiſſimo tractatu ſuo de Concilijs definiturus Concilium expenderit definitionem, quam tradit, vel tangit potiùs *D. Thomas*, attamen quià merè incidenter ab Angelico Doctore tradita, & præter intentionem verè definiendi, non eſt cur veniat à nobis proponenda, aùt examinanda; ea igitur omiſſa, Gloſſa Concilium definiuit, vt ſit illud *quod à Papa, vel eius Legato cum omnibus Epiſcopis ſtatuitur*. Sed eam exploſit Iacobatius vtpote, quæ deſcribat magis, quam definiat. *Card. à Turrecremata* redditis, & confutatis quatuor aliorum definitionibus ſubtexit tandem ſuam. *Concilium eſt Congregatio Prælatorum maiorum Eccleſiæ auctoritate Romani Pontificis ſpeciali conuocata ad aliquid communi intentione ſolemniter tractandum in Religione Chriſtiana, Papa in Concilio præſidente vel aliquo loco ſui;* ſingulas

Tomo 13. tract. p. 1. lib. 1. n. 1. 2. 3.

2. 2. q. 158, art. 5. ad 3.

Ad Diſt. 17 in ſum.

Ad diſt. 17. in ſum. n. 1.

Num. 2.

gulas partes definitionis examinat, & confirmat, vt exacta, & adæquata appareat descriptio; sed tamen næuos in ea detegit Iacobatius, quasi deficiat aliquid, quod ad perfectum Concilium requiratur. Addit demùm & suam licèt suspensa loquendi forma, dum ait; *possit fortè ita definiri*, quod scilicet Concilium *sit Congregatio Prælatorum ex vniuerso Orbe, & aliarum Personarum auctoritate, & voluntate Papæ conuocatarum ad aliquid communi intentione communitèr tractandum in Religione Christiana, Papa in ipso Concilio præsidente, vel alio loco eius, & aliquando Christi, siue ipsiusmet Concilij auctoritate suffulta*. Quæ postrema verba adijcit pro eo, quod vel Sedes Pontificia vacaret, vel Papa esset hæreticus, & nollet Concilium conuocare, in quo Papa ipse non præsideret. Non reuocamus ad censuram, aut conferimus inuicem singulas hasce definitiones, at iudicium in medio relinquimus; res enim ex vtraque definitione constat, & in tractationis progressu ad oculum innotescet apertiùs. Vnde ad diuisionem in species descendemus.

Innocent. Ad.C. Graue. De Præbend.

5 Vt vulgata ita, & recepta est illa Concilij diuisio, vt scilicet aliud sit Generale, Nationale aliud, aliud Prouinciale, & aliud. Diœcesanum. Generale, quod & Græcis οἰκουμενικὸν, æcumenicum illud est, quod Summi Pontificis Romani auctoritate, & ab ipso ex toto Orbe conuocatum, cui possunt interesse omnes Ecclesiæ Prælati maiores, & cui præsidet Summus ipse Pontifex, vel alius loco, & nomine eius; quę singulæ conditiones ex dicendis in progressu, & patebunt, & firmabuntur. Cuiusmodi Concilia ad quindecim, vel decem, & septem hucusque vidit Ecclesia, & variatur numerus provt duo Concilia, aut vniuntur, aut separantur, vt Sardicense cum Nicæno. Nationale Concilium dicitur, quod ex pluribus Prouincijs vna Diœcesi comprehensis celebratur, conuenientibus Episcopis plurium Prouinciarum, quæ vnum corpus constituunt, & dicitur Diœcesis *l.23. C. Theodos. de Ep. & Cler.* & ibi circa verbum Diœcesis notauit Gothofredus; huiusmodi fuere Concilia Romana, Africana, & Gallicana nonnulla, quæ quidem quamuis differant à generalibus, & à prouincialibus, attamen vtrorumque nomine aliquando veniunt, & præcipuè generalia nonnunquam appellantur; indicat Romana sub Symmacho, in qua legimus; *Symachus Concilio generali præsidens*, & tamen constat ex solis Episcopis Italiæ, in Toletana III. C.18. legitur. *Hęc Sancta, & vniuersalis Synodus*; cum tamen ex solis Episcopis Hispaniæ constaret; vocat hęc ipsa *Gratian. in C. Porrò 3. Dist.* prouincialia, quia congregantur ex certis prouincijs vnius Diœceseos. Prouincialia verò Concilia dicuntur, quæ conuocat, & celebrat Metropolitanus, siuè Archiepiscopus cum Episcopis sibi subiectis, & suæ Prouinciæ, ipsisque præsidet - Diœcesana verò Concilia, ea sunt, quæ conuocat Episcopus ex Presbyteris, suæ Parochiæ, vt græci loquuntur, vel suæ Diœcesis, vt communitèr fertur, & has voces immutauit vsus, cui standum. Huic diuisioni subnectitur & alia ab effectu desumpta, vt scilicet Conciliorum alia sint approbata ab Apostolica Sede, alia

alia omninò improbata, alia nec approbata, nec improbata, quæ singula passim ex historijs apparent, nec circa ea immorabimur. Prima diuisio illa est, quæ ad rem nostram pertinet, & singulæ eiusdem species sunt nobis tractandæ. Exordiemur à generalibus, & per capita in eorum tractatione incedemus.

CAP. III.

Cuius sit Generale Concilium indicere, & conuocare, eidemque præsidere.

1 *Proponitur Concilij Generalis Conuocationem omni ratione ad Summum Pontificem pertinere, & firmatur fundamentis, tum ab auctoritate, tum à ratione.*

2 *Quibus nitantur, qui asserunt id competere Imperatori.*

3 *Ad eadem soluenda auctoritas adstruitur ex quattuor primis generalibus.*

4 *Cur interuenerit & Imperatoris auctoritas, inquiritur, ac contraria soluuntur.*

5 *Præsidere Concilio proprium vnius Summi Pontificis; & exemplo octo generalium Conciliorum ostenditur.*



VOD proponitur quæsitum de solo Concilio generali est, de alijs enim iam conuenit inter omnes, cuius sit singula conuocare, quæcumque ea sint. Et quamuis ex iactis hactenus Ecclesiasticę politię fundamentis liquidò constet, ad quem spectet conuocare generalia totius Reipublicæ, & Regni comitia, attamen permisit summa Dei sapientia Ecclesiam suam vbique, & in omnibus successiuè impeti, vt & in omnibus veritas solidaretur altiùs. Vagiebat adhuc in cunis, & statim contradictionibus quatitur, idque obseruatum à Iudæis Romæ commorantibus, qui D. Paulum alloquentes, *nam de secta hac* (inquiunt) *notum est nobis, quod vbique ei contradicitur*. Act.28.22. Aucta annorum progressu secum auctæ & oppugnationes quacumque ætate, & qui liuor Primatum Romani Pontificis ferre nec potuit, nec potest, hic ipse, & auctoritatem conuocandi generalia Comitia, tanquam consequentem veritatem, inuasit, Imperatori tribuens, quod ad potestatem ipsa Imperiali sublimiorem spectare ratio recta dictat.

1 Monarchicam Ecclesię politiam vix concipit animus, quin statim consequentia planè naturali agnoscat, & inferat Pontificis Romani, tanquam in eadem Ecclesia supremi, omninò id muneris esse, illudque semper ipsi tributum, vel vna Alexandrina Synodus probat, cui Athanasius interfuit, scribens Papæ Felici; *Scimus in Nicæna magna Sinodo 318. Episcoporum ab omnibus esse concorditer roboratum, non decere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos condemnari*. Tom.1.Ep. Decretal. pag.215. Verissima assertio; sed auctoritas exilis, cui nec censemus fidendum quamuis, eam attulerit Bellarminus; inter supposititias enim Isidori Mercatoris merces ipsam reijcit Baronius, & cum eo Epitomator Spondamus.

Adstipulantes Sanctorum Patrum auctoritates congessit, ac disposuit Gratianus per totam Dist. 17. nec minùs ratio ipsa plaudit: conuocare si quidem in Republica is debet generalia Comitia, cui credita tota Reipublicæ summa, & cui vni ea procurare iniunctum, quæ statum totius Reipublicæ tangunt, cuius imperio parere tenentur omnes, & penès quemuis, qui contumaces, ac renuentes ad Comitia accedere coercere, punireque valeat omnium supremus, maiestateque pollens; cui cum sit commissum Reipublicę bonum, quod verus finis Imperantis, datum etiam media ad finem necessaria statuere.

Isque non alius quàm Pontifex Summus, cui dictum in Petro *Pasce oues meas*, cui parere omnes tenentur Episcopi, qui contumaces, ac renuentes eosdem pro potestate sua cogere potest, potest punire *Can. dubium 3.q.6.& tota 18. Dist.* cui demùm, cùm innitatur tota Ecclesiasticæ Reipublicæ salus, media etiam eligere ad eam procurandam consequentèr competit, idque præcipuum generale Concilium, vt arguit *D. Thomas*, quod conuocare ideò ad eundem summum Pontificem spectat, idque ni fiat, facilè nimis erumpent schismata, scinderturque Ecclesia, si quilibet ex maioribus pari auctoritate id facere valeat, neque vllum aptius ad id remedium, quàm si penès vnum sit summa hęc potestas, *quod autem vnus electus est, qui cæteris præponeretur* (inquit D.Hieronymus) *in schismatis remedium factum est, ne vnusquisquę trahens ad se Ecclesiam rumperet*. Neque vlli màgis hæc conuocandi potestas competere debuit, quam ei, à quo tota Conciliorum auctoritas pendet, cum quidquid decernunt Concilia irrefragabile robur à Romanæ Sedis, & Summi Pontificis confirmatione recipiat, sine qua, quæ alioqui generalia videbantur Concilia, vix Concilij nomen, nedum auctoritatem, retinuere.

2. 2. q. 1 Art. 10. in corp.

2 Quod si tanta est in Conciliorum conuocatione Pontificis summi potestas, constat, quàm iustè hanc ipsam Imperatori tribuant, qui id muneris eius esse asserunt, vtcumque excursis insigniorum Conciliorum conuocationibus euincere idipsum historica euidentia, & nitantur & credant; ingerunt enim quod Nicænum omnium primum conuocauit Constantinus Magnus *Ruffino* teste, Constantinopolitanum primum Theodosius Senior, vt testatur *Socrates*, & Ephesinum primum Theodosius Iunior ex *Euagrio*; quam autem auctoritatem agnouerit Sanctus Leo Magnus in Martiano Augusto pro conuocatione Chalcedonensis Synodi generalis indicat eius Epistola ad eundem *Augustum*, immò scribens idem ad *Theodosium* supponit ex eius pręcepto conuocatam, & celebratam Ephesinam. Sardicensis Concilij Patres profitentur ipsum indictum à Constantino Imperatore in Epistola apud *Theodoretum*; apertissimè demùm D. Hieronymus de commentitia Synodo loquens, qua damnatus asserebatur Hilarius Confessor. *Responde quæso, Synodus à qua excommunicatus est, in qua Vrbe fuit? Doce, qui eo anno Consules fuerint, quis Imperator eam Synodum iusserit congregari*. Nec aliter certè fieri potuisse videtur, aut debuisse, non enim ante cęperunt congregari Concilia, quam Imperatores

Hist. lib. 10 c. 1.

Hist. lib. 5. c. 8.

Hist. lib. 3. c. 3.

Ep. 43.

Ep. 24. & 25.

Hist. lib. 2. c. 8.

tores ipsi Christianam fidem assumpserint, & ideò primis trecentis annis nulla legimus conuocata, aut celebrara generalia Concilia, quasi tunc deessent, qui ea conuocarent; at vbi pax illuxit Ecclesiæ suscipiente Constantino suaue Christi iugum cum Christiana fide, cœperunt conuocari Concilia, primumque Nicænum, cui inditus titulus Sanctæ, & magnæ Synodi, ac subinde generalis, & œcumenicæ, quamuis non esset ea congregata ex vniuersa Ecclesia, quæ etiam extra fines Romani Imperij protendebatur, sed quia moris tunc erat, vt Imperator diceretur Dominus totius Orbis, licèt non nisi quotæ eius portionis re vera esset, inde factum, vt œcumenica diceretur Synodus, quæ ab Imperatore Orbis Domino esset conuocata, quasi œcumenicæ titulus non aliunde competeret.

3 At hæc illorum sunt somnia, quos altè vulnerat Ordo Hierarchicus in Dei Ecclesia, & Caput vnum, ipsumque supremum, quod præsit; omnia libentèr confundunt, & quod piè, ac modestè recusarunt Imperatores adstruere isti nituntur, dum eos præesse spiritualibus volunt, quocumque capite contenti, dum Romanum Pontificem, qui verum est Caput, si possint, exturbent: stat nihilominùs inconcussa veritas, nullum œcumenicum Concilium à solis Imperatoribus (si modò Catholici essent) indictum, aut conuocatum sine assensu, & auctoritate Summi Romani Pontificis, à quo in actu, qui merè Ecclesiasticus est, tota, ac principalis sumenda est denominatio. Euincunt apertè quattuor illa Concilia prima, quæ non secus, ac quattuor Euangelia ex sententia Sancti Grægorij Magni venerari debet Ecclesia. Nicænum suasu, & auctoritate conuocauit Syluester, iuuante opus egregium Constantino Cæsare, vt aptissimè deducit *Baronius*, cuius Imperatoris religionem non est credibile temeraturam, aut passurum Syluestrum, vt temeraret Ecclesiasticum canonem, quo cautum (*Socrate* teste) ne possint fieri decreta de rebus Ecclesiasticis sine sententia Romani Pontificis. Constantinopolitana prima, & generalis secunda, fuit quidem conuocata literis Theodosij Imperatoris, at Damasi Papæ auctoritate iuxta Ecclesiasticos canones, & Patrum instituta, vt idem aduertit *Baronius*, firmatque apertiùs eiusdem Epitomator Spondanus eodem anno ex codicibus Vaticanę Bibliothecæ, & Sanctè Marię Maioris, qui res gestas Damasi Papæ continent, ex quibus hæc regerit verba. *Sententiam de damnatione Macedonij, & Eunomij Damasus confirmari præcepit etiam in Sancta secunda Synodo, quæ præcepto, & auctoritate eius apud Constantinopolim celebrata est*, à qua Synodo scribentes congregati Episcopi ad Damasum, *Mandato* (inquiunt) *literarum superiore anno à vestra reuerentia ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum ad iter dumtaxat Constantinopolim vsque faciendum nos præparauimus*. Ephesina Prima, eaque generalis tertia, celebrata fuit opera Cyrilli Alexandrini, & auctoritate Cęlestini Romani Pontificis; certe ex *Euagrio Cyrillus* Synodo interfuit tanquam legatus Cælestini, de cuius decreto, & auctoritate nefas ideò ambigere: quas gesserit partes Martianus Augustus in conuoca-

Tom. 3. Annal. Anno 325.

Lib. 2. c. 5. & c. 13.

Annal. tom. 4. anno 381

Apud Theodoret. lib. 5 c. 9.

Hist. lib. 1. c. 4.

uocatione Chalcedonensis Concilij testatur eiusdem Martiani præliminaris Epistola ad Sanctum Leonem Magnum; qua indicturus Concilium rogat Sanctissimum Pontificem, vt & ipse veniat, ac Concilium faciat, quod si graue esset accedere, scribat quid agi velit, & demùm concludit, se scripturum ad omnes Episcopos, vt in certum locum conueniant, *& quæ Christianorum* (sunt postrema Epistolæ verba) *Religioni, & Chatholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas Regulas definiuit, sua dispositione declarent*. Hanc ipsam Chalcedonensem Synodum congregatam ab Apostolica Sede supponit Gelasius Summus Pontifex scribens ad Episcopos per Dardaniam. Sardicense demùm, quod fuit velut appendix Nicæni, indictum cum auctoritate, & consensu Iulij Primi Summi Pontificis indicat *Socrates*. Concilia igitur illa prima, eaque generalia, indicta quidem fuere ab Imperatoribus, at consensu, & auctoritate Romani Pontificis, cuius maximè proprium decernere, indicere, & conuocare. At cur non ipse solus, sed & cum eo Imperator indicit, & conuocat?

Tom. 1. ep. Decretal. epist. 2. Gelas. pag. 312.

Hist lib. 2. cap. 16.

4 Absit, vt credamus, aut asseramus ita etiam ab Imperatore conuocata, & indicta hæc Concilia, vt quasi propria, & connaturali auctoritate sua id fieret, & Imperialis muneris id esset, absit, neque enim Ecclesiasticæ, & politicæ potestatis id admittit diuersitas, quæ vtraque, vt diuersos fines inuicem subordinatos inspicit, ita & impermistum vsum supponit; *Can. duo sunt 96. Dist.* Vnde si ad Pontificem Summum, tanquam ad supremum Ecclesiæ Caput, spectat generalium Conciliorum conuocatio, hæc ipsa iure suo ad Imperatorem pertinere non potest, cuius, vtcumque excelsa, potestas supernaturalia non attingit. At verò status Ecclesiæ tempore Nicæni, & aliorum Conciliorum, quæ supra sunt memorata, Imperialem operam, ac Cæsareum consensum exigere videbatur propter plura; erumpebat enim tunc primò Ecclesia, suasque sensim exerebat vires hactenus persecutionibus oppressas; & lex Romana tunc maximè vigebat, quæ hominum conuentus, & conuocationes interdicebat, easque fieri sine Imperatoris consensu vetabat, ne religionis obtentu res nouas moliri quis auderet, *l. 1. ff. de Colleg. illicit. l. conuenticula Cod. de Epist. & Cler.* & quidquid esset de lege illa, de cuius explicatione *Cuiacius*, Imperatores summa tranquillitate maximæ orbis parti imperabant, nec admittebat prudentia conuocari, & celebrari concilium in aliqua Vrbe Imperatori subiecta, & Domini temporalis consensum non requiri; eòque magis æuo illo, quò celebrata fuere generalia concilia prima, omnia enim sumptibus Imperatoris gerebantur, tum quoad transuectiones Episcoporum ad locum Concilij, tum quoad sumptus eorumdem in ipso Concilio, vt scribit *Eusebius* in Vita Constantini, & Theodoretus confirmat. Demùm vtcumque Pontifex tanquam supremum Ecclesiæ Caput omnibus, & Imperatori ipsi, in spiritualibus præesset, *dict. Can. duo sunt 96. dist.* attamen se in temporalibus subiectum Imperatori modestè profitebatur, & asserebat, & eo inuito aliquid agere verebatur, & cum debuis-

Lib. 7. obser. c. 30.

Lib. 2. c. 16.

buisset ab eo petere, & implorare auxilium ad conuocandum Concilium, attamen tanquam Domino temporali supplicabat, vt iuberet conuocari Concilium.

Pro vario Ecclesiæ statu, variè etiam, (& prudenter) se gessere Pontifices; habuit Ecclesia suas ætates, & pro earum varietate gradatim etiam potestatem suam exercuit; cum infans, & adhuc à Christo recens in cunis vagiebat nutrice opus habuit, quæ gestaret, moueret, ac pasceret; Principum opera indiguit C.49. 23. iuxta *Isaiæ* vaticinium, *Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ*. Hunc Ecclesiæ statum exhibent Constantini, & subsequentia illa tempora; hunc respiciunt Sancti Hieronymi, & S. Leonis, verba, & quidquid præstitum ab Imperatoribus circa Conciliorum conuocationem facti fuit, non iuris, auxilium, & subsidium, non auctoritas, non potestas. Aetate procedente adoleuit, roburque adepta Principum pietate fouentium suas gradatim exeruit vires; Pontifex ita spiritualibus præest, vt non amplius in temporalibus subsit; sed immò, cum & ipse temporalibus præsit, munus suum liberè exequi potest, nec Imperatoris indiget ope; & ex hisce emicat, quàm rectè senserint de œcumenici titulo, qui ideò inditum voluere Concilio, præsertim Nicæno, quia ex toto Orbe Romano ab Imperatore conuocatum esset, quasi accidentalis, ac superaddita esset huiusmodi denominatio non intrinseca, aut propria, vt re vera fuit, cum & conuocantis Pontificis auctoritate tanquam vniuersalis Capitis, & conuenientium Patrum facultate, quibus ex qualibet Christiani Orbis & Ecclesiæ parte patuit aditus, hoc ipsum œcumenici, siue vniuersalis nomen propriè competierit à constitutione sua, absque vllo ad Imperatorem, aut Imperialem ditionem respectu, cuius opera in Nicæni præcipuè conuocatione, & subsequentium Conciliorum facti, non iuris auctoritatem (vt iam diximus) arguere debet.

5 Conuocationem generalis Concilij propriam vnius Romani Pontificis, tanquam Ecclesiæ supremi Capitis, consequitur planè connexa prærogatiua, vt & idem Pontifex generali Concilio, & eius celebrationi præsideat, & qui Caput Ecclesiæ est in conuocatione, & Caput sit in celebratione, qui enim in vniuersali præsidet caput est, nec aliud debet esse Caput Ecclesiæ, & Caput Concilij, in quo compilata tota spectatur Ecclesia. Intueri id licet in Hierosolymitano ApostolorumConcilio, quod typum aliàs diximus Act.c.15. conciliorum omnium, celebrato pro discutienda legalium obseruatione promulgato Euangelio. Huic concilio præsedisse Petrum sentit Diuus Hieronymus, & verè; nam Petrus primus surgit, primus loquitur, primus quæstionem determinat, omnes reliqui Petri sententiam sequuntur, & hæ quidem in quolibet conuentu vnius Capitis sunt partes, & Præsidis. Hunc typum, & hoc exemplar imitata sunt omnia quotquot subsecuta Concilia. Octo generalia prima excurrunt attentè scribentes, & singulis præfuisse Romanum Pontificem per se, aut per legatos suos euincunt, indeque inferre concludendo licet, id faciendum de iure, quod factum semper in re grauissima exititit. Hæc ipsa, quæ

voca-

vocatione meri facti sunt,& ex conciliarium actorum historia apertissimè constant, obscurant, & inuoluunt sectarij, cum quibus pugnant controuersiarum tractatores,hisq;ex instituti operis intentione hęc ventilanda relinquimus. At circa quattuor prima generalia concilia præsidentiam Romani Pontificis considerabimus, ab ijs enim ad reliqua consimilia comitia facilè, ac tutum erit procedere, ac inferre. Post Apostolorum Concilium Hierosolymis habitum, quod typum diximus omnium aliorum, & cui præsedit Petrus Apostolorum, & Ecclesiæ Princeps, primum generale fuit Nicænum in Oriente, cui præsedit Romanus Pontifex, non quidem personaliter, sed per legatos suos, idque præstitum non solùm in Njcæna, sed & in quacumque alia Orientali Synodo, cui eum personaliter præsedisse nunquam legimus, & profitetur S. *Leo* Epist. 17. *Magnus* in Epistola sua ad Theodosium Augustum, se excusans, si ab eo inuitatus ad Concilium non pergat; *Occurrere me nulla ratio permittat, quum nec aliqua ex hoc exempla præcesserint*; nec absimiliter ad Patres Chalcedonensis eiusdem Concilij ab interuentu se subtrahit scribens; *Quod quidem nec necessitas temporis, nec vlla consuetudo poterat permittere*. Non vna enim causa abstinendum Summo Pontifici à personali præsidentia Synodorum Orientalium suasit; locorum distantia, & transmarina nauigatio non exigua fuit; accessit, non deserendam Romanam Vrbem tam longum iter assumenti, idque facere se veritum expressit idem Epist. 17. *S. Leo* ad Theodosium, *Et temporalis necessitas me non patitur deserere ciuitatem*. Nec minùs decus, & dignitas primæ Sedis retinuit, neq; enim visum fuit decere, vt Caput sequatur membra. Nicæno igitur Concilio præfuit Syluester Romanus Pontifex per Legatos suos, inter quos primus, & gradu, & celebritate nominis Osius Episcopus Cordubæ in Hispania, & cum eo Victor, seu Vitus, atque Vincentius Romanæ Ecclesiæ Presbyteri. Loquuntur adhuc inter Nicæni concilij acta subscriptiones trecentorum decem, & octo Patrum, inter quas ea legitur prima, *Osius Episcopus Ciuitatis Cordubensis prouinciæ Hispaniæ dixit ita credo, sicut superiùs scriptum est*; cui immediatè secunda *Victor siue Vitus, & Vincentius Presbyteri Vrbis Romæ pro venerabili Viro Papa, & Episcopo nostro Syluestro subscripsimus*, moxque sequuntur reliquorum omnium Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum subscriptiones; *Vt quid igitur primus omnium ponitur Osius mediocris* (vt inqnit Baronius) Tom. 3. Anno 325. *Ecclesiæ in Hispania Episcopus primo loco, & ante Legatos Apostolicæ Sedis, ante Orientalium Sedium Patriarchalium Antistites, ante totius Africanæ Ecclesiæ Primatem, vt de alijs præstantissimarum Sedium Episcopis taceam, ipse in aliena prouincia, & celeberrimo omnium consessu subscripserit, nisi locum teneret, & personam repræsentaret amplissimæ omnium potestatis?* hæc totidem verbis Baronius. Potens quidem hoc subscriptionis argumentum; at longè potentius, quod ab infensissimo latinæ, & Romanæ Ecclesiæ hoste mutuabimur; Photius enim in Bibliotheca sua regerit libros Vol. 81. tres Gelasij Episcopi Cyziceni de rebus

rebus in Synodo Nicęna gestis, & ex ea refert Osium, Vitum, siue Victorem, & Vincentium Legatos Syluestri Romani Pontificis, ac demùm concludit, consentire Gelasij narrationem, cum Athanasio Magno, Theodoreto, alijsque plurimis, quo testimonio nullum luculentius; & quamuis *Socrates* referens verba *Eusebij* conuentum Nicænum subscribentis Osij nomen prætereat, idq; considerent, qui fidem eius Præsidentiæ eleuare contendunt, attamen defectum, & hiatum in verbis Eusebij detexit *Morinus*, & optima coniectura probauit; legimus enim apud Eusebium, referente *Socrate*, *ex ipsis Hispanis vnus nominis, & famæ celebritate insignis cum illis multis in consessu illo adfuit*. Hiatum, & defectum nominis supplet Morinus resumptis, & collatis Gelasij Cyziceni verbis; at nos obseruamus congruere maximè Eusebij intentioni omissum Osij nomen; describens enim Nicænum conuentum generaliter incedit, & Patres, & Episcopos singulos, ac eorum munera non recenset, sed generaliter nationes tantùm enumerat, ex quibus Episcopi euocati conuenerant oratorio potiùs, quam historico stylo, *Syros*, *Phœnices*, *Cilices*, *Arabes*, *Palæstinos*, *Aegyptios*, *Thebanos*, *Afros*, *Thraces*, *Macedones*, *Achæos*, *Epirotas, moxque ex ipsis Hispanijs &c.* Quid opus in hoc generali contextu nominare Osium? Nil minùs licet inde arguere, quàm non fuisse Legatum Apostolicæ Sedis, quia non nominatus ab Eusebio. Legatio Romani Pontificis in Osio fuit aliquantò fusiùs in primo hoc Nicæno Concilio confirmanda, tum quia exagitatur oppugnationibus, tum etiam, quia ab hoc fundamento faciliùs ad alia Concilia inferemus.

Hist. lib. 1. c. 5. Lib. 3. de Vita const. c. 7.

Lib. 1. Exercit. c. 20.

Nicænam Synodum sequitur Sardicensis, quæ fuit Nicenæ veluti appendix, euocata à Constante, & Constantio Constantini Magni filijs ex Prouincijs Orientis, & Occidentis, auctore, & excitante Iulio Primo Romano Pontifice, cuius literis euocatos fuisse Episcopos, vt Sardicam ad certam diem conuenirent indicat Socrates narrans Episcopos aliquos eò non profectos, quòd culpam in Iulium Summum Pontificem regererent, qui terminum nimis breuem statuisset. Huic Synodo præfuisse Osium Cordubensem, qui & Nicenæ præfuit, indubium est ex *Sozomeno*, ex allocutione Concilij Chalcedonensis ad Martianum, & ex *Baronio*, vnà cum duobus Presbyteris à Iulio Romano Pontifice specialiter missis Archidamo, & Philoxeno, vt testis est *D. Athanasius* Posita enim legatione, quam Osius in Nicæna Synodo summa cum laude obierat, ambigendum non est de secunda ijdem iniuncta in Sardicensi, quæ sine graui eius iniuria non potuisset in alium transferri. Pręsidet ergo Osius cum duobus alijs legatis, aut ex noua legatione commissa, aut ex veteri Nicæna, cuius splendore adhuc fulgebat, neque enim Apostolicę Sedis, immò ipsius Synodi, dignitas patiebatur, vt illustris legatio, quæ Patriarchis, ac Metropolitanis præesse debebat, iniungeretur duobus Presbyteris sine Episcopo, qui caput esset legationis. Hic igitur præsedit, vtcumq; legationis nomine non subscripserit, sicut nec in Nicæna subscripsit eo titulo, de quo non curabat, cum de re constaret.

Hist. lib. 3. c. 11.

Tom. 4. An. no 347.

Apol. 2.

Con-

Conſtantinopolitana Synodus eius nominis prima, & ſecunda generalis ex ſolis Orientalibus conſtans nullam habuit Apoſtolicæ Sedis legationem; cæterùm antecedente inſtructione Damaſi, & relatione facta ad Romanam Eccleſiam, & Synodum totius Occidentis, ſubſecutaque approbatione in Macedonij damnationem, & aliorum prauorum dogmatum deteſtationem Concilium per vniuerſam Eccleſiam Oecumenici titulum, & auctoritatem eſt adeptum; non eſt itaque cur de præſidentia Romani Pontificis in eo ſimus vlteriùs ſolliciti. Tertium generale Concilium fuit Epheſinum primum contra Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui Beatiſſimam Virginem Deiparam negauit, & ſolùm Chriſtiparam impiè aſſerebat; ſeparans enim duas in Chriſto perſonas diuinam, & humanam ſanctiſſimam eius Matrem genuiſſe dicebat humanam *non ita Diuinam tanquam ab humana* omninò ſeparatam. Hæc impia hæreſis ingentes turbas in Eccleſia excitare cœpit, prout huiuſce concilij hiſtoria apud *Baronium* exhibet. Cęleſtinus Romanus Pontifex, qui tunc præerat Eccleſiæ, certior factus Concilium multorum Epiſcoporum Romæ congregat, & in eo damnatur hæreſis Neſtorij; ipſi decem dies ſtatuuntur, intra quos reſipiſcere debeat, ſin ſecus Epiſcopatus ei adimitur, & à fidelium communione excluditur. Horum omnium executio Cyrillo Alexandrino committitur, qui concilium Alexandriæ conuocat, & in eo duodecim anathematiſmi efformantur, & deſtinantur quatuor Epiſcopi, qui perferant admonentes Neſtorium, vt eos recipiat, ac profiteatur. Repulit Neſtorius Epiſcopos, tranſmiſſa capita anathematizauit, & ſæuiſſimè fideles habere cæpit. Cum turbæ in dies augeſcerent, Theodoſius Senior, qui tunc imperabat, egit cum Cęleſtino Romano Pontifice, vt indiceretur generale Concilium vnicum tot malorum remedium. Adnuit Cœleſtinus, & cum eius conſenſu conuocatum eſt Epheſi concilium, in quo, & in toto hoc negotio Cœleſtinus vices ſuas Cyrillo commiſit, ſicque per Cyrillum concilio præſedit; probant apertè literæ eiuſdem Cæleſtini ad presbyteros, diaconos, Dei famulos, & catholicam plebem Conſtantinopolitanam, & ſcriptæ ad eumdem Cyrillum, Photius in libello de ſeptem ſynodis, *Theodorus Balſamo* ad Nomocanonem Photij. Nec legatione Pontificia functus eſt Cyrillus ſolus, verùm congregato iam concilio tres alios Cœleſtinus direxit, qui legatione fungerentur. Arcadium ſcilicet, & Proiectum Epiſcopos, & Philippum presbyterum, qui eius præſentiam ſupplerent, non reuocato tamen Cyrillo, cuius res non erat integra, cum iniunctam legationem iam aſſumpſiſſet, & exequi cœpiſſet, ex quo Neſtorium iam ſcripto monuerat. De Phrygio miſſo ad Cyrillum à Cœleſtino dictum ſupra, cum de mitra ageremus, indeque præeminentia Cyrilli ſupra alios tres legatos apparet. Hoc certum igitur, quod generali Concilio Epheſino primo præſedit Cœleſtinus Romanus Pontifex per legatos ſuos, ad differentiam alterius Epheſini Concilij ſecundi, quod à Patribus Epheſinum latrocinium appellatur, cui pręſidere niſus eſt Dioſcorus Alexandrinus, qui dolo, & vafritie agens

Tom. 5. Annal. Anno 430.

Baron. vbi ſup.

Tom. 1. Ep. Decretal. Sum. Pont. Cæleſtini. Ep. 4. Ep. 3. Tom. 2. Bibliot. Iur. Pont. vet. tit. 8. c. 1.

agens Legatos Apostolicæ Sedis à S. Leone Summo Pontifice elusit, prout historia eiusdem Concilj indicat hic non ingerenda. Successit demùm Chalcedonensem Concilium, quo quidquid contumeliæ fuerat illatum Apostolicæ Sedi fraude Dioscori Alexandrini in latrocinio Ephesino fuit purgatum, & expunctum; eius historia non est hic retexenda, cum fusissima sit, & de sola præsidentia Summi Pontificis simus solliciti. Nouæ igitur turbæ in Ecclesia Orientis ex Eutichetis hæresi, qui presbyter, & Archimandrita Monachorum Constantinopoli cum egregiè pugnasset contra hæresim Nestorij in Ephesino concilio, & summo odio in eam ferretur, eò demùm deuenit, vt non solùm negaret duas personas in Christo contra Nestorium, sed vlterius prætextu declinandi erroris Nestoriani ambas Christi naturas ita confunderet, vt in vnam mutua commistione coaluisse diceret. Delatus ad Constantinopolitanam Synodum, quam tunc habebat Flauianus eius Vrbis Episcopus, post plures tergiuersationes, cum pertinax in errore perstitisset, tandem Sacerdotio, & Monasterij præfectura mouetur; Plura inde sunt subsecuta, quæ in dies semper maiores fluctus excitarunt, & quæ singula recensere parùm ad intentum conferret, sed quod rei nostræ est, impetrauit demùm S. Leo Magnus à Martiano Theodosij successore, vt in tot malorum remedium Synodum generalem Chalcedone indiceret. Scripserat iam Marcianus, & Pulcheria Augusta eius vxor, desideriumque suum circa celebrandam Synodum significauerant hortantes insuper, vt in Orientem transiret, ac Synodum præsens celebraret; S. Leo, qui delatum sibi à Marciano circa Synodi auctoritatem iuxta canones videbat, renuit adesse Synodo in Oriente, prout vetus erat consuetudo, sed Legatos auctoritate sua instructos expediuit Paschasinum, & Lucentium Episcopos, & Bonifacium Presbyterum, qui sua vice Synodo præsiderent; sic enim exprimit in Epistola sua ad Synodum ipsam. *Tamen in his Fratribus Paschasino, & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere, non abiuncta à vobis præsentia mea, qui nunc in Vicarijs meis adsum, & iam dudum in fidei prædicatione non desum.* Ep.47. in princ. Quæ gesserint Præsides isti, quantusque fuerit Paschasini zelus pro fide, & pro dignitate Apostolicæ Sedis testantur ipsius acta Concilij, cui præsedisse Romanum Pontificem iure suo, & non ex concessione Marciani, vt cauillantur Nouatores, acta ipsa euidenter confirmant, non enim contulit Marcianus, sed conseruauit, *Beati Petri iure, atque honore seruato*, ait vbi supra *S. Leo*. Ep. 47. Demonstrata Romani Pontificis præsidentia in hisce quatuor generalibus Concilijs, quibus tanquam quatuor Euangelijs cultum, & fidem habendam statuit S. Gregorius, tutum est de reliquis iudicium, nam si quatuor alia generalia Concilia excurramus, Præsidem semper Romanum Pontificem intuebimur. Ad quintam enim Synodum, quæ fuit Constantinopolitana secunda, nulli directi Legati, cum Vigilius Summus Pontifex in Vrbe Constantino-

tinopolis esset, cum Concilium haberetur, nec interesse voluit more maiorum, sed ipsum potius constituto suo, quam presentia confirmauit, agnoscente nihilominus Eutichio Constantinopolitano Patriarcha in Vigilio Summo Pontifice ius præsidendi, si libuisset; in Epistola siquidem eiusdem *Eutichij* ad Vigilium hæc leguntur verba. *Petimus, præsidente nobis vestra beatitudine de tribus capitulis quæri, & conferri*; neque de causis huiusce conuocandæ Synodi, sicut nec trium aliarum agimus solam præsidentiam Romani Pontificis firmasse contenti. Sexta generalis Synodus fuit Constantinopolitana tertia, in qua Præsides fuerunt Legati Agathonis Romani Pontificis Petrus, & Gregorius Presbyteri, & Ioannes Diaconus, *Baronio* teste. Septimæ, quæ fuit Nicæna secunda, præfuere citra omnem controuersiam Legati Papæ Hadriani Primi, Petrus Archipresbyter, & Petrus Abbas S. Sabæ contra Iconomachos. *Baronius*.

In fine pr. Collat. V. Synodi.

Tom. 8. Annal. Anno 680.

Tom. 9. Annal. anno 786.

Octauum tandem Concilium generale, & Constantinopolitanum quartum in causa Photij Patriarchæ, qui fuit depositus, præsidentes habuit Summi Pontificis Legatos planè indubios Donatum, & Stephanum Episcopos, & Marinum Diaconum; & ex hac serie vetustissimum Ecclesiæ institutum euincitur, vt generalibus concilijs præsideat Summus Romanus Pontifex, idque seruatum in posterum per omne æuum.

Baron. tom. 10. Annal. anno 869.

Quid operetur Præsidentia Summi Pontificis in Comitijs, siue Concilijs, & de eius auctoritate, & effectibus, Excursus.

1 *Præsidentiæ Pontificiæ tres effectus, & quomodo cum summa Præsidentis auctoritate stet concilij libertas.*
2 *Consideratur Consularis auctoritas in Senatu Romano quòad ius relationis, eaque translata in Principem.*
3 *Applicatur apposite Summo Pontifici in Comitijs.*
4 *Praxis exhibetur, & obseruatio in Sardicensi Concilio, in Romano, & Ephesino, & Chalcedonensi.*
5 *Confirmatur ex quattuor alijs generalibus Concilijs.*

1 
VT propria est Romani Pontificis presidentia in Concilijs, & generalibus Ecclesiæ Comitijs, & vt ipsi debita tanquam Capiti totius Ecclesiæ supremo, ita haudminùs interest eam adhiberi, non enim sine virtute, eaque multiplici interuenit, ac proinde tres eius potiores enumerantur, & assignantur effectus, primus est præeminentia consessus; secundus ius proponendi ea, quæ discutienda, & pertractanda sunt, & rogandæ sententiæ. Tertius, isque omnium maximus, necessitas præsentiæ Pontificiæ

tificiæ siue per se, siue per Legatos suos, vel eius ratihabitio, & confirmatio, sine qua ex antiquorum Canonum Decreto Synodus generalis nec conuocari, nec haberi potest legitimè. Hæc tamen Summi Pontificis auctoritas in sacris Comitijs, vt commendabilis quidem est, ita in angustias redigere videtur ineuitabiles ipsam Comitiorum celebrationem; nam si demus Summam Pontificis auctoritatem, & gradui, quem gerit parem in censendo, ac determinando vix, imò nec vix quidem salua, & integra est suffragiorum, & Patrum libertas, quam in Concilijs adeò exoptant Cælestinus, & Leo Magnus Summi Pontifices. Si summam, & omnimodam suffragiorum libertatem velimus, inanis est, & ad solam speciem hæc præeminentia, ac præsidentia Summi Pontificis, sic enim videntur omnia paria fieri, & æqualia, eoque demùm adigimur, vt aut libertas Concilij, aut dignitas, & decus Pontificium in discrimen adducatur; occurritque perappositè illud Cn. Pisonis apud *Tacitum* Tiberium interrogantis; *Quo loco censebis Cesar? si primus, habebo, quod sequar; si post omnes, vereor, ne imprudens dissentiam*. Sicque vndique circumscripta inferiorum libertas. Verùm non adeò vrgent hæc extrema, quin per media incedere liceat, ac maiestate Capitis salua, integraque Patrum libertate possint celebrari Comitia. Conferri haud impropriè potest Summus Pontifex in Concilio cum Imperatore in Senatu, cum Rege in comitiis, quem vtrumque de salute Reipublicæ, & Regni ita statuere non ambigimus, vt summa vtriusque emineat auctoritas, & tamen Senatus, & comitiorum non minuatur libertas. Liceat ad lancem reuocare Romanum Senatum, & cum eo Oecuumenicum Concilium componere, vt inde emicet auctoritatis simul, & libertatis concursus.

Lib. 1. Ann. in fin.

Consulum in Romana Republica fuit maximè proprium ad Senatum referre; immò fuit hoc ipsum referendi munus pars non modica eximiæ consularis potestatis, vt eruditè ostendit *Barnab. Brissonius*, tantique censebatur, vt sine relatione non posset Senatusconsultum fieri de ea re, de qua ad relationem Consulis Senatus consulebatur; sic enim *Tacitus*. *Magno assensu celebrata sententia; non tamen Senatusconsultum perfici potuit, abnuentibus Consulibus ea de re relatam*. Quamuis enim *liceret patribus quoties ius dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere, relationemque in ea postulare*, idem Tacit. ait; attamen à Consulum arbitrio id dependebat; *Ius enim relationis solis Consulibus* (inquit Lipsius,) *nec sine relatione perfici potuit vllum Senatoconsultum*, & decuit sanè Consularem gradum hæc prærogatiua, quando in Consulatu partem Monarchicam Romanæ Reipublicæ agnouit, & assignauit Polybius, qua paulatim oppressa hoc ius relationis non fuit quidem Consulibus ademptum, sed sensim Principi quæsitum. Augusto enim post assumptam in perpetuum tribunitiam potestatem fuit ex decreto concessum, vt etiam si Consul non esset, de vnaquaque re pro sui libito, vnicam relationem facere posset, & gliscente in dies Principis auctoritate ampliata fuit concessio ad ius tertiæ, quartæ, & quintæ relationis; *Me interprete*

De formul. & solemn. Pop. Rom. Verb. lib. 2.

Lib. 15. Annal.

Lib. 13. Annal.

Ad lib. 15. Annal. n. 24.

Lib. 6. hist.

Ad lib. 15. Annal. tacit. n. 24. (inquit *Lipsius*) *quoties consules ipsi non essent, tres nihilominùs, quattuor, aut quinque relationes facere possent, qua de re cumque eis visum*; ne quis credat eadem de re toties referre datum; hinc in lege Regia, qua potestas summa in Vespasianum Principem translata *l. 1. ff. de constit. Princip.* & in fragmentis eius apud De Formul. lib. 2. *Brissonium, & Antonium Augustinum* hæc legimus; De legib. & Sen. c. in fine. *Vtique ei Senatum habere, relationem facere, remittere Senatus per relationem discessionemque facere liceat, ita vt licuit Diuo Aug. Tit. Iulio Cæsari. Aug. Ti. Claudio Cæsari Aug. Germanico.*

Vteumque autem Principes in Senatu consularem potestatem exercerent, adhuc nihilominùs ampliorem habebant, nam cum Consules post relationem factam rogarent sententias exordientes ab eo, qui Princeps Senatus dicebatur, & Senator primæ sententiæ, Senatum numerarent, iuberent diuidi sententias, si opus esset, & decretum pronuntiarent, Imperator, & Princeps post factam relationem censebat, hoc est sententiam suam proponebat, quo malet ordine, siue primo, siue postremo loco, cum Consules è contra non rogarentur sententiam nisi cum Princeps referret, at Princeps nulli alligatus formulæ vel primus, vel post omnes censebat ea auctoritate, vt etiam sententiam Senatus asperiorem posset mollire, si vellet; Lib. 3. Annal. *Multa ex ea sententia mitigata sunt à Principe* (inquit Tacit.) scribens de iudicio Pisonis in causa necati veneno Germanici. Vbi autem primus omnium censuisset Princeps ingens momentum præbebat eius sententia, Apologet. c. 5. idque acutè expressit *Tertullianus*, appellans *prærogatiuam suffragij*, dum commemorans quid de Christo sentiret Tiberius, ait, *Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in sæculum introiuit annuntiatum sibi ex Syria, Palæstina, quod illic veritatem illius Diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus, quia non in se probauerat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum*; quibus verbis descriptum intuemur ipsum relationis Principalis ritum, & eius auctoritatem, qua interueniente relatione, quæ vt plurimum per oratiouem fiebat recitatam in Senatu à Quæstore. Princeps, & Imperator dicebatur auctor fieri Senatui censendi id, quod decernebatur, vt tradit *Brissonius*, De formul. lib. 2. p. 168 & subsecuta inde Senatusconsulta dicebantur auctore Principe facta. *Vlp. in l. cum hic status, ff. de Donat. int. vir. & vxor. Imperator noster Antoninus Augustus antè excessum D. Seueri patris sui oratione in Senatu habita auctor fuit Senatui censendi*; & de molliendo rigore circa donationem inter virum, & vxorem loquitur; vnde si orationi in Senatu à Principe habitæ, & relationi cum suffragij prærogatiua consensus Senatus accessisset, decisionis auctoritas statuebatur; ideoque Principis ipsius Oratio non solam censendi facultatem habebat, sed etiam diffiniendi, dummodo Senatus consensus, & suffragia accessissent; sic enim res propositę decreto Senatus summa auctoritate terminantur, eòq; respiciens æuo suo Vlpianus rectè, & cum veritate enunciauit *in l. 9. ff. de legibus. Non ambigitur Senatum ius facere posse*; idque ipsum auctorita-

ritatis Senatui firmauit *Gratianus Imperator in l.Vn.C.de Senatuscon-sultis*. Vbi de noua lege condenda ageretur reliquit quidem Theodosius aliquod auctoritatis Senatui, & Palatij proceribus, sed eo addito; *Vt vniuersorum consensus nostræ Serenitatis auctoritate firmetur in l. Humanum, C. de legib.* Sed demùm Senatus auctoritatem summa
78. Principis potestas extinxit, & Leo Imperator Nouella sua Senatusconsulta in posterum fieri vetuit, *Tùm fortè Senatus etiam potestate translata in Principem* inquit *Cuiac.* sicq; dispuncta *leg.9.ff. de legib.* Habuit igitur Princeps, translata in ipsum per legem Regiam potestate, ius legum, & constitutionum condendarum separatim à Senatus Decreto; sed quoties vellet per orationem ad Senatum referre, & Senatum ipsum consulere, tunc Senatus summum ius in decernendo exercebat, & subsequente orationem Principis Senatus decreto, provt subsequebatur, auctore Principe factum Senatusconsultum dicebatur.

Ad tit. de Sen. con. in paratit. ad Cod.

Ab hoc statu Romani Senatus, tunc cum adhuc aliqua in ipso vegetabat libertas, & cum Principes potestatem suam, cum auctoritate eiusdem Senatus temperare studebant, tanquam à vestigio plantam adumbrare, Pontificem summum Ecclesiæ Caput Concilio generali à se conuocato per se, aut per Legatos suos præsidentem; & non imminutam eius potestatem, cum integra Concilij libertate conciliare nitimur. Comparationem exactam inter hæc adeò distantia non adstruimus, neq; Principem, ac Senatum Romanum in exemplar, aut normam assumimus, *sed inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt conspicienda* proponimus, neffabile, veluti balbutiendo, pro viribus exprimimus, & sublime, ac excelsum quasi per speculum in ęnigmate spectandum aliqualiter exhibemus; eo præsertim non omisso discrimine, quod Romani Principes languentis libertatis latenter moliebantur excidium, idque Senatus inter assentationis laqueos vix sentiebat, quod vtrumque & à Summo Ecclesiæ Capite, & ab Ecclesiasticis Comitijs respectiuè quàm longissimè abest. Præsidet igitur Summus Pontifex congregato iam Concilio siue per se, siue per Legatos suos, ac præter eximium quid, ac Diuinum, quod in Patrum consessum tanquam caput influit in corpus, qua de re exactè, cum de conciliorum auctoritate agemus, Primatum cum suffragij prærogatiua habet, & cum relationis iure, vt scilicet auctor fiat omnium, quæ in Synodo sunt pertractanda, ac diffinienda, sicque ex parte Pontificis sit auctoritas, ex parte Concilij consensus; non quod penès Caput Ecclesiæ non sit plena legis condendæ, & constitutionis faciendæ potestas sine vllo Comitiorum consulto, sed quod semper, ac comitia habenda decernit, per relationem ipsius supremi Capitis ea consulantur; ac eodem auspice, & auctore proposita sibi determinent; id ratio Capitis, atque supremi omninò exposcit, id quietus consessus ordo, aliàs enim nisi tumultus, & turbæ, si omnes proponant, omnes referant; hanc Pontificis, & Romanæ Sedis prærogatiuam, suffragii scilicet & relationis, à vetustissimis Ecclesiæ temporibus agnitam testantur *Socrates, & Sozomenus*. Collegerant Eusebiani Concilium Antiochiæ colore

Ad Rom. c. 1

Ad Corint. c. 13.

Hist. lib. 2. c. 5.

Lib. 3. c. 9.

lore Ecclesiæ dedicandæ, cuius posuerat fundamenta Constantinus Magnus, & Constantius eius filius perfecerat, at re vera, *vt fidem consubstantialis euerterent* inquit Socrates. Non adfuit huic Concilio Maximus Hierosolymorum Episcopus veritus, si accessisset, ne compelleretur in Athanasij, abdicationem subscribere; immò nec Iulius Romanus Episcopus aderat, vel alius eius nomine; moxque subdit Socrates. *Idque cum Canon Ecclesiasticus iubeat, non oportere absque sententia Episcopi Romani decreta Ecclesijs sancire*. Acrius adhuc in eodem sensu *Sozomenus* eundem Antiochenum conuentum enarrans, scripsisse ait Iulium Romanum Pontificem ad Episcopos Antiochiæ congregatos, incusantem, quod contra fidem Nicæni Concilii noua moliti fuerant, *Quodque contra leges Ecclesiæ* (inquit Sozomenus) *ipsum ad Concilium non vocarant. Nam legem esse ad Sacerdotij dignitatem spectantem, quæ pronunciat acta illa irrita esse, quę præter sententiam Episcopi Romani constituuntur*; lubet adscribere verba Epistolæ, quam scripsit Iulius Romanus Pontifex, & quam commemorat *Sozomenus*. Alloquitur Iulius Episcopos, qui Antiochiæ iam conuenerant. *An ignari estis, hanc consuetudinem esse, vt primùm nobis scribatur, vt hinc quod iustum est definiri possit? quapropter si isthic huiusmodi suspicio concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri potuit*. Non tolli autem, aut minui per hanc Apostolicæ Sedis prærogatiuam Synodi libertatem testatur idem Iulius paucis ante dicta verbis in eadem Epistola alludens, ac respiciens ad Athanasij negotium: *Nàm si vt dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportuit secundùm Canonem, & non isto modo Iudicium fieri, oportuit scribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iustum esset decerneretur*. Debuit igitur scribi ad Romanum Episcopum, & Synodum Occidentalem, vt coniuncto Occidentalium, cum Orientalium decreto, quæ iusta sunt statuerentur; en saluam Episcoporum, & Conciliorum libertatem cum Romanæ Sedis prærogatiua tam suffragij, quàm relationis, quam vtramque supra allegata confirmant; & si inquiratur curiosiùs, quis sit Canon, quæ lex, quam aduocant in fundamentum Socrates, Sozomenus, & Iulius prærogatiuæ Apostolicæ Sedis, aliam sanè credere, aut imaginari non possumus, quàm celebrem illum Canonem sextum Nicænum, quo firmatur Primatus Romanæ super omnes alias Patriarchales Sedes, quem Canonem sextum sic acceperunt Concilium Constantinopolitanum primum, quod fuit generale secundum *Can.* 3. & Chalcedonense *Action.* 16. Prolatis enim ibi, *Can.* 4. Nicæno, & *Can.* 3. Constantinopolitano, Cognitores, siue Iudices in ea verba loquuntur. *Ex his, quæ gesta sunt, vel ab vnoquoque deposita, perpendimus omnem quidem primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ Deo Amantissimo Archiepiscopo deberi*, & ideò in eadem actione Chalcedonensi XVI. Paschasinus Apostolicæ Sedis Vicarius, & Legatus sextum Nicænum Cenonem allegaturus eius summam præmisit intentionem Canonis indicantem ita conceptam,

Quod

Lib. 3. c. 9.

Tom. 1. Ep. decretal. p. 1. Ep. 1. Iul. pag. 17.

Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum.

4 Relationis, & suffragij prærogatiua (& notandum, quod non suffragium intelligimus, sed suffragij prærogatiuam cum Tertulliano) sic fundata, & ostensa praxim, & obseruantiam spectandam exhibemus in peruetusto Sardicensi Concilio, quod, vt aliàs notauimus, fuit veluti appendix quædam Nicæni, & ipsi coæuum. Intueri in eo est Præsidentem Iulium Romanum Pontificem in Osio Cordubensi Episcopo, qui & Nicæno nomine Syluestri præsederat, Osium referentem, rogantem Patrum sententias, Patresque ipsos vnanimes in eius sententiam euntes; proposuerunt quidem Gaudentius, Ianuarius, & Aetius tres, vel quattuor Canones, at illæsa Præsidis auctoritate, vt vel ex ipsa loquendi forma colligere licet, & indicat Canon vltimus, quò ad alterius suggestionem præses proponit; ait enim Canon; *Osius Episcopus dixit suggerente fratre, & Coepiscopo nostro Olympio, etiam hoc placuit, vt si quis vim perpessus est, &c.* Hanc ipsam primæ Sedis prærogatiuam asseruit, & Romanum Concilium, eleuare enim intendens auctoritatem Ariminensis Synodi, eam præcipuè memorat causam scribens ad Illyricos Episcopos; *Siquidem numerus Episcoporum, qui erant Arimini congregati in vnum, præiudicij vim habere non debet, præsertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque Vicentio, neque alijs eidem consentientibus, &c.* Prostat Epistola apud *Theodoretum*, quæ sanè lo- Hist. lib. 2. c.22.

quendi forma non simplex suffragium, sed aliquid amplius, auctoritatem scilicet cum suffragio indicat. Emicat hæc ipsa in Ephesino generali Concilio, cui præsedisse iam supra indicauimus Cælestinum Romanum Pontificem per Cyrillum Alexandrinum; damnauerat Cælestinus in Concilio Romano Nestorium, & eius hæresim, ab Ecclesia ipsum eliminans, nisi intra dies decem resipisceret, executionem Cyrillo demandans, qui Concilium in Aegypto colligit, anathematismos condit à Nestorio approbandos comminans excomunicationem iuxta Cælestini literas. Cogitur demùm Synodus generalis Ephesina, in qua recitatis Cælestini, & Cyrilli literis ad Nestorium vt electis aliquot sententijs ex antiquorum Patrum operibus, conuicta fuit Nestorii impietas, & approbata omnium consensu sincera fides Cælestini, & Cyrilli, & tota damnationis auctoritas in Cælestinum refertur, nam Patres illi profitentur expresè sacris Canonibus se coactos, & simul Cælestini Epistola ad eam ferendam sententiam, perinde ac si Cælestinum dicant damnandi Nestorii auctorem Epistola sua. *Coacti per Sacros Canones* (inquiunt *Patres Ephesini*) *& Epistolam Sanctissimi Patris nostri, & Comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi lacrimis subinde perfusi ad lugubrem hanc sententiam necessariò venimus.* Ea Ephes. in Conc. act. 1. siquidem est Romani Pontificis auctoritas, vt parendi necessitatem inferat vbi discussione, & examine à Patribus habito Sacris Canonibus, & traditioni maiorum appareat conformis; coactos se profitentur Patres; at non certè aliunde, quam à

rela-

relatione nomine Cælestini per eius Epistolam facta, cuius prærogatiua suffragij à præsidentia, quam gerit, inducitur, quæ suauem nescioquam vim ijsdem Patribus infert.

Spectamus hanc ipsam, & in celebri Chalcedonensi Concilio, cui præsedisse Sanctum Leonem Magnum supra ostensum, & in eo quidquid gestum eodem Sancto Leone auctore gestum firmant apertè Marciani Augusti verba in Epistola, quam pro Concilij conuocatione dedit ad eumdem *Leonem* Romanum Pontificem. *Si verò hoc onerosum est, vt ad has partes aduenias hoc ipsum nobis proprijs literis tua sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum Sacræ nostræ literæ dirigantur, vt ad quendam definitum locum, vbi nobis placuerit omnes Sanctissimi Episcopi debeant conuenire, quod Christianorum Religioni, atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas diffiniuerit, sua dispositione declarent.* Inter præliminn. Epist. Conc. Chalced. Apertiùs ad rem Pulcheria Augusta ad eundem Sanctissimum Pontificem, & breuiùs, *Facto Concilio, & de Catholica confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides, & Christiana Pietas exigit* TE AVCTORE *decernant.* Inter prælimin. vbi sup. Obseruatione digna sunt postrema illa Marciani verba. *Sicut sanctitas tua secundùm Canonicas regulas diffiniuerit, sua dispositione declarent.* Cœco pede non incedebant in Concilio Patres, vtcumque Summi Capitis auctoritas præiret; at sollicitè examinabant, an quæ proponerentur Canonum, & Patrum doctrinæ, & antiquis traditionibus responderent, hæc enim omnia erant rectæ fidei amussis, & regula, cui, vbi doctrina congrueret, robur ea dupliciter consequebatur, definitione Summi Pontificis, & Synodi declaratione, sic enim conciliantur, & supremi auctoritas, & inferiorum libertas; quod innuit idem *Sanctus Leo Magnus* scribens ad Theodoretum Episcopum. Ep. 63. in princ. *Ipsa enim veritas, & clariùs renitescit, & fortiùs retinetur, dum, quæ fides priùs docuerit, hæc postea examinatio confirmarit.* Stat igitur cum decisis circa fidem, & à fide discussio; *multum enim Sacerdotalis offitij meritum splendescit, vbi sic summorum seruatur auctoritas, vt in nullo inferiorum putetur imminuta libertas:* & en mirum conciliationis nexum, quem indicant Marciani verba. Præiuit igitur (ad rem redeundo) Sanctus Leo Magnus Chalcedonensi Concilio per relationem, ex qua, & suffragij prærogatiuam licet intueri tum in ijs quæ spectant ad fidem, tum in his, quæ respiciunt Ecclesiasticam disciplinam, dum scribens ad Synodum ipsam, quid sit contra Euthychianam hæresim sentiendum se per litteras suas scriptas ad *Flauianum Episcopum* iam satis indicasse Ep. 5. Leonis 47. contestatur, ac restituendos sedibus suis Episcopos nonnullos, qui pulsi ex eo fuerant, quod hæresim admittere noluissent, cæterisquè, si errorem desererent, seruandum decernit, vtrumque tum fidei, tum disciplinę caput continet Epistola, cuius potiora ad rem vtramque excribemus verba. *Vnde fratres charissimi, reiecta penitùs disputandi audacia contra fidem diuinitùs inspiratam vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi, quod non*

liceat

liceat credi, cum secundùm euangelicas auctoritates, secundùm propheticas voces, Apostolicamque Doctrinam plenissimè, ac lucidissimè per literas, quas ad beatæ memoriæ Flauianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis Domini nostri Iesu Christi pia, & sincera confessio. Hoc fidei caput; mox ibidem aliud de disciplina; *Quia verò non ignoramus ob prauam æmulationem multarum Ecclesiarum statum fuisse turbatum, plurimosque Episcopos, quia hęresim non receperint, sedibus suis pulsos, & in exilia deportatos, ac in locum superstitum alios substitutos, vulneribus his primitùs adhibeatur medicina iustitiæ, nec quisquam ita careat proprijs, vt alter vtatur alienis; cum si (vt cupimus) errorem omnes relinquunt, nemini quidem perire honor debeat, sed illis, qui pro fide laborauerunt, cum omni priuilegio oporteat ius proprium reformari.*

Actione igitur secunda relectum est Symbolum Nicænum, & postea Constantinopolitanum, Epistola Cyrilli in Ephesina Synodo confirmata, & demùm memorata supra Epistola Sancti Leonis ad Flauianum, quam supprimi dolosè in Ephesina alia Synodo fecerat Dioscorus Alexandrinus, & tunc acclamatum ab omnibus Episcopis. *Hanc esse Apostolorum, & Patrum fidem, se omnes ita credere, Petrum per Leonem locutum, Dioscorum Ephesi hanc Epistolam occultasse*; & cætera huiusmodi provt in fine eiusdem actionis tertiæ leguntur. Vnum obseruabile valde est, quod lecta Leonis Epistola, dubitarunt de aliquibus Illyriciani, & Palæstini Episcopi, & quamuis Archidiaconus Constantinopolitanus eos instruere studeret, attamen petitæ, & concessę fuerunt induciæ, vt dubitantes exactiùs ab electis nonnullis Episcopis, qui iam Epistolæ subscripserant, sisterentur & ingeminatæ sunt acclamationes.

Quod quidem confirmat id, quod à nobis iam supra dictum, proposita scilicet in Synodis examinari consueuisse, & præuia collatione cum expositione, & doctrina Sanctorum Patrum approbari. Acclamationes, quæ leguntur in fine eiusdem actionis secundæ sub oculos exhibent, agnouisse Patres illos in Leone Summo Ponrifice ius relationis, & suffragij prærogatiuam, & vtrumque expressere in Synodica sua ab eumdem Leonem Epistola, qua gestorum confirmationem petiere; hanc enim *Leonis* auctoritatem, tanquam normam rerum à se gestarum, profitentur se esse secutos in rebus fidei. *Habetur in fine Act. 3. Syn. Chalcedon.*

Nec minùs in eadem Synodo, vbi actum de disciplina, præiuit Summi Pontificis auctoritas per legatos suos, qui auctorem gerendorum per mandata sua Leonem asserunt, & protestantur. Alloquitur enim Paschasinus Vicarius Apostolicæ Sedis Concilium vniuersum, & Patres in ea verba. *Beatissimi, & Apostolici Viri Papæ Vrbis Romæ, quæ est Caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus prę manibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur; hoc nos obseruare necesse est; si igitur præcipit vestra magnificentia, aut ille*

egrediatur, aut nos exibimus. Reluctari visi sunt Iudices asperam nimis dicentes Dioscori conditionem; sed demùm, vrgentibus legatis mandata Leonis, statuerunt considere Dioscorum in medio consessu inter reos, & ex opposito restituitur Theodoretus, qui à Dioscoro in Synodo Ephesina secunda fuerat deiectus, quia Summus Pontifex locum suum ei restituerat. Inde actione tertia instituitur iudicium aduersus ipsum; iubent legati recitari libellos porrectos contra Dioscorum, tribus edictis eius euocari contumaciam, & comparere detrectantem condemnant, præeuntibus in sententia ferenda Legatis, & subsequente Synodi consensu adeò, vt ex auctoritate, & Pontificis, & Synodi facta fuerit damnatio. Prostat actione 3. vniuersa iudicij series, ex qua illud maximè attendimus, iudicium fuisse conceptum à Paschasino, & reliquis legatis sub nomine Leonis Magni, consentit statim vniuersa Synodus tanquam in Leonis sententiam, & iudicium scribunt singuli Patres eadem omnino forma, & emicat Primatus iure Pontficis auctoritas, & Concilij consensus; inde acclamationes illæ à Patribus in Synodis, & præsertim in hac ipsa Chalcedonensi Leoni Pontifici à veteri Romani Senatus more petitæ, quo, & ab instituto acclamandi Principibus in theatro, migrauit idipsum & in Senatum. De hoc acclamandi ritu in Catholicis Synodis, & eius suaui, artificiosa quasi modulatione *Bernardinus Ferrarius*, ad quem remittimus.

De acclam. & plausu lib. 5. c. 12. & seqq.

5 Quam Summi Pontificis prę sidentiam cum relationis iure, & suffragij prærogatiua spectandam præbuere quattuor hæc generalia Concilia, quæ typus dici possunt, & exemplar omnium, quotquot gesta sunt, in Ecclesia, hanc ipsam, & subsequentia quattuor confirmant; quintæ enim Constantinopolitanæ secundæ, quamuis non præsederit Vigilius, qui tunc Constantinopoli erat, & interesse renuerit, vtcumque rogatus, & inuitatus & à Synodo, & ad ipso Impetatore, pollicitus tantùm se sententiam suam seorsim à Concilio Principi exhibiturum, celebrato Concilio constituto suo confirmauit Synodi definitionem, quæ ex tunc œcumenicæ titulum est adepta: Relatio Summi Poniificis, aut legatorum eius cum suffragij prærogatiua hic considerari non potest, at existimatio Apostolicæ Sedis, & quanti facta eius auctoritas, ex ea, & in ea apparet.

Sexta Synodo Constantinopolitana tertia, eaque contra Monothelitas, pręsentia Romani Pontificis per legatos suos, relatio cum suffragii prærogatiua spectatur; eius enim sententiæ deferunt Patres, ipsique se planè pro veritate subijciunt; singularia sunt verba, nec sanè omittenda Demetrij Prusiades Episcopi. *Suggestiones directas à Patre nostro Agathone Sanctissimo Archiepiscopo Apostolicę, & principalis Sedis antiquæ Romæ tanquam ex Spiritu Sancto dictatas, ac Beatissimi Principis Apostolorum Petri, prædico, & digito ter Beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio, & amplector*; & actione 10. facta est coram Synodo collatio exactissima locorum, siue auctoritatum Sanctorum Patrum, quæ extabant collectæ in codicillo transmisso ab Agathone Papa, cum libris, & exemplaribus

Act. 8.

Con-

Constantinopolitani Patriarchij, & conuenire in omnibus apparuit. Appositè ad ea, quæ iam supra latiùs tetigimus de Synodi examine non quidem auctoritatis vi, sed potiùs instructionis studio, vt omnibus præcognitis Patres consentirent, & vt cum auctoritate Summi Capitis conciliaretur confidentium Patrum libertas.

Nec minùs in septima Synodo generali, quæ dicta Nicæna secunda habita pro asserendo sacrarum Imaginum cultu, qui conciliabulo conuocato à Constantino Copronymo impio Imperatore fuerat subuersus. Præsedit per legatos suos Hadrianus Romanus Pontifex, cuius prolatæ, & lectæ litteræ ad Constantinum Imperatorem, & Tharasium Constantinopolitanum Patriarcham; subinde legati suffragij prærogatiuam Apostolicæ Sedi seruare studentes, sententiam Tharasij rogant, vt legimus Actione II. in ea verba. *Petrus, & Petrus pijssimi Presbyteri, & locum tenentes Sanctissimi Papæ veteris Romæ Hadriani dixerunt, dicat nobis beatissimus Patriarcha Regiæ Vrbis Tharasius, consentitne literis Sanctissimi Papæ veteris Romæ? an minus*; fusè omnia approbans respondet Tharasius, & potiora sunt hæc eius verba, *Ob id & nos Patrum præceptis imbuti sic confessi sumus, confitemur, & confitebimur, concordamus, & vim lectarum literarum confirmamus. Sancta Synodus dixit; vniuersa Sancta Synodus sic credit, & sic docet.* En prçeuntem suffragio suo Hadrianum tanquam normam, & regulam aliorum, nec contenti Legati repetunt adhuc de suffragij prærogatiua solliciti. *Dicat nobis Sacra Synodus, num recipiat Sanctissimi Papæ veteris Romæ literas, an minus? Sancta Synodus respondit sequimur, recipimus, & probamus.*

Hac declaratione contenti Legati in reliquis articulis permisere omnia geri à Tharasio Patriarcha tanquam græcæ linguę peritissimo gaudentes ipsi sola consessus prçeminentia, quod munus suscepit Tharasius Legatorum, ac totius Synodi mandato, vnde nec, vel minimùm, imminuta Legatorum præeminentia. Quæ demùm haud minùs custodita, & in octaua generali Synodo, quæ fuit Constantinopolitana quarta celebris ob causam, quæ in ea agitata, & decisa fuit; Historiam eius non retexemus, sat fuerit dixisse, Ignatij Sanctissimi Constantinopolitani Patriarchæ, & natalibus regijs orti expulsionem fuisse tractatam, & examinatam intrusionem Photij in eundem Patriarchatum. Photius doctrina celebris, at ambitionis immensæ, veterator, ingenij ad omnia versatilis, & demùm schismatis memorandi in Ecclesia auctor; expulso igitur Ignatio intrusus fuit Photius, & hoc iterum expulso à Basilio Imperatore restitutus Ignatius, cumque Ecclesia grauissimis turbis agitaretur resurgente iterum Iconomachorum hæresi, Basilius de congreganda in remedium Synodo cogitauit, missique Legati Romam tum Basilij, tum etiam Ignatij nomine, quos remisit Hadrianus II. Summus Pontifex adiectis Legatis suis à latere, quos mittendos iam destinauerat Nicolaus eius prædecessor, qui fuere Donatus Ostiensis Episcopus, & Marinus S.R.E. Diaconus, associato ijsdem Stephano Baron. An. 869.

Episcopo Nepesino; literas eis dedit cum ad Basilium Imperatorem, tum ad Ignatium Patriarcham, quibus confirmabat quidquid gestum esset in expulsione Photij, & restitutione Ignatij, hortabaturque ad conuocandam Synodum œcumenicam, in qua præsidentibus Apostolicæ Sedis Legatis prospiceretur lapsis, qui scelestissimo Photio communicassent, & consuleretur fluctuanti Ecclesiæ Orientali: aduentantes Legati Constantinopolim excepti cum ingenti lætitia, & plausu, & ijs procurantibus congregata çcumenica Synodus in templo S. Sophiæ, in qua præsidentibus Apostolicæ Sedis Legatis actione prima post alia lecta iussus est recitari libellus à Nicolao Summo Pontifice olim compositus & ab Hadriano ijsdem Legatis suis traditus, cui tenerentur subscribere quicumq; ex schismaticis Photij cultoribus recipi in Catholicæ Ecclesiæ communionem vellent, quo continebatur approbatio immaculatæ fidei Apostolicæ Romanæ Sedis, & subinde anathematizatio, & detestatio omnium hæresum, & præsertim Iconomachorum, nec non Photij alienæ Sedis inuasoris. Lecto libello, fuit idem vnanimitèr omnium voce laudatus, & approbatus; qnicumque Episcopi lapsi Photio communicauerant restituti libello subscripsere ipsum approbantes, & qui non approbarunt repulsi; & en in libello Romano suffragii prærogatiuam Romani Pontificis cum in rebus fidei, tum disciplinç.

Hæcque Romani Pontificis auctoritas ex Epistola Hadriani Secundi ad Ignatium maximè emicuit, ea enim admonet, conciliabula in Vrbe Regia habita à Photio aduersus Nicolaum, & Ignatinm reuocata in irritum fuisse decreto Romanæ Synodi, decretumque ipsum in Synodo çcumenica subscriptionibus omnium Episcoporum roborari, & in archiuium omnium Ecclesiarum reponi. Recitatis literis legati Romanæ Sedis consensum Synodi stipulantur, composita ita interrogatione, quæ partes Pontificis, & Concilii simul ostendat, hoc est definiendi auctoritate Pontifici data, Synodo verò declarandi, an res diffinitæ cum Canonibus consentirent, hec leguntur in Synodo ipsa. *Et post lectionem Epistolæ Sanctissimi Vicarij senioris Romæ dixerunt. Est Canonicè, & Synodicè acta Epistola hæc? Sancta, & vniuersalis Synodus dixit. Canonica, & ordinata, & plena Iustitiæ Epistola est, quæ lecta est, Sanctissimi Papæ Hadriani*; & demùm per subsequentes actiones, omnibus in examen deductis cum plena causæ cognitione conspirantibus omnium votis, Photioque ipso comparente, & hçc Synodus Romanorum Pontificum diffinitionem complexa, suo quoque iudicio eam firmauit, indeque vniuersalis dicta ex conspirante omnium consensu; impensiori aliquantò consideratione visa est notanda hæc octaua Synodus, qua compresso schismatis auctore, eoque depresso, & Præsidentia Romani Pontificis, & ius relationis iuncta suffragii prærogatiua notabiliter apparuit, in quorum omnium gratiam iterùm hæc Synodorum octo generalium collatio facienda visa est, cum sint typus, & exemplar omnium aliorum, quæ postica successiuè in Ecclesia pro vario rerum vsu celebratæ, quas etiam imitata est nouissima generalis Tridenti-

Act. 3. Synod. 8. apud Anast.

denti-

dentina Synodus, cui præfedit Romanus Pontifex per Legatos fuos, & ius relationis, ac fuffragij prærogatiua agnita, & delata per claufulam illam adhibitam *Proponentibus Legatis*, quæ quò exactius examinata, ac difcuffa, eò altiori deliberatione probata, & admiffa. Præfidentiæ igitur Pontificiæ virtute, ac efficacia fic per excurfum oftenfa, iam ad præfidentiam ipfam profequendam redimus.

Reditur ad Præfidentiam vbi de Imperiali agitur.

1 *Præfidet Pontifex, præfidet Imperator, fed fine, auctoritate, & intentione diuerfa; idque actis, & auctoritatibus confirmatur, &, fi quę contraria, foluuntur, & præcipuè de confirmatione, quam præbuerint, aut præbeant Imperatores Concilijs.*

2 *Caufæ, propter quas funt celebranda Concilia.*



PRAESIDET igitur Romanus Pontifex generalibus Ecclefiæ Comitijs tanquam fupremum, & vnicum Caput excluſiuè quoad alium quemcumque, fi auctoritatem, & intentionem fpectemus; nam si rem attendamus, negare non poffumus, quin præfederit generalibus Comitijs & Imperator, præfecti ab eodem Comites, Cognitores, & Iudices, fed intentione, & auctoritate planè diuerfa; præfedit enim, & præfidet (vt iam diximus) Pontifex per fe, vel per Legatos fuos tanquam caput membris, in quæ vitam, motum, & operationem, intimamque virtutem influit;at Imperator tanquam corona capiti, tanquam temporibus fertum, quæ quidem decus, & maieftatem præbent, at in intima, atque vitalia, tanquam planè extrinfeca, non operantur, aut influunt.

1 A iure conuocandi Synodum ad præfidendi auctoritatem arguere rationabiliter licet; quæ igitur rationes negandam Imperatori oftenderunt fupra Synodi generalis conuocationem tanquam iure fuo factam, eædem nec concedendum ius præfidendi euincunt, ideòque nec repetendæ. Quam autem habeat, aut exercuerit vnquam in generalibus Concilijs Imperator preæminentiam, quaue intentione ijfdem interfuerit, coniectari aliunde non licet meliùs, quàm ex apertiffimis Magni Conftantini verbis, qui primus primæ etiam magnæ Nicænæ Synodo interfuit; is enim ea humilitate Concilium iam coactum eft ingreffus, eaque reuerentia, vt planè ad aliena ingredi videretur; priùs non fedit, quàm annuerint Epifcopi, & in fede, aurea quidem, fed demiffiori, faffus, *Ruffino* tefte, fe Epifcopis inferiorem, ac iudicatum potius, quàm Iudicem. Peracto Concilio encyclicam Epiftolam fcripfit omnibus Ecclefijs, cuius verbis quid fentiat de conciliaribus decretis, & an fint profecta ab humana, & Imperiali auctoritate, apertè indicat. *Quæ cum ita fe habeant, liben-* Hift.lib.10. c.1.

bentibus animis hoc decretum tanquam donum Dei, & mandatum re vera cælitus demissum amplexamini, nam quidquid in Sacris Episcoporum Concilijs decernitur id vniuersum Diuinæ Voluntati debet attribui. Hæc quidem apud *Eusebium*. Constantini intentionem Synodo præsentis agnouit imitator Martianus Augustus, qui & Chalcedonensi Concilio interfuit, ac in allocutione sua ita eam expressit. *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam exemplo Religiosi Principis Constantini Synodo interesse voluimus, vt inuenta veritate non vltra multitudo prauis doctrinis attracta discordet*. Nil longiùs ab hisce verbis, quàm præsidentia, quam auctoritas; quæ demùm sint parte Imperatoris in Synodo recenset ex *Eusebio Baronius*, *Attentè audire, studere paci, fauere veritati, fouere concordiam, tumultus comprimere, discrepantes à veritate ad rectæ fidei semitam reuocare, & in omnibus de fide Catholica benè mereri, non autem ferre suffragium, vel causam sententia definire, vel quampiam ad eam rem pertinentem inconsultis Patribus legem ferre*. Quod si non vltra hosce limites sibi quidquam arrogarunt in Concilijs Summi Principes, nec vltrà ijs tribuisse credendum, quos vice sua Synodo adesse iubebant, quosque Iudices Cognitores appellant passim Synodorum acta, *Et ita nominare consueuit antiquitas* (scribit *Baronius*) *Iudices sæculares, quorum arbitrio cuncta legitimo seruato ordine tractarentur*, & præcisè de Marcellino Comite, qui mandato Honorij præfuit collationi, quam Chartagini habuere Episcopi Catholici cum Donatistis, *Sed illud aduerte* (inquit *Baronius*) *eundem Marcellinum in collatione illa non simpliciter Iudicis, sed cognitoris nomen præsetulisse, laicis enim haud concessum fuit in causis Ecclesiasticis Iudicem agere*. Notio iurisdictionem excludit, & qui apud Romanos notionem habebant, omni iurisdictione destituebantur, vt notauit *Anton. Gouean.* ideò partes cognitorum in Concilio recensens *Baronius* mox subdit. *Agere, quæ ad pacem, ac quietum congressum pertinent, curareque, ne quid tumultuariè, vel inordinatè inter conferentes mutuò Episcopos ageretur, neue quid per vim, dolumue malum ab altera partium moliretur, vtque in omnibus pacta conuenta sarta tecta conseruarentur. In quibus ritè disponendis eidem interloquendi facultas esset, nec quidem pro animi arbitrio, sed quod ipsa iustitia postulasset, atque demùm cuius alterutrius partis potiora iura essent pronunciare*; quæ quidem partes meri facti sunt omni nudatæ iurisdictione. Lubet praxim adijcere, quam luculentissimam exhibet mandatum, quo Imperator Theodosius Candidianum Comitem ad Synodum Ephesinam direxit, & quod Theodosius ipse in Epistola sua ad Synodum regerit. Verba Epistolæ subdimus provt extensa apud *Baronum*, & eo lubentiùs, quò non defuit, qui *Suauiter* assereret Candidianum tanquam Præsidem Ephesinæ Synodo interfuisse,

Igitur Candidianum præclarissimum, religiosissimorum domesticorum Comitem ad hanc sacram vestram Synodum abire iussimus, sed ea lege, & conditione, vt cum quæ-

De Vita Constantin. lib. 3. c. 18.

Act. 4.

Tom. III. Annal. ann. 235.

Tom. 6. anno 451.

Tom. 5. an. no 411.

Lib. 1. de iurisd. in princ. n. 4.

Tom. 5. anno 443.

quæstionibus, & controuersijs, quæ circa fidei dogmata incidunt nihil quidpiam commune habeat, nefas est enim, qui Sanctissimorum Episcoporum Catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotijs, & consultationibus se immiscere, verùm, vt Monachos, & sæculares, & cæteros denique omnes, qui huius spectaculi causa, vel eò nunc confluxerunt, vel imposterum fortè confluent, ab eadem illa ciuitate omnibus modis submoueat; & paucis interiectis; *tum rursus, vt diligenter prospiciat, ne qua grauior dissensio ex mutuo repugnandi studio coorta, & sæuæ tempestatis instar debachata Santissimæ Synodo vestræ consultationem, exactioremq; veritatis indagationem quouis modo obturbet; tum denique, quò operam det sedulam, vt omnibus, & singulis, quæ dicuntur ritè perceptis, singuli inoffensè, quod visum fuerit, refutare queant, quò ea tandem ratione, vbi per singulas propositiones, exceptionesque inquisitio citra vllam omninò turbam, contentionemq; habita fuerit, quod omnibus placitum, probatumque erit, communi vestræ Sanctitatis sententia constituatur, decernaturque*. Prosequitur vltra Theodosius enumerare Cognitoris partes, indèque intueri licet, quàm longè absit ab auctoritatiua, vel iurisdictionali præsidentia siue Imperatoris, siue Missorum eius præsentia in generalibus Ecclesiæ Comitijs, quibus intersunt non quidem vt Iudices, sed vt ij, quorum est tueri comunem fidem edictis, legibus, & (si res exigat) gladio. Sunt istæ partes, quas in Synodis Episcoporum gesserunt Imperatores, siue Cognitores ab ipsis missi eorum nomine, à quibus, & Catholicè nonnulli sentientes nihilominus præsidentiam omnimodam eorundem arguerunt, & qualem in Pontifice agnoscimus, ac profitemnr; quam verè; testantur iam dicta, quæ auctoritatem quidem disponendi recto ordine cuncta ad pacem, & tranquilitatem tuendam, & diffiniendi, si quæ inuoluta inter Patres, aut contentiosa emergerent, indicant, at veram capitis potestatem, & vim neutiquam. Intueri quidem licet in veterum Synodorum actis suspendentem Imperatorem sententiæ in iudicio Ecclesiastico latæ executionem; sic enim damnato impio Nestorio à Cælestino in Synodo Romana, & à Cyrillo ex mandato Cælestini in Alexandrina, Nestorioque illatam sibi iniuriam conquerente apud Theodosium, & petente indici generalem Synodum, Theodosius rescripto suo, & Synodum indicit, & iubet nil innouari antè Synodum ipsam, & eius cognitionem, adeòque & Romanæ, & Alexandrinæ Synodi executionem suspendit; spectare item fas est, Romanos Pontifices implorantes Imperatoris auctoritatem, vt res contra Canones, à Synodis gestas in integrum restituerent, aut saltem executionem suspenderent, donec ampliori Synodo omnia componerentur, idque præstitit S. Leo Magnus contra Ephesinum Concilium secundum, quod & latrocinium dictum, quo opera Dioscori Alexandrini damnati fuerant Flauianus Constantinopolitanus, & Eusebius Dorilęi Episcopus. Lubet adscribere S. *Leonis* verba ad Theodosium. *Ecce ego, Christianissime, & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reuerentiam* Epist. 25. vers. fin.

Cle-

clementiæ vestræ synceri amoris officium, cupiensque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante Tribunal Christi Domini rei de silentio iudicemur, obsecràmus coram vnius Deitatis inseparabili trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipsa sit vestri Custos, & auctor Imperij, & coram Sanctis Angelis Christi, vt omnia in eo statu esse iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto Orbe Sacerdotum numerus congregetur, & quod non præstitit Theodosius, executus est Marcianus eius successor indicens petente, & consentiente Leone Synodum Chalcedonensem, in qua Patres iuxta sententiam Pascasini legati Pontificij à Marciano petierunt, vt EphesinI latrocinij potiùs, quàm Concilij vires lege sua confringeret; immò in hac ipsa Synodo appellantes videas Legatos Romanæ Sedis ad Iudices cognitores, pro eo, quod Canone 28. extensa esset iurisdictio Constantinopolitani Patriarchæ in Diœceses Asianam, Ponticam, & Thracicam, ipsumq; Canonem reuocari petentes, & cum reiecta esset à Cognitoribus eorum petitio, ideò ad eosdem appellant, & Lucentius vnus ex legatis ita loquitur. *Sedes Apostolica præcepit, nobis præsentibus omnia fieri, & ideò quæcumque in præiudicium Canonum hesterna die gesta sunt nobis absentibus sublimitatem vestram petimus, vt circumduci iubeatis, aliàs contradictio nostra bis gestis inhæreat, vt nouerrimus quid Apostolico, & totius Ecclesiæ præcipuo Episcopo referre debeamus, vt ipse, aut de suæ Sedis iniuria, aut de Canonum euersione possit ferre sententiam. Illustrissimi Iudices dixerunt; quæ interlocuti sumus omnia Synodus approbauit*. Demùm nedum appellatum ad Iudices Cognitores in Synodo, & aduersus gesta petente parte rescriptum retractationis, siue reuisionis concesserunt Imperatores, & ab ijsdem Patres ipsi Decretorum in Synodo confirmationem petierunt; sic enim Nicænæ Synodi acta confirmauit Constantinus Magnus, pænasque in Arianos, & ab eis conscriptos libros auxit; petierunt eandem, & Patres Constantinopolitanæ Synodi secundę generalis Epistola sua ad Theodosium. *Rogamus itaque* (inquiunt) *tuam Clementiam, vt per literas quoque tuæ pietatis confirmetur Concilij Decretum, vt sicuti literis, quibus nos conuocasti Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum, quæ decreta sunt, obsignes*. Sic Marcianus trino edicto decreta Chalcedonensis Concilij, sic Theodosius Ephesini, sic tandem Iustinianus iudicium contra Anthimum Patriarcham peractum confirmauit, cuius verba ab re non erit adiicere. *Rem non insolitam Imperio, & nos facientes ad præsentem venimus legem; quoties enim Sacerdotum sententia quosdam indignos Sacerdotio de sacris Sedibus deposuit, quemadmodum Nestorium, Eutichem, Arium, Macedonium, & Eunomium, & quosdam non minores alijs, toties Imperium eiusdem sententię, & ordinationis cum Sacerdotum auctoritate fuit, sicque diuina pariter, & humana concurrentia vnam consonantiam rectis sententijs fecere*.

Act. Concil. Chalced.

Gem. 2. Conc. apud Binium.

Nouel. 42.

Hæc omnia gesta fatemur quidem, at non veræ præsidentiæ iure, & pleraque rectè quidem, at & multò plu-

tò plura facto potius, & Orientalium Cæsarum auctoritate, nec adeò rectè. Potestate sua circa Ecclesiastica, & Ecclesiasticam disciplinam quomodo fuerint vsi, vel magis, abusi ij Cæsares notius est, quàm ostendendum veniat; consideranda, quæ esset tunc Ecclesiæ ætas, quæ infantiæ vix egressa fines circa incrementa sua æstuabat, vnde celebrata in Oriente Concilia ea non gaudebant libertate, qua illa, quæ sunt habita in Occidente. Cum Imperatorum auctoritate in Oriente conspirauit Episcoporum proiecta assentatio, vt monstra passim conspicerentur. Ecce enim approbauit Calchedonensis Synodus Can. 17. vt Imperator Ecclesiasticas prouincias immutaret quidem, sed indirectè; nam ait Canon, quod si ciuitas aliqua Imperatoria auctoritate innouata fuerit, *Ciuiles, & publicas formas Ecclesiasticarum quoq; paræciarum ordo consequatur*, eundemque repetijt Canonem Synodus Constantinopolitana in Trullo C. 38. At immoderatè augendo detorsit Græca Synodus sub Alexio Comneno, quam allegat *Theodorus Balsamo* ad eundem *Can. Licere Imperatori* (ait) *Pontificalem Thronum Ecclesijs largiri, & Episcopatus, vel Archiepiscopatus in Metropoles erigere: eaque quæ ad electionem pertinent, & reliquam dispositionem, pro vt ipse voluerit, describere*; & sic quod concedebat Calchedonensis indirectè, hæc directè largitur. Describere hìc lubet, quæ adnotauit in commentario suo ad Can. 17. Calchedonensem idem Balsamo in græcæ assentationis argumentum; quid dederit Canon ille Imperatori satis supra constat; iam igitur Balsamo eundem Can. Calchedonensem sic exponens ait. *Nota autem ex hoc Canone, quod licet Imperatoribus auferre Ecclesiastica priuilegia; si enim eis permittitur ea, quæ voluerint de regionum finibus ordinare pro innouatis à se Vrbibus, multò magis, vt mihi videtur, Episcopatus Metropolium honore donabunt, eorum, qui præerunt, promotiones, designabunt, & alia quædam, pro ea, quam habent, potestate iubebunt*. Quo animo tunc essent Greci Ecclesiæ Optimates spectare inde licet, & inclinante Imperio eò demùm redactæ res, vt Imperatorum potius effræni placito, quàm Patrum, & Conciliorum auctoritate regerentur Ecclesiæ, quarum Patriarchæ & Canonum expositores æquè habuere SS. Patrum, & Conciliorum Canones, ac Principum Constitutiones, quas Sacras, iussa, & typos pragmaticos appellabant, & idcircò, si quæ gesta ab Imperatoribus circa Ecclesiastica legimus, non continuò trahere in exemplum debemus, & ab ijs factum asserere faciendum. Quinam fuerint Iudices cognitores, quæue eorum partes in Synodis iam indicatum supra ex ipsis Imperatoris verbis, si quid vltra ab ijs gestum, non statim iure factum asserendum est, aut asserenti credendum; suspenderint Cæsares Synodalia decreta, at non ex legitima, & propria auctoritate, vt ex facto Theodosij, qui decretum damnationis Nestorij in Concilio Romano, & Alexandrino indicta generali Synodo Ephesina suspendit, quæ tamen Synodus non vnius arbitrio Theodosij, sed consensu, & auctoritate Cælestini Summi Pontificis fuit conuocata, & industria Cyrilli Alexandrini Patriarchæ; iure suspendit Ephesina generalis Synodus

Theod. Balsam. ad Canon. 38. in Trullo.

dus decreta Romanæ, & Alexandrinæ tanquàm pendente appellationis decreto, & qui tanquam interpres Cælestini conuocauit Theodosius, eodem nomine suspendit. Obsecrauit S. Leo Magnus eumdem Theodosium, vt gesta contra Flauianum in Ephesino Concilio secundo, & Constantinopolitanis contra Eutichem suspenderet, donec maior Sacerdotum numerus congregaretur. At inter tot, & adeò graues Ecclesiæ Orientalis tumultus nil aliud poterat Romanus Pontifex nisi subsidiario vti remedio, & brachij sæcularis auxilium implorare, eoque tanquam instrumento auctoritatem suam exercere; quo ipso sanè subsidio vsi sunt Apostolicæ Sedis Legati in Calchedonensi Concilio prouocantes ad Iudices cognitores, qui ad quietem, & tranquillitatem tuendã missi maiora adhuc sibi aduocabant siue iure, siue iniuria; non omittentes tamen confugium ad verum Ecclesiasticum supremum Romanum S. Pontificem, à quo erant missi, de recursu intrepidè protestantes.

Iusserunt nonnunquam Imperatores retractari decisa, at non semper, & in quocumque casu, neque id negant, qui nimium etiam Imperatoribus tribuunt in rebus, seu Ecclesiasticis Iudicijs; fatentur enim nullum posse proferri exemplum iudicij Canonici ab vno Episcopo redditi, de quo statim, & recta via fuerit recursum, & prolata querela ad Principem; per iudicium Canonicum intelligunt, in quo de fide, & ritibus, & disciplina Cleri agatur, & de Canonica quæstione, non autem de certis litibus aduersus clericos excitatis; de Iudiciis Synodorum tantùm, quæ appellationem non patiebantur, damnati conquerebantur nonnunquam apud Principem, qui Iudices quidem Ecclesiasticos dabat, sed nullam ipse cognitionem suscipiebat, nisi de solo iudicii ordine, qui meri facti erat; neque acta rescindebant nisi ad sustinenda mandata ab ipsis profecta, quorum contemptu minui, aut pollui publicam auctoritatem appræhendebant; neque rerum iudicatarum executionem inhibuerunt, nisi ob apertissimam Canonum violationem, ex qua scandala, & turbæ nascerentur; intra hosce terminos parùm curandum de allegata retractatione in iudiciis præsertim, in quibus exorbitatum à Græcis Imperatoribus testatur, & ipse Balsamo ad Can. 15. Concil. Carthaginensis idemque videndus ad Can. 12. Synodi Antiochenæ. Quid grauius afferre videtur Synodorum confirmatio, & ab Imperatoribus facta, & ab ipsis Ecclesiasticis Patribus expetita. At verò, qui hanc ipsam confirmationem adducunt in exemplar, quod debeant Supremi Principes imitari, non renuunt segregari, ac distingui Conciliorum decreta, quæ fidem respiciunt ab iis, quæ pro moribus, ac disciplina conduntur; quæ tangunt fidem decreta à Summi Pbntificis, & Patrum auctoritate dependent, & controuersiæ scripturis, & Ecclesiæ traditionibus solutæ Sacra, non Politica auctoritate firmantur, Petro enim, successoribus, & Episcopis creditæ pascendæ oues non sæculi Principibus; examinant de iure, diffiniuntque Patres, supremamque manum confirmando Summus Pontifex admouet. Princeps autem, quę sunt circa fidem decreta tuetur auctoritate sua, inflictas à Canonibus, & Patribus spirituales pœnas, & Eccle-

siasti-

siasticas auget sæcularibus pænis, & mulctis, exilio, relegatione, at nunnunquam supplicio vltimo. Sed vbi de disciplina, & moribus fidelium componendis nedum Clericorum, sed & sæcularium, & ad id conduntur à Concilijs decreta in perpetuum, tanquam leges, duratura; Principis interest maturè expendere, quandoquidem recepta, & confirmatam vim legis publicæ sint habitura, & tunc eiusdem auctoritas necessaria est, vt per subiectas omnes ditiones, & Vrbes executio seruetur, & contumaces, ac repugnantes, si qui ausint, coerceantur; iam inde quantum distent Pontificis, & Principis confirmatio colligitur; quæ enim à Summo Pontifice est, robur tribuit decretis intensiuè, vimque influit, quam, ea dempta, aut non addita, non essent habitura, de qua infra exactiùs, cum de sacrorum Comitiorum auctoritate disseremus; at, quæ ab Imperatore, aut Principe, assensum potius testatur, & obseruantię promissionem, quasi præiurando confirmat *Auth. Sacramenta puberum. C. si aduers. vendit.* aut sententiæ acquiescat, eamque exequatur *C. per tuas. de arbit.* quæ confirmatio nil intrinsecè tribuit, sed pium obsequium, ac piam pro subditis sponsionem sanctè operatur; in Imperatore agnouimus, non quidem, vt capitis in membra, sed serti, ac diadematis ad tempora, extrinsecam, & magis facti, quàm iuris; hanc Principes semper præstitere, hanc exoptarunt Pontifices, implorarunt Patres, hanc paterno nisu, & affectu procurauit Pius IV. Summus Pontifex finito Tridentino Concilio, & de qua doctè, & eruditè Eminentissimus Cardinalis *Pallauicinus* in Historia sua. De hac accipiendæ, si quæ tacitæ supra, auctoritates; quod si propriam, ac veram confirmationem vrgeant, agnoscemus assentatorium illum spiritum, quo actos Græcos Patres iam supra obseruauimus, & auctoritatis excessum illum, quo peccasse Orientales Cæsares notum est, & quo libertatis imminutionem passa sunt Orientalia Ecclesię comitia; neque aliam confirmationem adhibuere Constantinus, Marcianus, Iustinianus, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi Conciliis, quàm obedientiam auctis pænis, additisque sanctionibus adstruentes, quæ sicuti veram confirmationem, ac intrinsecam non inducit, ita nec veram præsidentiam arguit, quæ propria vnius Summi Pontificis, tanquam vnici Capitis, est; eòque magis propria, quò, si causas expendamus, propter quas conuocanda veniunt, ac celebranda Concilia nil magis remotum ab Imperiali auctoritate spectabimus, quàm ipsam conciliorum conuocationem, respiciunt siquidem immediatè Ecclesiam, cuius regimen Summo Pontifici creditum, tuitio verò Imperatori.

Lib. 24. c. 11. & seq.

2 Lubet enumerare contra executionis causas potiores, vt facilè emicet illationis veritas. Prima est, nouæ, nec anta iudicatæ, aut damnatæ alicuius hæresis damnatio; decet enim tunc erumpentem illuuiem facto Patrum agmine reprimere iunctis sapientiæ, ac doctrinæ viribus. Secunda, schisma inter duos Pontifices, ad quod tollendum præsentissimum est Concilij remedium. Tertia est resistentia communi Ecclesiæ hosti, neque enim opportunius vnanimis Ecclesiæ consensus, & cogitur, & impenditur.

Quarta (esto quod sit possibilis) suspicio hæresis in Romano Pontifice, aut tyrannis ineuitabilis; Concilij namque est controuersias circa Romanum Pontificem discutere, non tamen in eum audacter sententiam ferre. Quinta est purgatio abusuum, si qui iam in Ecclesiam irrepserint, aut iam irrepere incipiant, quamuis etenim Summus Pontifex solus mederi, & curare suprema auctoritate sua possit, attamen suauior est via, cum supremum Ecclesiæ Caput vnanimi Optimatum voto, & consensu leges statuit; aliæ etiam assignantur Comitiorum conuocandorum causæ, sed hæ, & grauiores, & potiores, quæ quidem indicant non alium futurum Concilij aut cogendi, aut gerendi auctorem, quàm Summum Pontificem, non aliam eas respicere auctoritatem, quàm Ecclesiasticam auctore, & præside Ecclesiasticorum Comitiorum sic assignato, ad eos, qui in teruentu suo necessariò ea constituum, accedamus.



CAP. IV.

Quinam ad Ecclesiastica Comitia sint vocandi, quiue ijs interesse debeant, & valeant.

1 *Varietas in Ecclesia, & cum varietate ordinata graduum distinctio.*
2 *Qui necessariò vocandi ex hisce gradibus ad Comitia.*
3 *Confirmatur exemplo quattuor primorum generalium Comitiorum, SS. Patrum auctoritate, & ratione, firmata à Concilio Apostolorum Hierosolymis.*
4 *Retorquetur, & obijcitur à sectarijs.*
5 *Respondetur, & soluitur.*
6 *Quid de Abbatibus, Regularium Generalibus, & Capitulis Cathedralium, & titularibus Episcopis censendum.*



EX tractatis haud erit difficile inferre, ac deducere, quinam ad Sacra Comitia sint vocandi, eaque necessariò constituaut; non erit tamen ab re, & id diffinire breuiter, ac citra controuersiarum stylum sententiam aduersantem Ecclesiasticæ veritati proponere tactis breuiter potioribus eiusdem fundamentis Ecclesia igitur *Circumdata varietate* inter ciues suos varietatem admittit, cum varietate ordinem, cum & *Castrorum acies ordinata* non immeritò ideò dicatur.

1 Constat itaque ex duplici homi-

mi-

minum ordine, siue statu, alij enim sunt Clerici, alij Laici eiusdem Reipublicæ Ciues. In quolibet ordine est adhuc distinctio; in Clericali praeminent alij, & ex eo, quod cæteris præferantur, dicuntur prælati; subsunt, ac inferiores sunt alij, & generali Clericorum nomine designantur, vtcumque in varios distincti gradus ordinatam superiorum, & inferiorum seriem contineant. In laicali haud absimilis spectatur partitio, qui enim præsunt, & imperant Principes dicuntur, & sunt; qui reguntur, & parent priuati, ac subditi. In generalibus igitur Ecclesiæ Comitijs pro munerum diuersitate intueri licet varios personarum gradus; ingrediuntur enim comitia aliqui tanquam deliberaturi, ac votum decisiuum daturi; alij, qui res propositas discutiunt, momenta difficultatum expendunt, & doctrinæ lumine gerenda, diffinienda illustrant, & eorum votum est consultiuum. Ministrant alij, vt Notarii; & demùm alii tuentur Comitia, curantes, vt omnia quietè, & sine tumulta peragantur.

2 Quatuor igitur isti gradus omnes ad Comitorum celebrationem concurrunt, at respectu, & ratione diuersa; votum siquidem decisiuum, ac verum deliberationem habent soli Prælati Ecclesiæ maiores, ijque necessariò ad Comitia cum generalia, tum prouincialia sunt vocandi; & ad eandem voti ferendi facultatem admittuntur Cardinales, Abates, & Religiosorum ordinum Generales, quamuis Episcopi non sint, at ex consuetudine potiùs, quàm alio iure. At verò ad votum doctrinale, siue consultiuum vocantur ex Presbyteris, & Clericis docti viri, qui in discussione, ac disceptatione rerum iuuent, aliaque idonea exerceant ministeria provt opus fuerit. Intersunt autem Principes vocati tanquam Comitiorum tutores, ac defensores, & tanquam nobiles testes decretorum quę, manauerint, pro quorum executione, ac obseruatione auctoritatem suam impendant, ac pœnis congruis transgressores coerceant; & contumaces vrgeant; Priuati verò Laici interesse non possunt nisi vocati, & necessarij videantur in ministerijs, vel vtiles. Ex qua enumeratione concludere licet solos Prælatos maiores, & Episcopos esse vocandos, nec euidentius proferri potest testimonium, quàm ipsa praxis Ecclesiæ, quæ hucusque decem, & octo celebratis generalibus Comitijs, plurimis nationalibus, & multò pluribus prouincialibus, nec tamen alios vnquam ad ea vocauit, nisi Episcopos.

3 Quatuor illa prima generalia Concilia, quæ tanquam typus, & exemplar omnium extitere, & quæ quatuor Euangelijs pariauit Magnus Gregorius ex Episcopis constiterunt; in Nicæno enim numerantur ter centi decem, & octo Episcopi; in Constantinopolitano primo, & secundo generali centum, & quinquaginta; in Ephesino primo ducenti, & in Chalcedonensi, quod fuit quartum generale quingenti, & triginta Episcopi; exemplar imitata sunt omnia, quotquot fuerunt, reliqua, & in quattuor illis intueri adhuc est subscriptiones ad calcem additas ex solis Episcoporum nominibus, & si quandò subscripsit Imperator diuersa est subscriptio sicut & auctoritas eius ab illa Patrum, & Episcoporum diuersa; hinc in Ephesinam Synodum

dum secundam cum ingressi essent Monachi, & Laici pro scelesto Dioscoro Alexandrino conclamarunt intrepidè Patres illi vtcumque insidijs vndique pressi; *Mitte foràs superfluos, Concilium Episcoporum est*; idemque professi sunt insignes Catholicę Ecclesiæ Patres *Cyprianus*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Leo*, quorum nominibus contenti, ab auctoritatibus temperamus. Immò, & Theodosius Imperator scribens ad Synodum Ephesinam *Illicitum* (inquit) *eum, qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus*. *Can. satis euidenter* 96. *Dist.* Monarchicum est Ecclesiæ regimen, & si quid alterius regiminis admixtum recipiat non alterius sanè; quàm Aristocratici, & Optimatum, quorum opera non alibi magis adhibenda, quàm in grauioribus negotijs Reipublicæ, qualia certè Comitia, vt causæ ea conuocandi iam supra redditæ indicant. Optimates sane non alij, quam Episcopi, ijq; soli, & necessariò vocandi, & ideò tanquam veri, & proprij Optimates non solùm consilium præbent, sicut nec ipsa Comitia nudam dicunt inquisitionem, sed tanquam iudices statuunt, ac statnendo deliberant, deliberandoque statuunt, non assidentes tantùm, sed diffinientes. Respiciamus ad illum Conciliorum, siue comitiorum prototypum, quod habitum fuit Hierosolymis ab Apostolis ad dirimendam exortam quæstionem de legalium obseruatione, cuius Concilij decreta, tanquam verè obligatoria, vrgebat D. Paulus vnà cum Timotheo, quàcumque pertransiret. *Tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus, qui erant Hierosolymis*. scribit D. Lucas; nec mutuata eiusdem Concilij auctoritas à Diuinis Scripturis, sed tota ab Apostolorum suffragiis; fuitque eius decretum, ac decisio, vera lex, vnde, & idem D. Lucas modò *præcepta*, modò *decreta*, modò *dogmata* ipsum appellat, quod de assessoris, aut consiliarii voto nemo dixerit; indeque concludere, ac confirmare, licebit non esse Ecclesię Concilium simplicem inquisitionem, Prælatos, aut Episcopos, qui, vt prudentia dirigunt, ita auctoritate decernunt, & obligant, ideoq; necessariò vocandos, vt pote illos, ex quibus solis Ecclesię Comitia constituuntur. Verùm hac de replrniùs *Cap. seq.*

Ep. ad Iubaian: De Synod. *Ep. 32.* *Apolog. in Ruffin. lib. 2.* *Epist. 119.* *Epist. 16. & seqq.* *In Act. Conc. Ephes.* *Act. 16.*

4 Retorquent nihilominus hoc ipsum, quod ab Apostolorum Concilio deducimus argumentum Nouatores, qui ex omni hominum fidelium genere admittentes ad Comitia, omnes volunt esse iudices, qui præsertim eruditi sint, ac probè instructi, & resumentes ipsa D. Lucæ verba obseruant, quod ait *Conuenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*, & inferiùs; *tunc placuit Apostolis, & Senioribus*. Non igitur Apostoli soli, sed æquali auctoritate, & iure, & decreuere, & conuenere Seniores; Vrgent magis vim ex verbis sequentibus eiusdem D. Lucæ. *Tunc placuit Apostolis cum omni Ecclesia*; quo nomine non Apostoli soli, non seniores, sed & fidelis quilibet comprehenditur, quamque Ecclesiam collecta repræsentent Comitia, & quilibet, qui sit in Ecclesia, ea ingredi poterit, vltra Episcopos, Presbyteri, Principes, priuati, Laici, Clerici; iuxta vulgatam parœmiam, quod

Act. 15.

omnes


omnes tangit ab omnibus approbandum reg *quod omnes*. *De reg. iur. in 6.*

5 At specioso æquitatis prætextu Ecclesiæ ordinem, quem tantoperè auersantur, subuertere nituntur Sectarii, deterioremque eius statum reddere, quàm quodlibet sit aliud politicum regimen; quæ enim Monarchia, quæ Aristocratia, quæ populum vniuersum ad grauiora tractanda assumat, aut admittat? Nil aliud hoc esset, quàm ordinatam politiam iu confusam Democratiam conuertere, quod præstitum ab Apostolis in Hierosolymorum Concilio vix, ac ne vix quidem imaginari licet, cum nec ille, qui tunc temporis vigebat Ecclesiæ status, id vel cogitare permittat; nam in Hierosolymorum Vrbe conuersa fuerant tria hominum millia concionante Petro in die Pentecostes; inde cum idem Petrus patrato miraculo claudum ambulare fecisset, conuersi sunt quinque mille alij. Iterùm auctam tam notabiliter obseruamus fidelium conuersionem vltra quinque millium numerum; & quis credat, tunc in Hirosolymorum Vrbe, in qua fideles persecutionibus vndique, & septi & territi, nec templum habebant, nec locum aliquem publicnm, in quem conuenirent, sed intra priuatas domos se recipiebant; quis credat? Ad Apostolorum Concilium tot millium turbam potuisse colligi? non enim fuit concio illa sub dio, & quale fuisset illud Concilium, in quo de re grauissima censuerint idiotæ, mulieres, pueri? ueque enim in Ecclesiæ nomine hosce segregat, aut discerint Sacra Scriptura. Optimè quidem ad confusionem illam, quam somniant, & optant Sectarij; dictum sanè à D.Luca: *Tunc placuit Apostolis, senioribus, cum omni Ecclesia*. At nomini Ecclesiæ non ita inhærendum, quasi vniuersum omnium fidelium cętum tantùm significet, cum iam aliàs sit ostensum *hoc Ecclesiæ* nomen ad solos Ecclesiæ Prælatos restringi *dic Ecclesiæ*, nec minùs ad significandum quemlibet hominum cætum ad certum aliquem finem collectum, & nedum apud sacros, sed & profanos auctores, Pliniumque præsertim iuniorem; at demùm, quidquid sit de Ecclesiæ nomine; in illis Apostolorum Comitijs interfuerunt Apostoli tanquam iudices ad diffiniendum, Presbyteri, siue seniores ad consulendum, plebs verò, & vniversa ibi existentium multitudo non adfuit vocata, at si quæ adfuit, consensit non disceptando, aut diffiniendo, sed plaudendo, vel non dissentiendo; vocatæ plebis nulla mentio in Actorum historia; *Conuenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*, ait D.Lucas, nihil de plebe; contextus ipse historiæ locutos Apostolos, & Seniores testatur, *Cumque magna conquisitio fieret*; terminata disputatione, in qua Apostoli, & Seniores fuerant locuti, demùm Apostoli soli diffiniunt, & sententiam ferunt; quod quidem ex eo arguimus nam soli Petrus, Paulus, Barnabas, & Iacobus enumerantur loquentes, relaraque sententia Petri, mox subdit contextus. *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebat Paulum, & Barnabam narrantes &c.* Mox subijcit, *& post quam tacuerunt respexit Iacobus*, & demùm finita Iacobi oratione subnectitur decretum, & iudicium; *tunc placuit Apostolis*; quæ series nil

Act.c.2. Act.c.4. Act.5.6. Act.c.15. Matth. c. 16. Ep.3.

nil minùs, quàm plebis, & Laicorum concursum, vel votum exhibet nisi per plausum, & non dissensum, idque satis si tribuatur Ecclesiæ, quæ ibi nominatur. Continet quidem Ecclesia omnes, nec tamen pari modo debet ab omnibus repræsentari Prælatis, Presbyteris, Principibus, priuatis, & laicis, sed eminentiori, ac nobiliori si per Princi-
In Vita constant. lib. 3. pes, & Episcopos suos repræsentetur, qui singuli Ecclesiam suam exhibeant. Vnde *Eusebius* Conciljum Nicænum tercentis decem, & octo patribus constans appellat, *Conuentum Orbis terrarum*; quasi in capitibus omnia subiecta membra compareant, & in capitum approbatione membrorum consensus resideat, qui demùm obseruatione, obedientia, & obsequio complebitur; non inconuenit autem, vt vocentur, & Abates regulares, sicut & Generales ordinum, & ideò non ex necessitate, vt
De Concil. lib. 1. Art. n. 38. n. 56. post exactam, ac fusam indaginem concludit *Card. Iacobatius*, extendens inferiùs, & ad Capitula Cathedralium, de quibus idem asserit censendum.

n. 68, 6 An autem Episcopi Titulares, & qui renunciarunt Episcopatui in generalibus Ecclesiæ Comitijs vocem habere debeant inquirit idem Iacobatius, qui affirmatiuè resoluit; nam si loquamur de Episcopo, qui renunciauit Episcopatui, is, quamuis loco renunciauerit, dignitatem tamen Episcopalem adhuc retinet, quæ in Comitijs maximè spectatur; facultas enim dandi votum, quam & iurisdictionem appellat Iacobatius, est æqualis in omnibus Episcopis, quia non est specialis ratione huius, vel illius Ecclesiæ, sed Ecclesiæ vniuersalis, & in concreto cum alijs Episcopis repræsentantibus Ecclesiam, de quorum corpore est adhuc Episcopus, qui renunciauit Episcopatui, siue Ecclesiæ, loco scilicet, & dignitati siue ordini; & additur ratio, quia Episcopi existentes in Concilio recipiunt omnes in genere iurisdictionem à Summo Pontifice, non ratione alicuius particularis Ecclæsiæ, & ideò admittendi sunt, sed tamen post illos qui locum simul, & dignitatem habent; Episcopi verò expulsi, & eiectitij, quorum diœceses ab infidelibus occupantur, & ipsi ad Comitia admittuntur, cum possint ius suum exer- *n. 73.*
cere aduersus spoliatores etiam in aliena Diœcesi *Clem. Vn. de foro Comp. C. 1. De paroch. C. 1. de præscript.* Ità Iacobat. apud quem & discussæ leguntur difficultates, an Imperator, an Princeps, an Laici sint ad Comitia, & generalem Synodum vocandi? de quibus cum iam supra satis sit dictum hìc subsistimus, & ad scrutandam, & assignandam generalium Comitiorum, & Conciliorum auctoritatem transimus circa ipsorum constitutionem hucusque satis instructi.



CAP.

CAP. VI.

De Generalium Comitiorum Ecclesiæ, seu Conciliorum Auctoritate.

1 *Cur Auctoritatis nomine, & non potestatis vtamur.*
2 *Comitia Ecclesiastica non esse simplicem doctrinalem disquisitionem, sed auctoritatiuam, & iudicialem; & confirmatur latè, & exactè.*
3 *Vndenam hæc auctoritas Patribus, & Comitijs ipsis. Opiniones variæ, & prima quod à Christo, quæ suis firmatur fundamentis.*
4 *Vera opinio proponitur, & firmatur.*
5 *Soluuntur quæ allata in contrarium.*
6 *Proponitur comparatio inter Summum Pontificem, & Concilium.*
7 *Afferuntur fundamenta opinionis, quæ Concilium præfert Pontifici.*


NTEGRATIS, & constitutis generalibus Ecclesiæ Comitijs, siue Concilijs auctoritatem eorundem assignaturi, fontem ipsius, & originem scrutabimur, eaque retecta facilè etiam qualitatem, & quantitatem assequemur.

1 Auctoritatem autem, & non potestatem scrutamur, nec sine re hosce terminos distinguimus, quorum alterutrius vsus rei, quam aggredimur, cum proprietate respondet. Compertissimum est ex Romani iuris principijs Senatus non fuisse potestatem, sed auctoritatem; potestas enim in Romana Republica penès populum erat, & post legem Regiam in Principe *l.1.ff. de constit. Princip.* & ideò Senatus, siue Senatorum, & Patrum dicebatur decretum, populi verò iussus; sic enim *Liuius* loco non vno; *Nutus eius pro decretis Patrum, pro populi iussu esse*, nec absimiliter *Gellius* legem definiuit, *Generale populi iussum*, ideòque cum rei, & vocis proprietate indicti, & non ordinarij Ecclesiastici Senatus auctoritatem agnoscimus, ac profitemur; & ex eo termini, ac vocis recto vsu efficitur, Comitia Ecclesiastica non esse nudam, & simplicem disquisitionem, ac veluti scholasticam, siue speculatiuam indaginem (vt & supra tetigimus) siue Doctorum disceptantium conuentum, qualem voluere sectarij, vim diffinitiuam ac decisiuam soli Deo, ac verbo eius scripto tribuentes, sed esse verum Optimatum, ac Senatorum consessum, quorum decreta ius faciant, & obedientiam à subiectis fidelibus, ac obseruantiam exigant *l.2.§.deinde ff. de orig. iur.* cui quidem veritati, vtcumque tanquam ex vmbra, in veteri lege proluserit Deus mortem comminatus recurrenti ad Sacerdotum Concilium, & non obedienti, attamen robur maius adsciscimus ex primo Apostolorum Concilio, quod Conciliorum omnium prototypum capitulo præcedenti meritò diximus; hicque expendere pressiùs proprium, ac rationabile agnoscimus.

Cicero lib.3 de legib. Liuius lib. 1.8. & 38.

Lib. 19. Noct. Attic. c. 20.

2 Fuit igitur in ipso proposita quæstio, atque discussa, non an fides sola iustificet, vt volunt sectarij, sed an fideles vti deberent legalibus ritibus tanquam ad salutem necessarijs? turbauerat siquidem fidelium plurium conscientiam iniectus à
A.A. c. 15. quibusdam scrupulus, *& quidam descendentes de Iudæa docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundùm Moysi morem, non potestis saluari*; ait D. Lucas; cumque excitata esset ingens commotio, statuerunt mittere Paulum, & Barnabam, *qui ascenderent ad Apostolos, & Presbyteros* Hierosolymam super hac quæstione. Veniunt Hierosolymam, & statim surgunt quidam de Pharisæorum hæresi, qui crediderunt dicentes, *quia opportet circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi*. En thema, & statum quæstionis, *& conuenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*.

Inito conuentu fit disquisitio; nulla producitur Sacræ scripturæ auctoritas, sed sola proferuntur Apostolorum vota, & firmato decreto, scribitur Epistola nomine Concilij. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*. Indicta igitur horum abstinentia in reliquis absoluuntur fideles à legalium obseruatione, cuius absolutionis in scripturarum monumentis nullum intuemur vestigium, at quidquid decretum a sola Apostolorum auctoritate est; neque fuit illud subiectum discipulorum examini, aut approbationi, sed citra censuram quamlibet omnibus imperata executio, & iniuncta obseruantia, vnde & fuit vera lex, legitima auctoritate obligans in conscientia, quam decretorum, dogmatum, & præceptorum nomine expressit D. Lucas.

Quod factum spectamus in hoc Ecclesiasticorum Comitiorum prototypo idipsum & de omnibus, quotquot ad imaginem sunt secuta, censendum, idque agnoscentes ad Concilia, & Comitia conuocati Patres contumacibus anathema indicunt, & sua decreta denominant Canones, leges scilicet Ecclesiasticas, scribunt enim *Ego N. definiens subscripsi*; idque à solis Episcopis dictum indicat, non esse Concilium meram inquisitionem, aut doctrinalem indaginem, nam planè inordinatum esset solos Episcopos censere, eosque sententiam ferre, cum disceptandi munus eruditorum hominum sit, etiam si non sint Episcopi, qui vtcumque simplices, vtcumque ad disceptandum parùm apti, attamen vocantur omnes, omnesque deliberant, cum non doctoris, aut consiliarij, sed iudicis partes gerant; neque per hoc necessarium est, vt definitum à maiori parte Patrum in Comitijs Summus Pontifex teneatur admittere tanquam definitum à iudicibus, & non à Consiliarijs suggestum, cum tamen oppositum factum obseruemus, & à Damaso respectu Ariminensis Concilij, & à Leone Magno respectu Chalcedonensis, qui vterque Pontifex reiecit, Damasus Ariminense, quamuis vnanimi plurium consensu firmatum, & Leo partem aliquam Chalcedonensis; non hoc necessarium, nam, vt obseruauit Melchior Cano, vbi de fide agitur, non cogimur

gimur

gimur plurium iudicium, aut sensa sectari, neque vt in electionibus humanis, & humanis iudicijs ex numero suffragiorum sententiam metimur: non enim est certa regula, vt sint optima, quæ placent pluribus, & ideo Damasus decretum Ariminensis Concilij reiecit intrepidè, in quo decepti Patres imperitia græcæ linguæ in Arianismum consenserant incautè, *& ingemiscens terrarum Orbis* (inquit Hieronymus) *se Arianum esse miratus est*; & Sanctus Leo Magnus, quod fuerat gestum in Concilio Chalcedonensi in obsequium Constantinopolitanæ Sedis, & in eius ampliationem improbauit, licèt firmatum auctoritate sexcentorum, & triginta Patrum, quia per fraudem gestum nouerat, & absentibus Apostolicæ Sedis Legatis, vt colligitur ex actione 16. eiusdem Synodi, nec consensum ex tanto Patrum numero vnanimem timuit S. Leo, sed Romana constantia decretum reiecit, *quasi* (inquit) *refutari nequeat, quod illicitè voluit multitudo. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis concilia blandiantur, nec trecentis illis decem, atque octo copiosior numerus Sacerdotum comparare se audeat, vel præferre, cum tanto diuinitùs priuilegio Nicæna sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diuersum*; non tam ergo votorum numerum, quàm grauitatem, & pondus respicit Summus Pontifex, eaq; examinat ad veritatis normam in grauioribus diffiniendis, ijsque præsertim, quæ ad fidem, & disciplinam spectant; hoc enim auctoritatis ipse habet tanquam Princeps Ecclesiæ supremus, qui singulari Spiritus Sancti assistentia fultus iudices inferiores dirigit, & eorum decreta confirmat, vbi confirmatione digna agnoscit, sicut & reijcere potest, vbi reijcienda videntur.

Epist. 51. ad Anatbol.

3 Sicut autem certissima est Patrum auctoritas in Comitijs Ecclesię, ita non adeò conuenit inter scribentes vnde nam ipsis obueniat, & quinam sit eius fons, mirumque sanè in re, quæ à iam constituta Ecclesię politia maximè pendet, opinionum varietatem emersisse, idque nobis inquirendum impensiùs. Senatum in Republica ius facere posse extra omne dubium posuit Vlpianus *in l. non ambigitur 9. ff. de legibus*, *idque auctoritate propria*, *& lege nulla in eam rem lata*, inquit *Antonius Faber*, quasi ex naturæ, & naturalis rationis instinctu, & dictamine; verè quidem, vbi ex naturæ principijs inceditur, at non item in Sacra Republica, quæ tota supernaturalibus instructa, desuper demùm auctoritatem & recipit, & agnoscit. Admittunt id omnes, qui Ecclesiam diuinitùs institutam sciunt, & fatentur, at circa fontem conciliaris auctoritatis non æquè consentiunt. Qui enim Ecclesiam fundauit Christus, eamque competenti potestate instruxit, hunc ipsum asserunt, & Ecclesiasticis Comitijs indidisse auctoritatem; præsentes namque discipulos, & Apostolos sic affatur. *Quæcumque alligaueritis super terra erunt alligata & in Cœlo*, sicque alloquens largitus ijsdem videtur iurisdictionis potestatem, & cum ipsis succedant Episcopi, ex quorum conuentu formantur Comitia, iam & Comi-

In rational. ad l. 1. ff. de legib.

Matt. c. 16

Comitijs ipsis eandem censetur impertitus, vnde collato muneri veluti plaudens, munusque munere augens eodem orationis contextu suam pollicetur præsentiam subdens, *vbi enim sunt duo, vel tres congregati in medio eorum sum*; vt quid igitur præsens consessui auctoritatem non influat? Apostolis etiam immediatè collatæ Claues, ijsque à Christo Domino dictum, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Cur igitur, & immediatè non collata Comitijs auctoritas, quæ ipsum Apostolorum Collegium exhibent? Professæ id sunt duæ vniuersales Synodi, Constantinopolitana scilicet generalis octaua in causa Photij, & Constantiensis; Constantinopolitana, quæ Photium inuasorem de Patriarchatu deiecit; Patres enim qua auctoritate id fecerint, exprimunt; *Anathematizauimus*, Photium scilicet, *atque à tota Catholica, & Apostolica Ecclesia fecimus alienum per datam nobis potestatem in Spiritu Sancto à primo, & Magno Pontifice nostro, & Deo liberatore & saluatore cunctorum*. Constantiensis, cui tribuitur assertio, quod *Synodus vniuersalis habeat immediatè potestatem à Christo, cui quilibet fidelis cuiuscumque dignitatis, etiam Papalis, obedire tenetur*; alioqui si Concilium hac destitutum auctoritate asseramus, fateri etiam cogemur, Christum Dominum imperfectam reliquisse Ecclesiam suam, nec ei consuluisse in quemcumque euentum, quo Pontifice destitueretur, quo a diuina prouidentia nil magis alienum.

4 At doctrinę veritas non aliunde emicat magis, quàm ex conclusionum cum principijs constantia; & vndenam Patres in Comitijs, & Comitia ipsa habeant auctoritatem, iacta hucusque Ecclesiasticæ politiæ vera principia indicant, vnde & ab ipsis solidam veritatem deducimus; ea enim est auctoritas, quam tractamus, quæ non ex naturalibus principijs, aut moralibus consurgat, sed tota supernaturalis, sublimiorem etiam, adeòque supernaturalem fontem supponat. Si vnquam compositus Sol ad reliqua astra arridet, congruit sanè hæc facta collatio Summo Pontifici supremo Ecclesiæ rectori, ac inferioribus Episcopis, nec alienum est paradigma, quando Ecclesiam Cælestium imaginem dixit Ambrosius. Mutuabimur à Plinio verba, neque enim aptiùs, quàm Plinij stylo decet describere; *Errantium syderum medius sol fertur amplissima magnitudine, & potestate, nec temporum modò, terrarumque, sed & Syderum etiam ipsorum, Cælique rector*; & paucis interiectis. *Hic lumen suum cæteris quoque syderibus fænerat*. Soli in Mundo similem prorsus agnoscimus Summum Pontificem in Ecclesia, simile enim probauit, & Innocentius *in C. per Venerabilem. Qui filij sint legit*. Ac syderum medium, circa quem tanquam circa centrum, inferiores Prælati rotantur; amplissimam in eo Maiestatem colimus, potestatemque parem, dum ipsum tanquàm Christi Vicarium suspicimus, cui dictum illimitatè *Pasce*. Hic idem Ecclesiæ, & Præsulum eius rector, quibus lumen sine suæ lucis dispendio fænerat de potestate scilicet sua potestatem, indèque fontem potestatis, quam habent comitia, & Patres in ijs retegimus; Caput enim

Lib. cap. 6. Nat. hist.

enim visibile Ecclesiæ Pontifex, & Comitiorum ipsam repræsentantium; ab eo igitur recipit Ecclesia, capit Concilium, mutuantur Patres vitæ, & operationis influxum, & quidquid habent auctoritatis inde habent, tanquam a capite membra; ad rem perapposite *Sanctus Leo Magnus*. *Sed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum offitium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet*. Data Petro totius Ecclesiæ cura, dum ipsi, & successoribus dictum *Pasce oues meas*; nulla igitur in Ecclesia potestas, quæ à suprema Summi Rectoris non pendeat, ergo & si quæ in Comitijs auctoritas, non ea esse potest aliundè, nam vt acutè, & eleganter D. Hieronymus (hicque planè huius veritatis cardo) *quod de scripturis non habet veritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*.

Epist. 89. ad Episcopos Vienens. prou. in pr.

Excutiamus vtriusque testamenti paginas, percurramus Sanctorum Patrum testimonia, nec vnquam repeiiemus datam Comitijs, & Concilijs quantumuis generalibus potestatem, & auctoritatem aliam, ac independentem à Romano Summo Pontifice, quo deficiente fonte, eaque non facta concessione non existentiam potestatis concludenter arguimus, & verè; vt non semel colligit *Cardinalis Albanus*; & demùm fas est subtiliter ratiocinari. Si omnem velimus traditam potestatem, & auctoritatem Ecclesię Comitijs immediatè a Christo Domino eiusdem potestatis auctore, iam quærere libet an eandem, an aliam? Si eandem, ea erit superuacanea, & abundans, ad quid enim ad idem intentum potestates geminę? Si aliam, aut parem Pontificiæ, aut maiorem, aut minorem. Si parem; eadem regeritur instantia, quæ de eadem, perinde enim re vera esset, ac si esset eadem, nec posset impleri assertum, quod Concilio debeant subijci omnes, etiam si Papalis sint dignitatis, posita enim potestate pari nulla posset esse subiectio, cum par in parem non habeat Imperium *l. Nam Magistratus ff. de recep. arb.* & quod grauius est, essent in Ecclesia duæ potestates supremę, & duo Capita, nec Monarchica esset politia, sed scinderetur vnitas, ad cuius tutelam vnius regimen voluit Christus Dominus. Si maiorem, iam non esset supremum Caput in Ecclesia Summus Pontifex contra hucusque iacta, ac fundata principia, quæ certa sunt. Si demùm minorem, inanis hæc potestas esset, ac inutilis, cum longè meliùs per solam Pontificiam multò ampliorem posset perfici quidquid ad Ecclesiæ regimen est necessarium; cum itaque nullibi legatur tradita a Christo Comitijs Ecclesiasticis auctoritas, aut potestas, nec sit assignabile qualis ea sit, iam nulla erit immediatè collata, sed tota quanta est a fonte erit totius Ecclesiasticæ potestatis summo scilicet Ecclesiæ Capite Romano Pontifice, idque ipsum scholastica distinctione ex *D. Thoma* expressit veluti conciliando Campegius, immediatione siquidem virtutis verum est Comitia generalia, & Concilia a Christo Domino accepisse auctoritatem, eadem enim est potestas, quam largitus est Summo Pontifici, & quam Pon-

De pot. Papæ & con. ca. p. 2. n. 46.

De Concil. Cap. 22. n. 3.

Pontifex Concilio impertitur, tota supernaturalis, & quæ non ab alio potuit haberi; at non item immediatione suppositi, cum (vt supra diximus) nullibi appareat Christum Ecclesiæ suæ, vt vniuersalis est, nec Concilio, vt eam repræsentanti, vllo modo dedisse potestatem adeò, vt nihil, vel nullus esset medius inter
C. 23. Christum dantem, & Ecclesiam recipientem; ex qua consideratione idem auctor ad quæsitum infert, an scilicet Concilij, seu Comitiorum potestas sit ordinaria, an verò delegata? Et ex triplici Comitiorum constitutione resoluit; si enim ita constituantur, vt præsideat ipsis Summus Pontifex, & tanquam ex capite, & reliquo corpore vnum quid sit, iam certum est potestatem eius esse ordinariam, & eandem, quam habet Summus Pontifex, cui omnes cuiuscumque dignitatis sint, etiam Papalis, obedire tenentur, est enim tunc ipsa Pontificia potestas, à qua nemo eximitur, aut potest se eximere, quamuis enim non sit maior iurisdictio, maturiori tamen exercetur consilio, & ideò eidem in Concilio multò magis parendum; parebit & summus Pontifex, at sola vi directiua obligatus, non item coactiua, sicut de lege obligante Principem, a quo vim habet, dicemus loco suo.

Si verò præsideant Apostolici Legati cum amplissima, & plena sibi credita potestate, adhuc erit ordinaria, cum adsit Summus Pontifex per Legatos suos, & tanquam caput in corpus influat, quidquid de territorij defectu expenderit Campegius. Si demùm sine Pontifice, & Legatis ritè celebretur Concilium in eo casu, quo & sine Pontificis auctoritate celebrari potest, puta in casu schismatis, erit ordinaria iurisdictio, siue sit à lege, siue à consuetudine, cuius vtriusque ea est vis, vt possit iurisdictionem ordinariam conferre, sicque semper aliunde, quàm à Christo Domino immédiatè auctoritatem suam habet Concilium.

Neque enim tunc tradita rectè asseritur, cum Discipulis dictum, *quæcumque alligaueritis super terra, erunt ligata & in Cælis*, quia Matt. c. 18.
quamuis præsentes tunc alloqueretur Apostolos, non tamen erant ipsi tota Ecclesia, quæ nec in eo primordio ex ipsis solis constabat, vltra eos enim erant alij etiam credentes, nec totam Ecclesiam ipsi tunc repræsentabant, quia nondum erant adhuc prælati alijs, immò nondum Sacerdotes, quales ordinati fuere in vltima cæna, & vtcumque essent tunc simul, non tamen corpus, aut collegium constituebant ita, vt potestas ipsis tradita, seù veriùs promissa, dici possit data, aut promissa collegialiter; nam in verbis illis, *quæcumque alligaueritis* fundatur præcipuè auctoritas Præsulum Ecclesiæ, qua vt singuli iurisdictionem exercentes excommunicationis mucrone contumaces feriunt, vnde nec in verbis illis, nec alibi legitur communiter data aliqua potestas Apostolis, qua postea, vt singuli vterentur, & quasi esset data collegialiter, non possent vti, vt singuli; & sanè notabilis est contextus Euangelij, & occasio, qua verba illa protulit Christus Iesus, quæ nullum Concilij specimen, aut intentionem præbet; non enim ex composito conuocauit discipulos, sicut eum non semel facere consueuisse perhibent

bent passim Euangelistæ scribentes. *Conuocatis discipulis; sed in illa hora accesserunt discipuli ad Iesum* inquit Euangelista; verus Concilij typus ille fuit, cum veniens in partes Cæsareæ Philippi, & solus esset orans interrogabat discipulos suos dicens. *Quem dicunt homines esse filium hominis? cum missis cæteris* (inquit Baronius) *solis cum Discipulis post preces Deo oblatas de summa rerum quæstionem proponit, & admirabili quodam ordine, vt priùs destruantur errores, ac subinde solida firmitate doctrina locetur, in primis interrogat; quæ sit illorum, qui foris sunt, opinio de filio hominis; sed cum deliramenta potius, & insana ab illis dicta ferrentur, quid demum ipsi de ea re sentirent, rogat sententias omnium.*

Matth. c. 10. & 15. Marcic. 3. & 8. Luca c. 9. & 18.

Matth. c. 16.

Tom. 1. Annal. Anno 33.

Verissimum Concilij typum! nec tamen in hac Ecclesiasticorum Comitiorum figura potestatem aliquam ipsis, aut contulit, aut promisit. Petrus omnium primus non ætate, sed dignitate causam, & quæstionem dirimit, ac responsione sua perpetuum canonem condit, vt nihil ampliùs consulendi, & interrogandi veniant cæteri; sed demùm Ecclesiæ iacitur fundamentum, ac primarius lapis ponitur in vno; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quod si vbi Concilij proponebatur figura nullam datam intuemur potestatem, aut toti Ecclesiæ, aut Apostolis collegialiter; sed potiùs vnius, & in vno fundatum regimen, multò minùs datam dicemus, vbi nec collegialiter aderant Apostoli, nec de danda potestate, vt vniuersis, agebatur, & esto, quod ipsis tanquam in collegio esset data potestas, non tamen sine Petro, sed immò cum respectu, & relatione ad Petrum, cui prius à Domino dictum; *tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terra erit ligatum, & in Cœlis*, vt indicaret statutam primùm in Petro, indeque in alios deriuatam potestatem in vnitatis a Deo intentæ, & commendatæ tutelam.

Matth. c. 16.

Nimis autem probant verba illa Christi. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo in medio eorum sum*, si inde traditam generalibus Comitijs potestatem immediatè arguere velimus; euincere enim pariter licebit eandem largitam quoties Clerus, & Monachi conueniunt in chorum ad Diuina peragenda; colligere quidem possumus Sacrum Episcoporum Concilium pro fide, aut disciplina conuenientium Spiritus Sancti assistentiam, & Christum gratia sua assistentem habere, at non quemlibet fidelium cætum cum Christi assistentia auctoritate pollere, aliud est enim auctoritatem conferre, aliud gratiam, & protectionem impertiri. Dixit Christus Apostolis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* At quid hoc ad iurisdictionis potestatem, cum ordinem sacrum respiciat, & ab ipso cum sit illa ligandi, atque soluendi potestas, quæ Sacerdotium consequitur, & quæ cuique Apostolorum fuit tribuenda immediatè, à qua ad iurisdictionis potestatem Comitijs immediatè tradendam, tanquam à penitùs diuersa, non rectè concluditur. Dixere quidem Constantinopolitani Patres in Synodo octaua pro Photij damnatione.

Feci-

Fecimus alienum per datam nobis potestatem in Spiritu Sancto, at eo planè & modo, & sensu, quo dixit Apostolus, *non esse potestatem nisi à Deo*; qui non intellexit, omnem scilicet potestatem habentem à Deo immediatè collatam habere, cum eodem fonte, & eadem potestatis origine stare potest, & de facto stat, modus eiusdem conferendæ, & habendæ diuersus; & demùm Constantiense Concilium, asseruit quidem se habere immediatè potestatem a Deo, & meritò, & verè, at non omnem omninò synodum; nam in vigesima tertia Congregatione prodijt decretum ita conceptum. *Hæc Sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, & vnione, ac reformatione Ecclesiæ in Capite, & membris fienda declarat, quod ipsa in Spiritu Sancto congregata generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans potestatem à Christo habet immediatè, cui quilibet &c.* Iam apertè testatur decretum, Patres illos non de quolibet Concilio loqui, sed de Concilio in casum schismatis congregato, & quo non erat vnus Ecclesię Pastor indubius, vnde pontificia potestas erat ad Concilium deuoluta, ideoque a Deo immediatè pendebat; quàm dubia autem sit eius Concilij auctoritas, cum vigerent simul trium Pontificum obedientię, & duæ contradixerint, fueritque earum admissa contradictio, non est cur hic examinemus fusiùs; sat sit, quod nutat eius fides, nec adeò certa assertio; neque tandem minùs rectè consultum à Deo dici potest Ecclesiæ suæ, si immediatè Comitijs non tribuerit auctoritatem; nam immò deterior esset quocumque regimine, si ipsi, vt vniuersali, credita esset potestas, innumeri enim possent emergere casus, provt in dies emergunt, qui præsenti, & repentino indigent remedio, quod adhiberi non posset, si semper à toto Christiano Orbe essent conuocanda Comitia, quod ingens, ac rationabile temporis spatium exigit, idque non patiuntur ea, quæ celeri habent opus remedio.

Ad Rom. c. 13.

6 Retecto, & indicato fonte, vnde manat tota Comitiorum potestas, iam fundamentorum, & doctrinæ contextu emicat, quid sit sentiendum circa collationem illam inter Papam, & Concilium, quam opinionum affectio, magis, quàm veritatis zelus acriter adeò asperauit; collatis scilicet Papa, & generali Concilio vter sit censendus superior. Cæpit haberi hæc disquisitio in Concilio Pisano, incrementum accepit in Constantiensi, & demùm redacta ad summum in Basileensi; erat tunc temporis ea rerum conditio, vt plerique ijdem inseruientes præferendam censuerint sententiam, quæ Concilium Papa superiorem assereret. Sub auspicijs Ioannis Gerson Parisiensis Cancellarij hæc ipsa propugnata fuit in Concilio Constantiensi. Nos veriorem statuamus opinionem cum eius momentis, ipsamq; firmemus, & oppositam subinde ponderaturi.

Comparatio hæc ad controuersiam redacta disceptatores habuit grauissimos, & præsertim ad lassitudinem vsque *Card. Iacobatius* ipsam exagitauit. Nos ex præmissis quasi consectariam resolutionem deducemus, comparantes veluti duo extrema Papam, & Concilium à

Lib. 10. de Concil.

Papa

Papa seiunctum, cui nec per se, nec per Legatos præsideat, iamque consonanter ad iacta hucusque principia Pontificem Summum supra Concilium suspicimus, & Ecclesiæ Principem Comitijs præferimus. Primatum Pontificis non à Populo datum, sed ab ipso Christi ore collatum, quem nec Gerson ipse in Synodo Constantiensi negauit, solidè fundant attributa illa, quæ rem exprimentia indicant, quàm repugnet subijci Papam Ecclesiæ, & Ecclesiæ Comitijs.

Da igitur, quod ex præmissis hactenus negari non potest, esse Pontificem Summum totius Ecclesiæ Pastorem, non figuratè, aut ex hominum ingenio, sed ex ipso Christi verbo, quo Petro, & successoribus dixit *Pasce oues meas*; da, esse Caput totius Ecclesiæ *C. Rogamus*. 24.*quæst*.1. vbi Sanctus Marcellus Papa de Petro *Ipse enim est caput totius Ecclesiæ, cui ait Dominus tu es Petrus &c.* Da eiusdem Ecclesiæ Principem, de quo *S. Leo Magnus*, *Iustè in Ducis nostri meritis dignitate lætamur, gratias agentes Deo Redemptori nostro, qui tantam potentiam dedit, & quem totius Ecclesiæ Principem fecit*. Da, esse generalem Christi Vicarium in tota Vniuersali Ecclesia, & vnum vtriusque tribunal, *Quodcumque ligaueris super terra &c.* Da demùm, esse Prælatum prælatione gaudentem in totam Ecclesiam, sicut S.Leoni Magno Summo Pontifici acclamauit Chalchedonense Concilium œcumenicum Patriarcham appellans. Da hæc omnia, quæ negari non possunt, & salua principiorum cum secutis concordia desume (si potes) pastorem subiectum gregi, caput membris, Principem subditis, Prælatum inferioribus, Papam Concilio, & Pontificem Ecclesiæ ipsius Ecclesiæ Comitijs, quod quidem nil aliud erit, quàm naturæ conuellere ordinem, ac rationis lumine dispositam perturbare seriem. Nihil potest sine Papa Concilium, nisi ipse conuocet non est Concilium, sed conciliabulum, vbi iam conuocatum nil agit nisi primùm ipse decernat iuxta veterum Conciliorum supra exhibitam normam, ex qua fuit à nobis fundata suffragij prærogatiua; vbi conclusum, & terminatum Concilium, nil actum credit, quasi sibi non fidens, nisi Papa confirmando robur addat; Nyceni, Ephesini, Chalchedonensis id petiere Patres, & subsequentes Synodi omnes; ipsa Constantiensis, & Basileensis ipsa illa à Martino Quinto, hæc ab Eugenio Quarto confirmationem petijt; si ergo Concilium quaqua sui parte, quoquo tempore à Papa dependet, prudens ipsi subijcere Papam, quasi præter naturæ ordinem nemo audeat, aut subijcienti consentiat.

Ioan.c.vlt.

Serm.3. de consec. sua circa fin.

Matt.c.16.

7 Verùm quia scire curiosus lector optabit, quænam sint saltem validiora motiua, quibus opposita sententia nitatur, lubet potiora describere, vt legenti vtraque pagina constet. Nil magis vrget *Ioannes Gerson* illius opinionis auspex, quàm Christi Domini vulgatissimam auctoritatem, qui ordinem fraternæ correctionis præscribens, vbi semel, & iterum facta fuerit, & inanis supremum ac subsidiarium remedium statuit. *Quod si non audierit eos, Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*, Vim verborum Christi auget ad intentum pondera-

De potest. Ecclesi.consid.4.

Matt.c.18.

tionibus fuis Gerfon. Doctrina hæc Domini refpicit Chriftianum quemlibet, qui frater nofter eft, licèt fit Papa, qui demùm vltimo iudicio Ecclefiæ fubiectus erit; neque exponantur verba illa *Dic Ecclefię* (inquit Gerfon) hoc eft Papæ, extorta enim, & parùm propria erit expofitio; Petrum tunc alloquebatur Chriftus Dominus, cui non dixiffet, vt diceret fibi ipfi; immo fubdidit, *quæcumque alligaueritis*, quæ verba, vt non diriguntur ad folum Petrum, ita indicant, nec illa priora ipfum vnum refpicere; & tandem fi penès Ecclefiam fupra omnes non effet poteftas, fruftra dixiffet Chriftus; *Dic Ecclefiæ*, quia poffet ea tanquam poteftatis expers, & inermis impunè fperni, & non audiri; fupponit igitur fic loquens Dominus penès Ecclefiam poteftatem illam, qua proteruos, & contumaces compellat, & coerceat; hactenùs ex Gerfone; & vltrà ipfum adnectitur ratio; quia Papa eft caput Ecclefiæ, adeòque membrum, & pars eius; pars eft minor toto, & totum maius quacumque fui parte, qui fanè ordo, & quæ dependentia veritate deficeret, fi Concilium Papæ fubijceremus, & non Papam Concilio. Hifce omnibus momentum maius præbet hanc opinionem fectantium fcriptorum auctoritas, qua circumfcripta, opinio facilè vtriufque iam allatæ argumentationis robore deftituitur, cum & perfacilis fit vtriufque folutio. Expendamus breuiter, & primò, quod ad auctoritatem attinet ex Euangelio, *Dic Ecclefiæ*; reddito vero illorum verborum intellectu deficit fundamentum; literaliter accipienda funt verba, aliàs inefficax erit fumptum inde argumentum; Iam conftat Chriftum Dominum ibi conftituere vltimum Iudicem fraternæ correctionis, ad quem poft alia adhibita remedia deuoluatur auctoritas. Quid autem per Ecclefiam intelligat, fi conftet, iam nulla fupererit difficultas.

Ecclefiam primò intelligere poffumus pro vniuerfali fidelium congregatione, toto Orbe diffufa, Sacramentis conteſſerata, & ad hanc refpexiffe Chriftum Dominum nemo dixerit, dum Ecclefiam fupremum Iudicem correctionis fraternæ conftituit, vt enim frequens eius adhibendæ poteft effe occafio, & planè quotidiana, ita facilis, ac præfens debet effe ad Iudicem aditus, qui in fubfidium audiat, corrigat, puniat, aut abfoluat, quod de Ecclefia fic latè fumpta impleri nunquam poffet, quæ nec poffet vnquam ad huiufmodi munus congregari, nedum effe parata, & facilis pro cuiufque corrigendi fratris remedio. Ecclefiam, & fecundò, accipere poffumus pro vniuerfali quidem Ecclefia, & conciliariter repræfentata, & vnita, ac in Concilium coacta, & fic fumpta, quamuis tantam non inuoluat difficultatem ad intentum correctionis fraternæ, attamen nec ipfa expeditum (vt decet) poteft effe remedium, & neque de hac fenfiffe Dominum credibile eft; raro enim, & difficultate non modica congregantur Concilia, & labuntur fæcula abfque eo, quod celebrentur; ftetit Ecclefia tercentis, & amplius annis abfque vlla celebratione Concilij, & primum fuit Nycenum; & tamen non debuere tunc effe fideles fine neceffario fraternæ correctionis remedio, quæ vt familiaris, & familiare, ac præfens illud expofcit, & efto, quod pof-

possent maiori facilitate cogi Concilia, at manere semper congregata nequeunt, cum nec Patres semper à grege suo, & à sua Ecclesia possint abesse; & quis credat Dei sapientiam remedium ægris fidelibus præscribentem statuisse, aut impossibile vt primum, aut perdifficile, vt secundum? Iugum eius suaue est, onus leue, & iubet perfecta (inquit *Hieronymus*) non impossibilia; superest igitur expositio illa, & genuina, & recepta. *Dic Ecclesiæ* hoc est dic Prælato; cui mirificè arridet Christi verborum contextus, qui postquàm protulit *Dic Ecclesiæ*, subdit, *Amen dico vobis, quæcumq; alligaueritis super terra erunt ligata, & in Cęlis*, per quæ verba illis dat auctoritatis remedium, ad quos intentione sua destinarat confugium, & non ad totam Ecclesiæ vniuersitatem; ita hæc ipsa verba exponit *Chrysostomus*. *Dic Ecclesiæ*; *Præsulibus scilicet, ac Præsidentibus*, inquit; ita Innocentius III. *in C. Nouit. de Iudic.* ita Patres innumeri, qui licet paulò aliter etiam explicent, attamen ita, vt Ecclesiam tam primò, quàm secundo modo acceptam excludant; eam enim disponunt correctionis faciendæ seriem, vt priuatus homo fratrem suum peccantem corrigat; sin audiat, dicat Ecclesiæ hoc est Pręlato, & si Prælatum corrigentem neque audiat, & ipse *Dicat Ecclesiæ*, aut corripiendo coram multitudine, *vt sic confusus* (inquit Gloss.) *maiorem erubescentiam* patiatur, aut excommunicando coram eadem multitudine, exponit Hieronymus, *vt sic multorum detestationi habitus, opprobrijs saluetur, qui pudore saluari non potuit*.

Lib. 1. comment. in C. 18. Matth.

Homil. 61. in Matth.

Addas Ecclesiæ praxim, & obseruationem in verbis Christi exponendis, quam signat *Card. Albanus* in facto Petri corripientis, & damnantis cum terrore ingenti totius Ecclesiæ Ananiam, & Saphiram coniuges pro fraudato vendit agri pretio, qui subinde ad rem in ea verba concludit. *Quamobrem vnde originem susceperit ista Conciliorum potestas, quæ nonunquam supra Pontifices tollitur, satis intelligere non possum*; igitur datam potestatem per duo hæc verba *Dic Ecclesiæ*, colligit *Iacobatius*, aut Ecclesiæ in communi, aut generali Concilio immediatè, quod non esse aliàs iam fusè probatum, at Ecclesiæ Prælatis vtiq, de quibus necessariò intelligenda sunt illa verba.

De potest. Papæ, & Concil. p. 2. n. 39. 40.

Act. c. 4.

De Concil. lib. 10. nu. 154.

Qua posita explicatione iam deficit tota illationis efficacia, quam vrget Gerson; alloquitur quidem Dominus Petrum dum de modo correctionis faciendæ ipsum instruit; verùm ex subiecto aliter accipitur *Ecclesia* in verbis illis *Dic Ecclesiæ*; quando priuatus priuatum, & fratrem suum corrigit, aliter cum Prælatus; priuatus enim remittitur ad Ecclesiam tanquam ad Iudicem, Pręlatus verò tanquam ad notorij testem, & spectatorem, nisi fortè in Petro, vt & in quolibet Præsule duplicem habitudinem, aut respectum distinguamus, priuati scilicet, & publici, & secundum vtramque à se, vt priuato, ad se, vt publicum, & Antistitem fiat remissio, quod certè non implicat; at inane fuisset, inquit Gerson, remittere ad Ecclesiam, nisi penès Ecclesiam esset potestas; latet equiuocatio sub nomine Ecclesiæ, vt iam dictum; sat est potestatem habere Prælatum, cui si dicatur, dictum erit Ecclesiæ; Eccle-

siæ, vt vniuersali, nulla data legitur potestas, nec vt collectæ in Concilio, & ideò ad ipsam non est pro correctione recursus. Quæ autem affertur ratio à collatione partis cum toto, & ab excessu totius ad partem, vt inde argueretur Papam, qui est pars respectu Ecclesiæ, esse minorem ipsa, & tanquam à toto pendere, fallacia cum sit, vix digna est rationis nomine; transit enim à quantitate molis ad quantitatem virtutis, ac proinde fallaciter; multa sunt corporis membra, omnia simul corpus constituunt, & relatione ab ipso pendent, at inter plura membra aliqua mole minora virtute, ac præstantia & reliquas partes, & totum ipsum excellunt; caput in animali quolibet est minus mole, at sensuum omnium sedes, supra reliquos *Artus eminet præstantissimum omnium*, inquit *Ambrosius*, *à quo motus, & sublimiores, in homine præsertim, omnes operationes, & in corpus Imperium*; cor capite minus, *& in toto corpore minimum, at fons, & centrum, causa, & origo vitæ*, ait *Plinius*. In politico corpore præsidet, ac regnat Princeps tota multitudine subiecta minor, at Imperij, ac iurisdictionis potestate excelsior; demùm, si vrgeret illatio, Christus ipse caput Ecclesiæ, & ea minor, vt homo, ipsique subiectus dicendus esset, quod vel aures abhorrent; inde ad Papam apertissima est applicatio; membrum quidem ipse est Ecclesiæ, eius pars, sed caput visibile, quod præeminet, & potestatis plenitudine virtutem vitalem, & operatiuam influit, quo attento respectu vix est, vt partis, aut membri rationem, aut denominationem admittat; congeruntur & pleraque alia leuiora, vt quod Papa sit propter Ecclesiam, vnde & ab ea pendeat; at & Rex est propter Regnum, & Pastor propter gregem, & tamen nec Rex Regno, nec Pastor subditur gregi. Quod Ecclesia dicatur Regina; at non per hoc Papam ei subdas, cui non incongruit nomen Regis, quod à regendo ductum; quod tandem dicatur Ecclesia sponsa, cui Papa non sit sponsus, sed paranymphus; at non inde arguas subiectum, quia sponsa dicit fidem per dilectionem operantem, non autem iurisdictionis, aut Imperij potestatem, siue Principatum in subditos; decoris, & amoris nomen est, nec per illud tutò supra Pontificem attollitur, quem non impropriè, & Sponsum Ecclesię dixeris, qualem se appellauit Bonifacius VIII. in *C. Quoniam. de immun. Eccles. lib. 6.* Non est igitur, cur inde eum subiectum asseramus; hæc attigisse, licèt leuiora, contenti, iam Pontificem Summum fundatè supra Concilium veneramur, tanquam caput supra corpus; quid impertiatur, aut influat, iam attigimus; at quia dotem communicat, de qua exactior, & fusior aliquantò exigitur disquisitio, ideò de ea obiter, sed ad rem perutiliter, agemus.

Hexamer. lib. 6. c. 9.

Lib. 11. c. 37



De

De Inerrabilitate Sacrorum Comitiorum, & vnde illa. Excursus.

1 *Vltra Sacram Scripturam esse necessarium alium iudicem exorientium in Ecclesia quæstionum.*
2 *Hæc Auctoritas tributa Ecclesiæ Optimatibus in Concilio existentibus, sed in Concilio pleno, & perfecto, quod declaratur.*
3 *Concilij inerrabilitas adstruitur, & confirmatur.*
4 *Impetitur obiecto inerrabilitatis prærogatiua, & inde ad eam confirmandam processus.*
5 *Quomodo Concilio competat, & quomodo Concilium totam Ecclesiam repræsentet.*
Examinatur celebris sententia S. Cypriani in libello de Vnitate Ecclesiæ.

1 ECCLESIA ex hominibus constans, vt sæpius tetigimus, humano etiã modo fuit disponenda, vt & per humana media congruè, & apposite regeretur; quæ autem est humana imperfectio, & imbecillitas, quæstionis, & controuersiæ cum debeant oriri, Iudex etiam fuit statuendus, qui quęstiones ipsas, aut circa fidem, aut circa disciplinam exorientes dirimeret, ac veritatem, ne aut obrueretur, aut corrumperetur superseminatis zizanijs, congrua auctoritate assereret. Dedit quidem Deus, cuius prouidentia in necessarijs non deficit, Ecclesiæ suæ regulam perennem, ac infallibilem, qua duce ad veritatis examen, & cognitionem tutò, ac inerrabiliter dirigatur, Sacram scilicet Scripturam, & traditiones, ad cuius vtriusque amussim verùm à falso, siue quà fidem, siue quà disciplinam respiciat, discernere valeat; hanc ipsam scripturam iudicem earundem exorientium quæstionum vnicum sectarij voluere; at verò sit regula, sit Iudex, non tamen sufficiens est; nam Iudex quidem, at mortuus, qui nec quæstionum vim, ac momenta audire, nec litigantes discernere, aut distinguere potest; regula; sed muta, quæ semel locuta ampliùs loqui sine interprete nequit, nec dirigere sine applicante, ideò iudex aliquis viuus fuit statuendus, qui & sensa diuinæ scripturæ assequi, ac exponere valeat, & traditiones ipsas tanquam regulas exigentię operis applicare, & iuxta vtriusq; directionem, ac lumen controuersias emergentes discutere, ac diffinire.

2 Auctoritatem hanc necessariam adeò, adeòque sublimem dedit Deus Ecclesiæ suæ, at per eos exercendam, quibus ab eodem tota potestas tradita, & per quos tota Ecclesia, & repræsentatur, & regitur; hi autem non alij, quàm Optimates, & Patres non seiuncti, sed in maioribus Comitijs, ac in plenario Concilio collecti, quod quidem plenarium Concilium non aliud, quàm Concilium, cui Summus Romanus Pontifex præsideat, & ex quo tanquam ex capite cum reliquis Patribus tanquam membris perfectum corpus constituatur; huic cor-

corpori data auctoritas dubias fidei quæstiones diffiniendi, & circa disciplinam controuersias dirimendi, ipsique prefixa regula, qua vtatur, verbum scilicet Dei Sacra Scriptura exaratum, & non scriptæ traditiones à Dei ore Apostolis communicatæ, & ab Apostolis in Ecclesiam transmissæ, ac ab ipsa Ecclesia tanquam thesaurus custoditæ.

3 Hoc Concilium perfectum, & plenum vltimus, ac supremus Iudex est controuersiarum, si quæ circa fidem, aut disciplinam exoriantur; huic à Christo Domino impertita auctoritas, & data necessaria infallibilitatis prærogatiua, vt Ecclesia tutò dirigi queat, & sine errore progredi; non theoretica hæc, aut merè speculatiua inquirendi, aut scrutandi auctoritas (vt iam diximus) sed practica, & operatiua, quæ inquirat, scrutetur, cognoscat, sed & insuper diffiniat, determinet, ac iubeat; traditæ huius auctoritatis vtcumque plura loquantur testimonia, quale illud. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo in medio eorum sum*; & illud; *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Vnde, & Apostoli in primo illo Concilio Hierosolymis congregato, *visum est Spiritui Sancto, & nobis*. Hæc tamen conantur eludere sectarij, aut tanquam nimis generalia, aut nimis remota; ideò certiùs impertitam hanc diuinam auctoritatem Concilio probabit perennis in Ecclesia obseruatio, quæ demùm in diuinam traditionem potest irrefragabiliter resolui. Videas enim (vt supra obseruauimus cum Baronio) Christum Apostolis suis altissimam de filio hominis quæstionem proponentem, singulorum vota excipientem, & Petri sensum diuinitùs instillatum commendantem, & per hæc normam celebrandi Concilij præscribentem; videas post Christi Ascensionem eosdem Apostolos excitata inter fideles de legalibus quæstione conuocare fratres, controuersiam discutere, ac auspice Petro diffinire, videas successiuè per omnia sæcula in dubijs fidei quęstionibus conuocata Episcoporum Comitia, condita decreta, eaque & credenda, & seruanda fidelibus proposita, & quis dubitet, Apostolos mutuatos à Christi ore in prima illa Concilij celebrandi norma doctrinam, quæ cum forma Concilij, & auctoritatem fundaret, quæ subinde & opere, & verbo Ecclesiæ communicata perennis adhuc duret tanquam regula in similibus semper seruanda, & adeò certa, quàm non minùs certa est traditionis auctoritas, quàm scripturæ, cui traditæ auctoritati planè consequens est, vt & inerrabilis sit, ac infallibilis, qualem omni æuo agnouere Sancti Patres omnes præsertim de auctoritate Nicæni Concilij loquentes, quo nullum maiùs, at insignius eo tempore existebat; successiuè quicumq; de Concilijs scripsere inconcussa semper dixere, quæ in Concilijs essent definita, tanquam terminata supremo, ac irretractabili Ecclesiæ iudicio, & obuenientia non tam humana, quam diuina, & à Spiritu Sancto inspirata auctoritate; vnde *Ambrosius* scribens Valentiniano Augusto *Hoc scriptum est in Ariminensi Synodo, meritòque Concilium illud exhorreo, sequens tractatum Concilij Nicæni, à quo me nec mors, nec gladius poterit seperare*. Aliàs enim si tantæ, & irrefragabilis fidei

Matth. c. 18.

Ioan. c. 16. 13.

Act. c. 15. 28.

Epist. 13. vers. fin.

non

non essent conciliaria decreta, nullum esset in Ecclesia iudicium, quo possent emergentes de fide controuersiæ terminari, & componi, & vnitas Ecclesię seruari, malèque esset à Chisto Domino consultum, si regulam hanc certam, ac infallibilem, ad quam veritatis examen possit haberi, non statuisset; nunquam enim hæreses possent retundi, & extingui, si hoc iudicium Ecclesiæ tanquam fallibile possent euadere hæretici, ac declinare, dicendo Ecclesiam in ipsorum condemnatione deceptam fuisse; immò Ecclesia ipsa Concilia ritè, & rectè celebrata colere, & venerari non posset, si posset suspicari eorum decreta errore aliquo laborare posse; & tamen Concilia huiusmodi semper venerata adeò est, vt D. Gregorius Magnus quattuor illa prima generalia Concilia coli, ac suspici, quasi quattuor Euangelia, voluerit; neq; per hoc est, cur insurgant sectarij, & insultent, nos scilicet Dei verbum, ac Scripturam Diuinam Concilijs subijcere, atque hominum decreta ipsi præferre, dum Concilijs iudicium damus in controuersijs fidei, quæ non aliunde, quàm ex Dei Verbo, & Sacra Scriptura debent diffiniri; verùm absit hoc, quod nec imaginantur fideles, qui Sacram Scripturam non subdunt, sed anteponunt Concilijs, ipsamque vnà cum traditionibus cynosuram, & normam conciliorum agnoscunt, & si quando pendere scripturam à Concilijs dicatur, aut legatur, non id censendum quòad auctoritatem, & per se, sed quòad intellectum, explicationem, & fidelium instructionem, in quibus non à priuato cuiusque spiritu, sed à publico Comitiorum decreto securitas expectanda est.

4 Vt autem (obijcietur) certa impertita Comitijs, & Concilijs diffinitiua auctoritas, non tamen adeò euidens infallibilitatis prærogetiua, quam hucusque supponimus; non enim humana illa est, sed planè diuina pręcipuè circa ea, quæ sunt fidei, quæ & ipsa supernaturalia, vnde & traditâ esse debet, vt de ea possit constare, ac eam asserere valeamus. Infallibilitatem igitur in Concilijs, adeòque in Ecclesia agnoscimus, at non immediatè ipsi Patrum conuentui traditam, sed Capiti totius Ecclesiæ, & ab eo in successores tanquam ordinarij muneris prærogatiuam transmittendam, id enim vnitas Ecclesiæ, quam maximè Christus Dominus spectauit, exposcere visa est, vt tota iudicij supremi securitas à Capite penderet, & ibi fulgeret infallibile cognitionis lumen, vnde fæliciter in totum corpus deflueret, nihilque posset iactari certum in membris, quod Capiti non consentiret. Prærogatiuam igitur tantam Petro Apostolorum, & & Ecclesiæ Principi contulit, cum passioni proximus ipsum sic est allocutus; *Simon, Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum; Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Verborum consideremus seriem, quæ quidem, vt Petrum immediatè tangunt, ita quidquid per ea largitur Dominus Petro, & non Ecclesiæ traditum probant; ingeminatur personale nomen *Simon, Simon*, designatur præcipua, ac singularis persona exceptiuè quòad alios adstantes, dum dicitur *Pro te, fides tua*

Luc. cap. 22. 31.

tua, *tu fratres tuos*; quibus verbis nil personalius exprimi potest. Discrimen omnibus commune enarrabat Dominns omnes intuens Apostolos, *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, velut triticum.* Moxque sermonem immutat, ac restringit. *Ego autem rogaui pro te*, non immutaturus sanè, si de omnibus, ac de tota Ecclesia sic loquens sentitet, ad quam nec respexit, cum continuans attexuit; *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*; quos tanquam confirmandos opponit confirmanti.

Orauit igitur pro Petro Christus, ac geminum ipsi impetrauit priuilegium non Ecclesiæ, vt nonnulli volunt, sed in Ecclesiæ vtilitatem, & bonum. Alterum, ne vteumque tentatus fide caderet, idq; aliquid ampliùs, quàm perseuerantiæ finalis donum, cum qua stat, vt quis cadat, & resurgat, dum in fine vitæ fidem habeat; donum verò Petro impetratum eum reddit ab omni fidei lapsu immunem, quod eredi potest, non adeò Petri proprium, quin & successoribus competat, confert enim ad Ecclesiæ bonum; iuuat ita credere, at non fide diuina necessariò credendum. Alterum, ne ipse tanquam Pontifex, & Ecclesiæ Caput posset ex Cathedra aliquid à vera fide alienum docere, & hoc datum Petro tanquam Ecclesiæ Capiti, atque Pontifici, adeòque in successores legitimos transmittendum. De primo priuilegio *Augustinus*, *Quandò rogauit, vt non deficeret fides eius, rogauit, vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem, idque respicit personam Petri, non Ecclesiam*; *hoc enim, vt vehementius cum tangeret, dicebat* (inquit Chrysostomus, qui mox inferius) *quomodò igitur negauit? Non dixit quippe non negabis, sed vt non deficiat fides tua*; *cura enim ipsius, atque fauore factum est, ne omninò Petri fides euanesceret* De priuilegio secundo *Sanctus Leo Magnus* disertissimè ad vtrumque respiciens, *Quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit.*

Lib. de cor. rep. & grat. c. 8.

Homil. 83. in Matth. vers. med.

Serm. 3. de Assump. sua Vers. fin.

En priuilegium primum; *In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur*; En secundnm. Haud absimiliter & Petrus Chrysologus inter præliminares Epistolas Chalchedonensis Concilij; sed & D.Bernardus excitans Innocentium Summum Pontificem ad comprimendas Petri Abailardi Hęreses ex munere Sedis suæ. *Hæc quippè* (ait) *huius prerogatiua sedis*; *cui enim alteri aliquando dictum est, ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur à Petri Successore exigitur*; *& tù aliquando conuersus confirma fratres tuos*; & paucis interiectis; *In eo plane Petri impletis vicem, cuius tenetis & sedem*; *si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores.* Hæc Bernardus, quem hieromonarchicum carpit infęlix nescio quis Neotericus; neque est eur excipiatur fortasse, rogasse Chistum pro Petro,

Epist. 190. in pr.

at

at non pro Romana Sede, quæ tunc nondum erat instituta, quia immò dum rogauit pro Petro rogauit pro Apostolica Sede, quæ Romæ erat figenda, quando Pontificatus erat ei fęliciter inferendus; sicuti nec vrgebit, si dicatur, verba illa, *& tu aliquando conuersus* non posse in successoribus Petri impleri, quos necesse esset omnes labi, & peccare, vt dici possent conuersi; non enim hæc conuersio intendit Petri pænitentiam, sed motum potius, quo aduertens fratres aberrantes ad eos respiciat, sicq; nutantes confirmet; & si velimus ly *conuersus* alludere ad Petri pœnitentiam, non tamen sit inde necesse, vt & lapsus, ac pænitentia in successoribus esse debeat; nam quod peccauerit Petrus, fuit error personæ, at quod fratres cofirmet munus est Capitis, & Principis, quod in successore est semper idem. Petrò demum à Christo Domino fuit dictum *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, cui & additum *Pasce oues meas*. Petra & fundamentum, & immutabilem stabilitatem indicat, cui immutabiliter, & immobiliter nitatur ædificium; pascendi verbum, vt pastorem constituit, ita Ecclesiam obstringit, vt docentem audiat, & monenti pareat; ne ergo aberret Ecclesia, nec Pastor errabit.

Matth. c. 16.

Ioan. c. vlt.

Inde igitur dimanat in totam Ecclesiam, quam generale Concilium repræsentat, infallibilitatis securitas, vbi de fide, & moribus agitur, quæ eximia prærogatiua data Capiti, vt inde in totum corpus influeret, & data in Ecclesiæ bonum, non tamen ipsi Ecclesiæ immediatè, quam non legimus in ea largienda Christum Dominum allocutum, cum præsertim ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam maximè proficuum prospiceret, si in capite, & non in corpore toto munus tantum collocaretur; errarunt ideò, si quæ fuere sine Romani Pontificis auctoritate congregata Comitia, aut ab eo non confirmata, & approbata Concilia, Constantinopolitanum sub Leone Imperatore, Ephesinum secundum, Sirmiense, tanquam destituta necessario Capitis influxu, quo influente infallibile redditur Comitiorum iudicium, de quibus maximè accipitur, quod à Christo Domino dictum; *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo in medio eorum sum*, præcipuè si verba hæc ad præcedentia, & consequentia referantur; qua suffulti præsentia Apostoli in primo Hierosolymitano Concilio fidenter enunciauere; *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*. Quod si id asseruit primus ille Conciliorum typus, & exemplar, haud minùs profiteri poterunt quæcumque sunt subsecuta, & sequentur, dum tamen legitima, fallere si quidem, aut deficere non potest Christi Domini promissum; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sęculi.* Quod si ex quocumque defectu, & pręsertim ex defectu influxus Capitis, non sint Comitia legitima, deficiet promissa assistentia, nec aderit inerrabilitas, neque enim tunc dici potest, quod Ecclesiam repræsentent, quam quidem representationem non ita accipiendam aduertimus, vt potestas, quæ sit in Ecclesia, communicata Patribus ab ijsdem in Concilio tanquam Ecclesiæ Commissarijs, & delegatis exerceatur, vel non ita, vt quilibet Episcopus totam repræsentet Ecclesiam, quæ ita sit vna, vt

Matth. c. 18.

Act. c. 15.

Matth. c. 28.

eius sit Episcopatus vnus, cuius quilibet Episcopus in solidum administrationem gerat, in cuius confirmationem sensus profertur insignis *D. Cypriani* auctoritas in aureo libello suo de Vnitate Ecclesiæ, vel de simplicitate Prelatorum. *Episcopatus vnus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur*; sed ita, vt quęlibet Ecclesia sit in suo Episcopo, omnes Ecclesiæ sint in omnibus Episcopis; vnde quod ab omnibus Apostolis geritur gestum etiam ab omnibus Ecclesijs intelligatur; vel ita, vt in sæculari Republica, & in Regno gestum à tota Repuulica, & à Comitijs gestum à toto Regno intelligitur, ita gestum à Patribus in Concilio, id gestum à tota Ecclesia etiam intelligatur, quæ in Prelatis suis, penes quos est tota potestas, quidquid geritur approbat, & confirmat. Absit autem, vt credamus Sanctum Martyrem Cyprianum id voluisse, vt Ecclesia ita sit vna, vt eius sit Episcopatus vnus, cuius in solidum partem quilibet Episcopus gerat, vnde & quilibet totam repræsentet; absit ab eo Ecclesiæ Doctore tale monstrum, quod poliarchicum Ecclesiæ regimen induceret, totum ordinem, ac totam regiminis dispositam seriem per superiores, ac inferiores turbaret; apertè nimis mentem suam in eodem libello de vnitate Ecclesiæ expressit Cyprianus ab eo sensu planè alienam, qui ipsi ab hostibus veræ veritatis appingitur. At expressè dixit, *totius Ecclesiæ esse Episcopatum vnum*; verissimè dictum; tum quia Summus Pontifex totius Ecclesiæ Caput, est etiam vnus totius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, qualem se subscribere intuemur; non tamen per hoc excluditur, quin in eadem Ecclesia sint particulares Episcopatus, quorum singuli Episcopi, vt Ecclesiam suam distinctè regunt, ita & repræsentant inconfusè, tum etiam quia idem D. Cyprianus ibidem ita loquitur, vt cum vnitate, quam profitetur, non pugnet Episcopatuum, & Ecclesiæ partitio in regimen aptius; ait enim *loquitur Dominus ad Petrum; ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam pertram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam &c. & eidem post Resurrectionem suam dicit; Pasce oues meas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata remittuntur eis, tamen, vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit; hoc erant vtique, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædití & honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficitur, vt Ecclesia vna monstretur.*

Circa princ.

D. Cyprianus lib. 4. Ep. 9. vers. fin.

Hanc paritatem inducebat gradus Apostolatus, qui vniuersalem in Ecclesiam potestatem secum ferebat, at vt fuit ordinaria in Petro, ita in Apostolis extraordinaria, & cum eorum vita terminanda, nec in ea succedunt Episcopi, sed in solo Episcopali gradu, qui ita in Ecclesia est dispositus, vt pendeat ab vno, & stet inconuulsa series superiorum & inferiorum, & inferiorum, & dependentia ab vno; quod ipsum expressit eleganter ibidem Cyprianus in ea verba. *Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latiùs incre-*

mento

mento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radij, sed lumen vnum tenaci radice fundatum; & cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine, En cum vnitate diuersitatem, & distinctionem ex eodem Cypriano; addas, & dici posse Episcopatum vnum ordine inspecto, qui in quolibet Episcopo par, & quolibet idem, quemque vbique in tota Ecclesia seruatis debitis circumstantijs potest exercere, salua semper Diœcesum distinctione & quolibet Episcopo suã, & regente, & repræsentante, vnitate in Capite & in radice salua. A capite igitur, & cum capite tota Conciliorum auctoritas; à capite tota infallibilitatis prerogatiua in Ecclesiam, prout in Comitijs repręsentatur, quæ non potest sibi sine Capite de ea dote blandiri, cum nullibi à Christo Domino sibi promissam separatim, nedum collatam habeat. Hæc de generalibus Comitijs satis, tum quòad fidem, tum quò ad disciplinam, cuius custodia, & instauratio ab ipsis maximè pendet, vt Patres in Concilio Turonico secundo ipsum auspicantes scitissimè pronunciarunt; si autem adeò vtilia, immò necessaria Comitia, cur sit intermissus eorum vsus dicemus infra opportunius.



CAP. VII.

De Nationalibus Comitijs.

1 *Nationalium Comitiorum Occasio, & Origo.*
2 *Eorum praxis, & vsus tum in Oriente, tum in Occidente.*
3 *Quænam in ipsis diffinirentur causæ, & quænam sint causæ communes in Canone Africano.*
4 *Quid de causis Presbyterorum Episcopis inferiorum, & earum appellatione vetita extra Africæ fines.*
5 *Cur defecerit eorum Comitiorum vsus, immò & generalium.*



PVLCHRE, & ad rem, quam aggredimur perappositè Sanctus Leo Magnus scribens ad *Anastasium Thessalonicensem Episcopum. Magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis Prouincijs, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursus quidam in maioribus Vrbibus constituti solicitudinem susciperent ampliorem, per quod ad vnam Petri Sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vnquam a suo capite dissideret.* Ep. 84. in fin. Rectissimè; ibi enim saluberrimæ vnitatis consistit ratio, vbi superiorum, & inferiorum connexa seruatur series, indeq; nationalium Comitiorum occasio, & origo.

1 Huc reuocamus, at non repetimus exactè, tradita iam supra

cum de Primatibus ageremus circa distributam à Constantino Magno Imperij administrationem in quattuor partes, quarum quælibet vni Præfecto Prætorio subdita ex pluribus Prouincijs constans Diœcesis dicta; diuisionem ipsam tum in Orientali tum in Occidentali Imperio ibidem tradidimus cum multiplici Diœcesis acceptione, & significatione, eamque præsertim indicauimus, quæ ad rem pertinet, quæ singula hic repetere omittimus consultò, mutuari enim inde legenti facilè licebit.

Eandem assumere dispositionem regiminis constituerunt Apostoli, & piè permiserunt Imperatores, largientes, vt sicuti vnicuique Diœcesi præerat Vicarius Præfecti prætorio, Proconsul, vel alius Magistratus illustris, qui ius dicebat pro more eius æui in publicis Prouinciarum conuentibus iuridicos habens conuentus, ità liceret Episcopis conuentus Prouinciarum, & totius Diœcesis agere, in quibus eorum causæ terminarentur. Confirmarunt Valens, Gratianus, & Valentinianus Cæsares constitutione, quæ legitur in *Cod. Theodos. & est l. 23. sub tit. de Episc. & Cler.* Diximus confirmasse Cæsares istos, neque enim admittimus, quod Auctori grauissimo fuit visum, immò eosdem Cæsares primos concessisse, vt generalem huiusmodi Synodum Diœceseon Episcopi plurium Prouinciarum celebrarent; nam & ante eam legem generalia diœceseon concilia celebrata sunt ordinario iure non extraordinario Imperio, vt docet *Canon. 12.* Antiochenus anno Christi 341. & sic annis 35. ante hanc legem, vt notauit *Iustel.* indixerunt igitur Concilia, quæ nationalia appellamus; vtcumque interpres Anianus minus attingens significationem vocis *Diœceseos* legem accipiat de Synodis Episcopalibus, & ordinarijs; lubet verba legis adscribere. *Qui mos est Causarum Ciuilium, idem in negotijs Ecclesiasticis obtinendus est, vt si qua sunt ex quibusdam dissensionibus, leuibusq; delictis ad religionis obseruantiam pertinentia locis suis, & à suæ Diœcesos Synodis audiantur.* Homonimiæ vocis *Diœceseos* non attendit Anianus, qui communem vsum secutus *Diœcesim* pro territorio Episcopi accepit; isque vsus Africanorum Canonum exemplo adeò inualuit, vt & ad alias Ecclesias demùm permeauerit; cum tamen in legibus, & constitutionibus Codicis Theodosiani, Iustiniani Nouellis vox *Diœcesis* regulariter accipiatur pro collectione, & tractu plurium prouinciarum, sicut supra à nobis aliàs obseruatum, & notauit Iacobus Gotthofredus ad supra scriptam Cæss. constitutionem, non secus ac prouincia pro collectione accipitur plurium Episcopatuum, quæ enim est ditio, aut territorium cuiuslibet particularis Episcopi apud Græcos *Parœcia* dicitur *Can. 9. Antioch. Concil.* quem vocis vsum retinuit & Dionysius Exiguus in versione sua, sed tandem hæc vox ipsa translata est ad ambitum significandum, intra quem clauditur animarum cura cuique Rectori, siue Parocho, & Curioni credita.

In Præfat. ad cod. Can. Eccles. Aphrican.

2 Hanc Principum, & Imperatorum Constitutionem tanquam Ecclesiasticæ politiæ, & administrationi disponendæ peraccomodam reassumpsere, & per Canonem suum probauere Patres Constantinopolitanæ

tanę Synodi primæ, & generalis secundæ, quæ anno 383. celebrata fuit, statuentes, *Alexandriæ quidem Episcopi solius Orientis curam gerant seruatis honoribus primatus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in Regulis Nicænæ Synodi continentur, sed & Asianę Diœcesis Episcopi ea, quæ sunt in Asia, & quæ in Asianam tantummodo Diæcesim pertinent, gubernent. Ponti autem Episcopi Ponticæ tantùm Diœcesis habeant curam, Thracię vero ipsius tantummodo Thraciæ.* Quæ Canonis verba distributam Ecclesiarum administrationem per Prouincias sub oculos exhibent, in quarum qualibet plures contineantur Episcopi vnum veluti corpus constituentes, quilibet primùm sub vno Metropolita, & Metropolitis pluribus vnus præesset tanquam vastioris corporis Caput, qui immediatè Patriarchæ subesset, isque diceretur Exarchus, siue Primas, vt alibi fusiùs.

Can. 11.

Indeque nationalis Synodi, siue nationalium Comitiorum resultat origo, & veritas Ecclesiasticis monumentis consignata; quorum vsum egregiè confirmat *Can.6.* Constantinopolitani eiusdem Concilij apud Balsam. cuius ea verba. *Sed si nonnulli &c. dicant se habere aliquas aduersus Episcopum criminationes eos iubet Sanctus Synodus primùm quidem apud Prouinciæ Episcopos accusationem persequi, & apud eos probare crimina Episcopi, qui aliquarum rerum accusatur, quod si euenerit, vt Prouinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt, corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad maiorem Synodnm Diœcesis illius Episcoporum pro hac causa conuocatorum.* Et en Primatialia Concilia, quæ de Prouincialibus iudicant; quamuis Canon suprascriptus vterque Constantinopolitanus (qui certè antecessit erectionem Sedis Constantinopolitanæ in Patriarchalem, quæ facta fuit postea in Concilio Chalcedonensi) intelligendus de Diœcesibus tantùm Imperij Orientalis, & non Occidentalis, quarum Occidentalium Diœceseon, vt legenti constat, nulla ibidem habetur mentio; nec immeritò; cum enim costaret Synodus ex solis Episcopis Orientalibus, non intendit statuere, aut se ingerere in Ecclesias Occidentales, & earum regimen disponere; quomodò autem ea sit, & dicatur nihilominus generalis iam dictum supra. Vnde factum, vt & Primatum institutio potissimum in Oriente viguerit, vbi vnaquęque Diœcesis suum Exarchum, siue Primatem habebat, qui post Canonem illum secundum Syuodum suæ Diœcesis poterat conuocare absque vllo Imperatoris impetrato permissu, & illo ipso iure, eaque auctoritate, qua Patriarcha Patriarchalem Synodum cogere poterat.

In Occidente autem vsque à tempore Constantini licet intueri Synodos Diœceseon, siue regionalia Comitia, quorum formam spectare fas est in Concilijs Africanis. Episcopus enim Carthaginiensis tanquam Primas poterat Episcoporum totius Africæ conuentum adunare, ac celebrare generale Concilium, ad quod Synodi particularium prouincialium à suis Metropolitis conuocatæ Legatos mittebant, & ideò à confluentibus totius Africæ in vnum Episcopis vniuersale huiusmodi Concilium dicebatur, sed tamen nec

erat,

erat, nec dici poterat œcumenicum; sic namque appellatum vniuersale obseruamus Can. 19. Africano, & Cod. Can. Eccl. Afric. preter Prouinciarum Legatos colligebant aliquando Episcopi maiorem etiam Episcoporum numerum, prout rei pertractandę grauitas exposcere maximè videbatur, vt indicat Epistola Concilij Carthaginiensis To.1. Conc. sexta ad Bonifacium Papam I. & subscripta nomine Episcoporum Africanorum, *qui præsentes ad fuimus num.* 217. *ex omni Concilio Africæ*. Quod factum vidimus in Diœcesi Africana idipsum obseruarunt, & cęteræ Occidentis Diœceses. Synodus namque Illyriciana ad Asianam scripsit, & Damasus Summus Pontifex ad Illyricianam Lib.4. c.8. apud *Theodoretum*, quæ Synodus certè alia non erat, quam omnium Episcoporum Illyricianæ Diœcesis.

Hispanicas Prouincias sua etiam habuisse nationalia Comitia indicat Toletanum primum celebratum anno circiter 400. Gallicana Diœcesis & ipsa suas conuocauit Synodos; luculentissimum exhibet testimonium fidei professio Valentiniani, & Valentis Cæss. ad Synodum Asianam missa apud *Theodoretum*. d.lib.4. c.7. in fin. *Nos autem non aliter sentimus* (ait ibi professio) *atque duo Concilia quorum alterum iam Romæ, alterum habetur in Gallia &c.* quæ duo Concilia proponuntur tanquam contradistincta, & diuersa; huiusmodi fuit Aquileiense, cui Ambrosius interfuit. Duas in Italia fuisse Diœceses aliàs iam obseruauimus, quarum altera propriè dicebatur Italia ex septem Prouincijs constans, cui præerat Mediolanensis Episcopus. Altera vero Vrbicaria ex decem Prouincijs, quæ spectabat ad ordinariam Synodum Patriarchalem Romani Pontificis, ad quam sæculo quinto spectabat & Italia tota. Conuocabantur autem Nationalia hæc Comitia ad causas Ecclesiasticas dirimendas, idq; testantur Africana Concilia, quorum frequentior fuit vsus, & prostant adhuc testimonia, ac monumenta; in Codice namque Canonum Ecclesiæ Africanę hęc leguntur. C.18. *Confirmandum est in hac Sancta Synodo, vt secundùm Nicæna statuta propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpius veterascunt, singulis quibusque annis Concilium conuocetur, ad quod omnes prouinciæ, quæ primas Sedes habent, de Concilijs suis binos, aut quantos delegerunt Episcopos Legatos mittant, vt congregato conuentu plena possit esse auctoritas*. Sicque Africani Patres à Nicænis Canonibus auctoritatem sibi adstruunt; quamuis enim Nicęnus Canon quintus de Concilijs conuocandis bis in anno pro qualibet Prouincia loquatur, attamen rationabile est Synodum ex pluribus prouincijs conuocatam non minoris auctoritatis futuram, si fuerit frequentior, cum maximè ad vnitatem fouendam in Ecclesia proficiat; vnde quasi à proportione arguunt Africani Patres ab ipsa Nicæna, qua eadem illatione vsa est & Constantinopolitana dicto Canone vndecimo, à qua Nationalia hæc Concilia suam agnoscunt originem.

3 Materiam autem euidentiorem eorumdem exhibet Can. 95. ex eodem Africano Codice ita decernens. *Placuit, vt non sit vltra fatigandis fratribus anniuersaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, idest totius Africæ, vnde-*

decumque ad hanc sedem de hac re data litteræ fuerint, congregandam esse Synodum in ea prouincia vbi opportunitas persuaserit; causæ autem, quæ communes non sunt in suis prouincijs iudicentur. Declarat quidem Canon, quid intelligat per causas communes, nempè *totius Africæ*, at verò qualitatem propriam causæ hæc expositio non indicat, quæ aliquid vlteriùs exigere videtur. *Balsamo causas communes* interpretatur dogmaticas, easque à priuatis, siue specialibus distinguit, quæ scilicet inter Clericos, & Episcopos versantur; verè quidem, non tamen plenè; nam dogmaticæ causæ, quæ dogmata, & fidem respiciunt, sunt quidem & communes, & maiores, sed non solæ; ideò *Causas communes* interpetabimur non solùm dogmaticas, & fidem respicientes, de quibus Synodum generalem celebratam in Africa constat, vt Chartaginensem contra hæresim Pelagij, sed & alias tendentes, aut ad Ecclesiasticam politiam ordinandam, aut iurisdictionem tangentes, aliasuè huiusmodi, quæ ad regimen, aut disciplinam spectarent, vt notat *Gothofredus*; his addere possumus, & institutas accusationes aduersus Episcopos, quatenus in iure, aut libertate erat accusati, aut respondere in Synodo suæ prouinciæ, aut in Synodo generali *Cap. 1. de Iudic. & Can. 90. Concil. Carthagin.* qua de re nos alibi fusiùs cum de Iudicijs Ecclesiasticis agemus.

Ad Can. 98 Conc. Carthagin.

Ad l. 23. C. Theod. de Ep. & Cler.

Apud Balsam.

4 Circa Presbyteros verò Episcopis inferiores varia fuit obseruatio; Canone siquidem 125. ijsdem indicitur, vt si se grauatos conquerantur iudicio sui Episcopi, *Non prouocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates prouinciarum suarum*: Sic enim & Africanum Concilium scribens ad Cœlestinum Romanum Pontificem; *quia vnicuiq; concessum est, si iudicio offensus fuerit Cognitorum, ad Concilia suæ Prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare*, quod pugnare videtur cum *Can.* 28. quo ijsdem Clericis, & Presbyteris inhibetur; *nè aliò prouocent, quàm ad Primates suarum Prouinciarum, aut ad Vniuersale Concilium*. quæ tamen componuntur facilè per ea, quæ supra ad *Can.* 95. tetigimus circa causas communes, & non communes; communes namque ad Generale Concilium totius Africæ, non communes verò ad Synodum Prouinciæ deferri iubentur; vnde si causa inferioris Clerici non communis ob superuenientem aliquam peristasim ita immutaretur, vt fieret communis, vel vir, de cuius causa agitur, eius esset conditionis, vt tutò, & expeditè exitus causæ sperari non posset, vel si in iudicio iurisdictionis conflictus oriretur, facta tunc causa communi ad generale totius Africæ Concilium erat prouocandum, quod tamen non excludit, quò minùs, si præ Canonum obscuritate res anxia, & inuoluta redderetur ad solutionem nodi relatio fieret ad Summum Pontificem, & Apostolicam Sedem, vt supra iam obseruauimus; quamuis enim Africani Patres appellationes extra Africam auersarentur, primatum tamen Romani Pontificis non per hoc lædi credebant, vt optimè notat *Franciscus Turrianus* At vbi clari essent Canones, & negotium liquidò decisum, intra prouinciam terminabatur iudicium, nec concedebatur appellatio ad generale Concilium Africæ, in quo, si quę causa com-

Cod. Can. Eccl. Afric.

In act. Concil. Afric. to. 1. Conc.

Cod. Can. Eccl. Afric.

Aduers. Magdeburg. lib. 3. c. 1.

communis fuiſſet diffinita, vel etiam in prouinciali aliqua non communis, ibi ſiſtebatur, nec dabatur confugium ad tranſmarina iudicia, ſic enim *d. C.28. in fine*. *Ad transinarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam ad communionem ſuſcipiatur*, & idem repetitur *d. Can.* 125. immò nec ſunt veriti Africani Patres ſcribere Summo Pontifici Cæleſtino. *Presbyterorum quoque, & ſequentium Clericorum improba refugia ſicut te dignum eſt, repellat ſanctitas tua, quia nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ*: fuit hic conſuetus Eccleſiæ Africanæ typhus, quem tamen retudit ſemper Zoſimus, & qui eum ſunt ſecuti Romani Pontifices, de quo non eſt hìc locus diſſerendi latiùs. Canones condidere hæc ipſa Africana Concilia, ſed eatenus obſtringentes, quatenus à Sede Apoſtolica eſſent confirmati, præcipuè ſi non de diſciplina, ſed de fide quidpiam ſtatuerent.

Supra cit. Epiſcopis.

5 Hic fuit comitiorum Nationalium vſus, per totum illud æuum, quo viſus eſt frequentandus; mutata autem rerum facie, & hæc comitiorum conuocatio viſa eſt dimittenda, immò ex ſe euanuit, nam, vt de generalibus concilijs notauit *Card. Pallauicinus*, in myſtico Eccleſiæ cęlo nulla eſt aut difficilior coniunctio, quæ fiat, nulla periculoſior, cum facta, quàm generalis Concilij conuocatio; & quòuſque humanę res ita ſe habent, extra vrgentiſſimam neceſſitatem huiuſmodi conuocationem aggredi eſſet Deum ipſum tentare, & Eccleſiæ vnitatem in apertum diſcrimen adducere, quæ eſt ratio, propter quam generalia Concilia, quamuis adeò vtilia, & commendata, non tamen celebrentur. Hanc ipſam Eccleſiæ diuiſionem facilè nimis portenderent hæc Nationalia, quæ tamen, vt iam diximus, per ſe conciderunt; Africa enim, in qua frequentiora fuere huiuſmodi Comitia, & vnde eorum ideam reperiuimus, & quaſi è ruderibus eruimus, ſub barbariei iugo gemit, indèque exulat expulſa Eccleſia. Ab Oriente pulſum Euangelium aufugit, ac viuit in ſolo Europæ ſinu Pontificia Maieſtate, & auctoritate, Chriſtianorumque Principum pietate cultum, ac defenſum. Præſidet toti Eccleſiæ Romanus Pontifex, aſſidet Purpuratorum Senatus, cuius in promptu conſilium erumpentibus Eccleſiæ neceſſitatibus occurrit; Congregationes Eminentiſſimorum Cardinalium ſunt introductæ, ad quas tanquam ad oracula Eccleſiæ, & earum Præſules poſſunt confugere; nulla eſt hæreſis, quæ iam ſatis, ſuperque non ſit damnata; vnde ceſſauit Comitiorum neceſſitas, & pręſertim Nationalium, quæ poſtremis hiſce quingentis, aut ſexcentis annis cœperunt poſthaberi, ſuadente etiam Eccleſiarum vtilitate, quarum intereſt, earum Epiſcopos, & Paſtores ab ipſis non adeò frequenter elongari, & abeſſe; demùm anguſtato Eccleſiæ ambitu, cum tot regna, & regiones defecerint à vera fide, monarchica & naturalis Eccleſiæ ipſius politia faciliùs, & fœliciùs poteſt exerceri, vno omnia regente ſupremo Capite, cum vnanimi inferiorum Prælatorum, & Paſtorum ad idem conſpirante conſenſu. Nationalia autem hęc Concilia è vetuſtatis ſinu eruiſſe, & elucidaſſe, nec inutile fuerit, nec iniucundum; iam ad alia tranſeamus.

Hiſt. Trid. Lib. 16. c. 10. n. & 10.

CAP.

CAP. VIII.

De Prouincialibus Comitijs.

1 *Fundamentum Prouincialium Comitiorum, & eorum diuisio in duo genera, quæ assignantur.*

2 *Concilia indicta, & repentina indicantur, & quodnam eorum præcipuum munus.*

3 *De tribus agitur, quæ in statis, siue annuis comitijs peragebantur, & primo de renunciatione, siue cessione Episcoporum.*

4 *Secundò de translatione Episcopi ab vna Ecclesia ad aliam, & de coadiutoria cum successione futura.*

5 *Iurisdictionis contentiosæ quæ peragerentur in Synodis Prouincialibus, & de causis inferiorum Episcopo.*

6 *Quid in causis criminalibus Episcoporum auctoritatis habuerint prouincialia Concilia, & circa eorum depositiones.*

7 *Saluam tamen semper fuisse Romanæ Sedis supremam auctoritatem, vbi & de Sardicensi Canone V.*

8 *Abijsse in desuetudinem hæc Concilia, & Cur.*

1 SVPPONIMVS suprà à nobis tractata, & tradita cum de Metropolitis, & Archiepiscopis ageremus, dispositam scilicet, ac distributam ab Apostolis Ecclesiam per Prouincias, quarum cuilibet præesset vnus; idque factum ad vnitatem illam fouendam, quam commendauit tantoperè Christus Dominus, ad quam intentissime respexerunt Apostoli, & à qua tota Ecclesiastici regiminis ratio maximè pendet: supponimus igitur plurium Ecclesiarum veluti corpus vnū sub vno Metropolitano tanquam capite, indeque prouincialia comitia aggredimur. Duo distinguemus prouincialium comitiorum genera, pro occasione duplici siue causa, propter quam conuocari consueuerunt; alia siquidem erant indictitia, aut repentina, alia stata, aut ordinaria. Prima illa repentina, aut indictitia tunc conuocabantur, cum se offerret occasio, puta cum per obitum alicuius Comprouincialis Episcopi vacante, & viduata Ecclesia noua electio, nouaque ordinatio Episcopi celebranda erat: alia verò stata, & certa Canonum decretis erant præfixa, & bis in anno, vel saltem semel erant habenda, & in eis causæ Ecclesiasticæ, & lites, cum ciuiles, tum etiam criminales discutiebantur, ac de regimine, recta totius prouinciæ administratione, & Ecclesiastica disciplina tractabatur.

2 Prima illa vtcumque repentina, & incerta, nihilominus vera fuisse, & dicta esse Concilia testatur Canon. 19. Antiocheni Concilij sic exordiens, *Episcopus præter Synodum, & præsentiam Metropolitani nullatenus ordinetur*. Eorum non illa fuit principalis intentio, vt scilicet Episcoporum electio in ipsis perageretur, sed vt facta electio examinaretur, & vbi nulla opponeretur exceptio, & electio ipsa subsisteret, ordinatio perficeretur; vsque ante Ni-

Nicænum Concilium primum, suffragio populi, & Cleri eligebatur Episcopus, nouique electi confirmatio ad Metropolitanum spectabat cum comprouincialibus Episcopis, qui hoc intuitu conuocabantur: firmat idipsum aperte Canon quartus Nicæni Concilij primi, Canon. decimus septimus Africani, & decimus nonus Antiocheni, qui ait, *cui melius erit* (Metropolitano scilicet) *si ex omni. Prouincia congregentur Episcopi*; Itaque Canones isti tria nobis exhibent; primò electionem approbandam ab Episcopis eius prouinciæ, cui subest Ecclesia, aut viua voce, si adsint, aut per literas si absint; secundò Ordinationem, siue consecrationem electi à tribus Episcopis peragendam; tertiò gestorum omnium confirmationem à Metropolitano pendentem; quod ipsum tractauit, & Laodicenum Concilium Can. 12. in ea verba, *Vt Episcopi iudicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circum circa sunt, prouehantur ad Ecclesiasticam potestatem, hi videlicet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quàm rectæ conuersationis exemplo*. Hæc de Episcoporum electione, & ordinatione in Synodo Prouinciali gesta, aut gerenda ex professo tractauimus agentes de Episcopis, & eorum electione, eòque lectorem remittimus, ne repetere eadem cogamur. Metropolitani verò, siue Archiepiscopi electionem fieri consueuisse ab omnibus prouinciæ Episcopis cum pleniori suffragio, quàm habuerint in comprouincialis Episcopi electione, idque propter rationem illam, quod cum omnes Prouinciæ Episcopi ijdem subiecti esse deberent, decebat, vt omnium explorato consensu præficeretur, qui omnibus præesse debebat; testatur *S. Leo Magnus* sic scribens Anastasio Episcopo Tessalonicensi. *Metropolitano verò defuncto, cum in locum eius alius fuerit subrogandus, prouinciales Episcopi ad Ciuitatem Metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium clericorum, atque omnium ciuium voluntate discussa, ex Presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur*. Hoc ordinationis, & electionis opus præcipuum, quod in Prouincialibus comitijs peragebatur, fuit hic breuitèr excurrendum, cum de prouincialibus ipsis comitijs agendum assumpsimus, nec tamen tria alia omittenda, quæ in eodem prouinciali conuentu explicari consueuerunt, eaque sunt cessiones, siue renunciationes Ecclesiarum Episcopalium, translationes Episcoporum, & coadiutoriæ cum successione futura. Ep. 84. c. 6.

3 Quamuis circa cessiones, siue renunciationes Episcoporum idem omninò videatur ius, ac circa eorum depositiones, quam materiam depositionis ad tractatum de causis, & Iudicijs Ecclesiasticis remittimus, attamen de renunciatione, ac de translatione, & coadiutoria differemus vtpote ijs, quæ in Comitijs prouinciæ annuis, & statis expediebantur, aliquid etiam tangentes de depositione quatenus & ipsa in ijsdem comitijs peragebatur. Constantiam, ac perseuerantiam Sacrorum Ministrorum in Ecclesijs, quibus semel essent addicti, commendauit nedum, sed & districtè iniunxit antiqua Ecclesiastica disciplina, vnde Concilium Placentinum inhærens Concilio Chalcedonensi in *Can. Sanctorum 70. Dist. & in qua Ecclesia, quis intitula-*

tulatus est in eadem perpetuò perseueret. Et ideò improbata primò semper fuit renunciatio, siue cessio Ecclesiarum, & Episcopatuum, eamq; detestatur *Sanctus Cyrillus Alexandrinus* in Epistola sua Canonica eo vrgens dilemmate; aut dignus est, vt præsit Ecclesiæ, qui renunciat, aut indignus; si dignus, permaneat, nec se subtrahat; si indignus, abscedat, sed non per renunciationem, sed causa cognita, atque lata sententia; temperandum tamen summum hoc ius æquitas dictat, vbi etsi aptus Episcopus ęgritudine, aut plebis malitia, siue eiusdem incorrigibili proteruia perseuerare constanter non posset, vel si ea esset ipsius infirmitas, vt superueniente in dies negotiorum mole obrueretur, nec explicare omnia posset; præstat enim cedere pusillum spiritum, quàm indiscreto, tenuiq; zelo omnia subuertere, & in nihil agendo occupari solum tumultum aucupando, & affectando rumorem. Negotiorum mole oppressus, & quietis, ac priuatæ tranquillitatis studio se abdicauit, & cessit Episcopatui Eusthatius, & eius renunciationem admisit Synodus Pamphiliæ suffecto eidem Theodoro, confirmauitque renunciationem Concilium Ephesinum honorem, & nomen Episcopi ijdem *Eustathio* conseruans, vt ex Epistola eiusdem Ephesini Concilij ad Synodum Pamphilię, cuius exemplum secutæ subinde cum Orientis, tum Occidentis Ecclesię renunciationes Episcopatuum, sed cum æquitatis moderamine, admisere. Dici posset renunciationum Episcopalium probatus vsus inter Græcos Can. 16. Constantinopolitani Concilij sub Photio, nisi concilium illud vel de nomine auctoris sui esset detestabile.

Apud Balsam.

To. 1. Conc. In act. Concil. Ephesin

At in Occidente easdem renunciationes Sanctus Gregorius Magnus, & alij approbarunt, quorum auctoritates congessit Gratianus *tota 7. q. 1.* causasque renunciationis legitimæ in corpore Sacri iuris enumeratas præscripsit Innocentius III. *in cap. nisi cum pridem. de renunciat*.

Puræ tamen, & absolutæ debuerunt esse huiusmodi renunciationes Episcoporum, nec in alicuius fauorem directæ, cum inhibuissent antiqui Canones, ne Episcopi sibi deligerent successorem, vetante præsertim Can. 23. Antiochenæ Synodi per ea verba. *Episcopo non licere pro se alterum sibi successorem constituere licèt ad exitum vitæ perueniat. Quod si tale aliquid factum fuerit irritum esse huiusmodi, est constitutum*. Verùm de successore dando mox infra cum de coadiutore.

4 Translatio Episcoporum succedit, quæ maximè pugnare videtur cum perseuerantia illa, quam statuerunt, vt iam diximus, Sacri Conciliorum Canones, & quam disciplinam muniuit *Canone suo* 15. Nicæna Synodus prima; abrogans enim inolitam contrariam consuetudinem sanxit, *Vt de ciuitate ad ciuitatem non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transferatur*. Secuta apertissimè & Antiochena *Can.* 21. & seuerè proponente Osio Sardicensis *Can.* 1. & 2. Concilium Romanum sub Damaso excommunicat Episcopos ab vna Ecclesia ad aliam transeuntes; *Capuanum* cit. à *Can.* 38. Concilij Carthaginensis III. & ante hęc omnia Concilia interdixit *Can.* 14 Apostolorum; quæ tamen omnia decreta de ea translatione, & transitu loquuntur, quem Episcopus auctoritate sua faciat, & auaritiæ, aut ambitio-

Apud Balsam.

tionis æstro: at si Ecclesiæ vtilitas exigat, aliaue iusta causa suadeat translationes interdictæ non sunt, sed imò frequentissimas testatur *Socrates* casus recensens, & contrarium Canonem interpretans. Verùm quia satis non est adesse iustam translationis causam, nisi ea cognoscatur, & approbetur, ideò hæc cognitio, & approbatio à Metropolitano, & comprouincialibus Episcopis in Synodo fieri debuit, & translatio ipsa decerni; apertissimus Canon Synodi Carthaginensis IV. & *Gratian. Can. Episcopus de loco 7. quæst. 1.* Vnde Græci Canonum interpretes, & præcipuè *Balsamo*, differentiam obseruant inter translationem, transitionem, & inuasionem. Translationem egregij viri in Ecclesiæ viduatæ vtilitatem licitam omninò faciunt, præcipuè si fiat ab Episcoporum multitudine (ait Balsam.) confirmatque ab exemplo Gregorij Theologi, qui à Sasimorum Episcopatu ad Constantinopolitanum fuit translatus, & permittendam probat ex *Can.* 14. Apostolorum: transitionem tunc fieri dicunt, cum Episcopus vacans, ac barbarorum incursu spoliatus Ecclesia sua à multis Episcopis transire in vacantem Ecclesiam compellitur propter rectam de eius fide sententiam, hancque tanquam planè licitam admittendam approbante Antiocheno Concilio. Inuasionem demùm dicunt auctoritate propria ad Ecclesiam vacantem transitum, quem abominantur Sardicenses Patres, & communione denegata puniunt adeò, vt inuadentem ne laica quidem in vitæ exitu dignentur,

Hist. lib. 7. c. 35. & 39.

In supplem. ad Can. 15. Nicæn.

Quamuis autem supra relatus Concilij Antiocheni Canon vetuerit, ne Episcopi, vel in exitu vitæ successorem sibi constituant, praxis nihilominus contrariam obseruationem exhibet; nam Valerius Hipponensis Episcopus Augustinum sibi Adiutorem in Ecclesia sua ordinari fecit, qui & ipsi successit; verùm ordinationem suam probatam asserit Augustinus Cleri, Populi, & Episcoporum comprouincialium consensu, & in eo tantùm violatos Nicænos Canones, quod ipse cum Aurelio eiusdem Ecclesiæ Episcopus simul fuerit, non autem quod ipsi successerit, vt aduertit *Baronius*, & nihil scrupuli in hoc habuisse Augustinum illud indicat, quod ætate grauis, iamque laboribus fessus Eradium Presbyterum sibi statuit successorem in pleno Ecclesiæ suæ conuentu, accedente Cleri, & Populi Hipponensis consensu, actisq; per Notarios res tota fuit excepta, quæ acta venerandæ antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta spectare licet apud eundem *Baronium*, nec desunt exempla alia quamplura. Certè graui, & perpetua ægritudine Episcopi functiones impediente coadiutorem dari, & cum futura successione, vt ea spe illecti reperirentur, qui onus tantum velint subire, confirmat *Sanctus Gregorius Magnus* ad Brunichildem Reginam; sed demùm praxim planè periculosam sustulit Bonifacius Tertius Summus Pontifex in Concilio Romano, cuius acta perijsse asserit *Baronius*, qui ex Anastasio conciliare decretum regerit sub anathemate, vt nullus Pontifice viuente, aut Episcopo Ciuitatis suæ præsumat loqui de successore, & Hilarus Papa in ecclesijs Hispaniæ in Concilio pariter Romano expressè interdixit. In prouincialibus igitur Comitijs tria hæc apparent peracta, Episcoporum translatio, renunciatio, siue cessio, &

Epist. 34.

Tom. 4. Annal. anno 395.

Vbi supra anno 426.

Lib. 11. Ep. 8.

Tom. 8. anno 606.

coa-

coadiutoria cum successione futura; renunciationem, & translationem sibi aduocauit Summus Pontifex *Can.2.de transl. Episcoporum*, nec non & coadiutorias cum successione futura, ea potissimum ratione, qua causæ omnes maiores ad Apostolicam Sedem spectent, vt Anacleti,& aliorum Summorum Pontificum passim contestantur epistolæ, statusq; præsens Ecclesiæ, & regimen quod in Ecclesia nunc obtinet iustissimè id exposcere est visum.

5 Præter hæc, quæ dicere possumus voluntariæ iurisdictionis, examinabantur in prouincialibus Comitijs causæ cum ciuiles,tum criminales Clericorum, necnon & laicorum,qui essent ab Episcopis excommunicati; difficultates, quæ nascebantur, vel circa administrationem bonorum ecclesiasticorum, & generaliter controuersiæ omnes, quæ ritus, res, & personas sacras respicerent, quasque breuiter complexus est Iustinianus *Nouell.123.C.10. Quas Episcopi, aut Clerici, aut Monachi inuicem habent.* Concilium Nicænum *Can.5. Seruetur & ista sententia, vt hi, qui ab alijs excommunicantur ab alijs non recipiantur*, mox inferiùs. *Vt ergo decentiùs inquiratur benè placuit annis singulis per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, & communiter simul omnibus Episcopis congregatis prouinciæ discutiantur huiusmodi quæstiones*,& Antiochenum *Can.20. Propter Ecclesiasticas causas, & quę existunt, controuersias dissoluendas sufficere visum est bis in anno per singulas Prouincias Episcoporum Concilium fieri*. Causæ verò fidei, & disciplinę grauiores, quæ nondum satis essent discussæ,& decisæ, referebantur per consultationem, ad Summum Pontificem; at quæ in ijsdem Synodis, & prouincialibus Comitijs reddita essent iudicia circa disciplinam, maximæ erant auctoritatis,cum quoad Presbyterorum correctionem, tum quoad Episcoporum depositionem, vt videbimus, & planè diffinitiua, neque vllum aliud supererat remedium antiquitus, nisi ex rescripto Principis negotium retractaretur in maiori Synodo, quando quidem appellationi locus non erat, si ageretur de Episcopi alicuius causa, aut de negotio aliquo maioris momenti. Nimiam hanc prouincialis Synodi auctoritatem moderatum est Sardicense Concilium in gratiam Episcoporum, qui iudicio Synodi deiecti fuissent, concessa àppellandi facultate ad Apostolicam Sedem, vt reuideatur iudicium, si Romano Pontifici ita esset visum, in prouincia, & det ipse iudices; quod si ijdem videretur refricandam non esse causam, confirmata remaneant quæcumque summus ipse Pontifex decreuerit; at quoad Presbyteros Episcopis minores nihil visum est innouandum, causæ siquidem huiusmodi tanti non visæ sunt momenti, vt daretur pro ipsis appellatio ad Summum Pontificem, sicuti, nec in Oriente appellatio dabatur ad Patriarcham *Can.6. Antiocheno, & ex Calcedonensi*; consuluit igitur Sardicense Concilium Episcopis à Synodo deiectis, at inferioribus non item, sed irretractabile circa ipsos voluit esse prouincialis Synodi Iudicium, ideòque Africani Patres ijsdem interdixere transmarina iudicia solam appellationem ad Africana Concilia permittentes; *Sic enim Canon. 28. Africani Concilij, & 22. Mileuitani. Item placuit* *Cod. Can. Eccles. Afric.*

(in-

(inquit Canon) *vt Presbyteri, Diaconi, vel cęteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint, si de Iudicijs Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos definiant adhibiti ab eis Episcopi, quod si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent ad transmarina iudicia, sed ad Primates suarum Prouinciarum, aut ad vniuersale Concilium, sicut, & de Episcopis sæpè constitutum est.. Ad transmarina autem qui putauerint appellandum à nullo intra Africam communione suscipiatur*. Hucusque Canon, quo voluisse Africanos, siue Mileuitanos Patres quidquam statuere, quod Apostolicæ Sedis maiestatem, ac supremam auctoritatem minueret, nefas omnino eredere, aut prouincialium Conciliorum eòusque attollere auctoritatem, quasi ab eis appellare non liceret, præsertim ad Apostolicam Sedem, ad quam vndèquaque appellandi semper aditus patuit; sed commendabili zelo satagebant pernitiosissimum illorum abvsum euellere, qui in Episcopos suos contumaces, ac proterui appellationis prætextu eludebant illorum iudicia, & simul Canones Sacros, suaq; flagitia tegentes à debita correctione se subtrahebant. Notissimus est casus Apiarij, qui iustè excommunicatus ab Episcopo suo Vrbano ob crimina plura ad Zosimum Pontificem Romanum appellauerat, Cęlestius etiam ab Africanis Patribus damnatus ad eundem Pontificem summum appellauit, & vterque mendacijs, & fraudibus Pontificem commouit, vt eius gratiam incundo in Episcopos excommunicantes concitauerit. Apiarij causa turbauit valdè Africanos Patres, quos zelus vrgebat, ne scelesti aditum facilem extra prouinciam reperirent. Admisit appellationem Zosimus, quamuis Sardicense Concilium ad solas Episcopales causas eam restringeret, at extra ordinem hoc fecit, & suprema sua vsus auctoritate, quę nullos agnoscit limites, elusus artibus Apiarij, vt ei succurreret. Cęlestij appellatio maximè spectauit ad Apostolicam Sedem, cum esset in causa fidei, de cuius auctoritate Sedis non fuit ambigendum, cum & ante Sardicense Concilium eam exercuerit, & ipsum Sardicense confirmauerit præcipuè in causis Episcoporum. Hactenus de Comitiorum prouincialium iure in causis Ecclesiasticorum, qui sunt inferiores Episcopo. Quid verò fuerit obseruatum, quidue iuris habuerint Prouincialia ipsa Comitia in causis Episcoporum criminalibus, & quomodò causarum huiusmodi fuerint instituta iudicia inquirere non iniucundum erit.

6 Diuisa Ecclesia, & eius administratione per prouincias vel ab ipso Apostolorum æuo (vt iam diximus) Prouincialia etiam Comitia ab ijsdē Apostolis fuere instituta Can. 38. eorundem Apostolorum sic statuente. *Bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur, vt inter se inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Ecclesiasticas contentiones amoueant*; quo Canone fidei, & disciplinæ controuersias comprælhendi extra dubium est: propagata Ecclesia, & aucto Episcoporum numero, cum iam Episcopales Synodi cæpissent congregari, si quod crimen ab Episcopo patratum fuisset vindicandum, & iudicandum, tanquam controuersia, & causa, quæ de disciplina

na esset non alibi quàm in Synodo prouinciæ erat pertractanda, & pertractabatur, vbi enim facta esset Episcopi ordinatio, ibi etiam fuerat examinanda, & decernenda eius depositio, si hæc crimini deberetur; & consuetudine magis, quàm scripto iure hæc praxis nitebatur; quam quidem nullo euidentiori confirmare possumus testimonio, aut antiquiori, quam *S. Cypriani*, qui labente tertio Ecclesiæ sæculo scripsit, & anno 250. ad Carthaginensem Episcopatum fuit promotus; Is enim ad Felicem, & plebes Hispaniarum scribens prouincialium Synodorum auctoritatem à traditione Diuina, & Apostolica obseruatione deducit; & cum clericos nonnullos, & Felicissimum pseudo Episcopum quendam, cum consensu Concilij sui à communione submouisset, cumque ijdem Romam ad Cornelium Summum Pontificem confugissent, qui hæsitabat, num deberet eos ad communionem admittere, scribit Cyprianus Cornelio, & exaggeratis confugientium criminibus, cognitam eorum causam ab Episcopis Africæ, dictam sententiam testatur, & legitimam omninò supponit prouincialis Episcoporum conuentus auctoritatem; *Nisi paucis desperatis, & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui iam de illis iudicauerunt*, post plura ait ibi Cyprianus, qui & epistola præcedenti Basilidem, & Martialem depositos exhibet ab Episcoporum Synodo, & eosdem ad Stephanum Summum Pontificem confugientes, vtcumque criminibus, quę ibi commemorat, scatentes: quam igitur Episcoporum censuram, & depositionem non scripto iure, & Apostolica traditione in prouincialibus Comitijs exercebat Ecclesia, hanc ipsam confirmauit, & ad ius scriptum redegit Nicæna Synodus prima generalis *Can.* 5. sic statuens. *De his, qui communione priuantur, seu ex Clero, seu ex laico ordine ab Episcopis per vnamquamque prouinciam, sententia regularis obtineat, vt hi, qui abijciuntur, ab alijs non recipiantur*; moxque paucis interiectis. *Placuit annis singulis per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter semel omnibus congregatis Episcopis prouinciæ discutiantur huiusmodi quęstiones*; quibus verbis confirmatam auctoritatem Synodo prouinciæ terminandi diffinitiuo decreto causas Ecclesiasticas ad Clericos, & laicos pertinentes nemo negare potest; sed & Episcoporum causas eodem Canone contineri certum est, quamuis eos expresè non nominet, cum enim eadem Nicæna Synodus nullibi Episcoporum expresè meminerit, nec eos ibi omisisse, aut excepisse credendum est; ideòque Constantinopolitanum Concilium primum, quod fuit generale secundum, inhærens decreto Nicænorum Patrum *Can.* 2. Prouinciarum fines ab Episcopis diligenter custodiendos statuit*, supponens ijsdem creditam totius Prouinciæ administrationem, qua quidem administratione sicut ordinatio, ita & censura, ac depositio delinquentium Episcoporum continetur; sed ad rem apertiùs *Can.* 6. eiusdem Concilij, qui habetur in Græca collectione, quamuis non legatur in Dionysiana, & cuius meminit & *Baronius* tanquam ab hoc concilio conditi. *Iubet Sancta Synodus primùm quidem apud Prouinciæ Episcopos accusationem*

Lib.1.Ep.4

Idem Ep.3

Tom.4.Annal. anno 381.

nem persequi, & apud eos probare crimina Episcopi, qui accusatur. Cum sequentibus verbis iam supra allatis, cum de Nationalibus Comitijs ageremus. Hanc ipsam Niceni Canonis expositionem confirmat, ac illustrat egregiè Innocentius Primus Romanus Pontifex in sua ad Victricium Rotomagensem Epistola. *Si quæ autem causæ* (ait ibi) *vel contentiones inter Clericos, vel inter laicos, & clericos tam superioris gradus, quam etiam inferioris fuerint exortæ, vt secundùm Synodum Nicænam congregatis omnibus eiusdem Prouinciæ Episcopis iudicium terminetur. Nec alicui liceat* (*sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri*) *relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Prouincia Dei Ecclesias nutu Diuino gubernant ad alias conuolare Prouincias, aut aliarum Prouinciarum priùs Episcoporum iudicium experiri. Adstipulatur Can.* 15. Antiocheni Concilij. *Si quis Episcopus* (ait Canon) *de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus Episcopis eiusdem Prouinciæ, cunctique consonanter eandem contra eum formam Decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo iudicari; sed firmam concordantium Episcoporum Prouinciæ manere sententiam.* Quod si fortè dissiderent sententię, nec in causæ diffinitione possent conuenire Comprouinciales Episcopi, quid agendum decreuit eadem Synodus C. 14. *Si quis Episcopus de cæteris criminibus iudicetur, & contingat de eo comprouinciales Episcopos dissidere, cum iudicatus ab alijs innocens creditur, reus ab alijs existimatur, pro totius huius ambiguitatis absolutione Sanctæ Synodo placuit, vt Metropolitanus Episcopus à vicina Prouincia iudices alios conuocet, qui controuersiam tollant, vt per eos simul, & per comprouinciales Episcopos, quod iustum visum fuerit approbetur.* Non prouocatio hæc, aut appellatio erat, cum nullum adhuc manasset decretum, sed subsidiarium remedium, vt pendens suspensa in opinionum diuersitate decisio absolueretur.

Tom. 1. Ep. Decretal. Sum. Pont. Epist. 1.

C. Non liceat 3. q. 6.

C. si quis Episcopus 5. 6. q. 4.

C. si quis Episcop. in aliquib. 2. 6. q. 4.

7 Tanta igitur erat in causis etiam Episcoporum criminalibus Synodi Prouincialis auctoritas; & quamuis ad maiorem Synodum suppeteret succumbenti appellatio, attamen non per hoc exclusa vnquam, aut censetur, aut fuit Apostolicæ Sedis suprema auctoritas, ad quam ius appellationis è quacumque Christiani Orbis parte semper competijt, & vel ab ipsis erumpentis Ecclesiæ cunabulis; nam excommunicatus ab Episcopo Ponti Marcion ad Pium Romæ Episcopum appellans auditus *fuit Epiphanio teste Hæresi* 42. & viguit Marcion anno Christi 160. Fortunatus, & Fælicissimus à Cypriano Carthaginensi depositi confugiunt appellantes ad Cornelium Papam, à quo & recepti, vt ex supra citata Cypriani *Epist.* 3. Basilides in Hispania depositus prouocat ad Stephanum Papam, vt testis idem Cyprianus *Epist.* 4. Athanasius à Synodo Tyri dignitate deiectus Iulium Papam appellat, & ab eo restituitur. Chrysostomus à Theophilo Alexandrino in Synodo ad Quercum depositus appellat ad Innocentium Primum Summum Pontificem, & admittitur, vt indicant geminæ eius literæ ad eundem Innocentium. Flauianus demùm Constantinopolitanus Episco-

Episcopus à Synodo Ephesina depositus prouocat ad S. Leonem Papam, vt cœteros omittamus, quorum appellationes à quacumque Orbis plaga ad Romanum Pontificem delatæ fuere, vt ex epistolis SS. Leonis, & Gregorij Pontificum passim intueri fas est, quod quidem attentè obseruatum ideò volumus, ne ex eo, quod ægrè tulerit D. Cyprianus recursum Fœlicissimi ad Apostolicam Sedem, arguatur eum non agnouisse appellationem ad eandem, cum *Epist.* 4. supra citata de Basilide ad Stephanum Papam ità scripserit; *Neque enim tam culpandus est ille, cui negligentèr obreptum, quàm hic execrandus, qui fraudolenter obrepsit*. Vel ex eo, quod Nicænus Canon, & Antiochenus nihil dicant de appellatione à iudicio Synodi ab Episcopo in ea damnato interponenda, inferatur huiusmodi iudicium inappellabile extitisse respectu Apostolicæ Sedis, cum ex supra allatis exemplis appellationum ad Apostolicam Sedem aliquæ Nicænum, & alios Canones antecesserint, quos silentio suo approbasse ius iam competens dicendum est, non autem impediuisse, aut exclusisse; vnde nec scrupulum aliquem inijcere potest Sardicensis Concilij decretum *Can.*4. & apud *Gratian. can. Osius* 6. *q.* 4. quo legimus. *Si aliquis Episcopus adiudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, vt iterum iudicium renouetur; si vobis placet S. Petri Apostoli memoriam honoremus, vt scribatur, vel ab his, qui examinauerunt, vel etiam ab alijs Episcopis, qui in proquinquo morantur, Romano Episcopo, & si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talem causam, vt ea non refricentur, quæ acta sunt, quæ decreuerit Romanus Episcopus confirmata erunt*.

Non scrupulum miscere potest hoc Sardicense decretum, quasi scilicèt ius appellationū ab eo tunc primùm in fauorem Apostolicæ Sedis sit introductum, quod anteà non competeret; competijt siquidem semper eo ipso iure, quo Petrus à Christo Domino Caput, & Princeps Ecclesiæ suæ fuit constitutus; vnde & ante Sardicense Concilium appellationes, & recursus ad Romanam Sedem exempla iam supra allata testantur Marcionis, Fortunati, & Fœlicissimi, Basilidis, Athanasij, quæ omnia Sardicense Concilium tempore antecesserunt; fuit enim hoc appellationis confugium præcipuum argumentum, & indicium Primatus Apostolicæ Sedis, & Romani Pontificis, de quo latiùs supra: & si instetur; si antea ius appellationum competebat, vt quid opus fuit, vt Sardicense Concilium idipsum decerneret? Dicemus, Arianos immò huic decreto occasionem præbuisse, qui cum ægrè ferrent (vt obseruat *Baronius*) damnatos à se Episcopos Marcellum, Asclepam, Paulum, Athanasium, & alios, eosdemque depositos per Iulium Romanum Pontificem absolutos esse, & Sedi pristinæ restitutos, sed & quod pendente Athanasij causa coram eodem Iulio Romano Pontifice Eusebiani, qui eum condemnauerant, in eius locum, non expectata sententia Iulij, Gregorium Episcopum subrogauerant, ideò Osius magis, ac magis inculcandum ius appellationum censuit, & Gaudentius Episcopus in Canone sequenti addendum suggessit,

Tom. 3. Annal. anno 347.

ſit, ne liceret aliquem ſufficere in locum damnati Epiſcopi, dum ille, qui Romanum Pontificem appellaſſet, eius expectaret ſententiam. Suſpicienda ſanè eſt recentioris ampliſſimi, & doctiſſimi Auctoris obſeruatio; hic enim improbata eorum aſſertione, qui credunt ex Canone quarto Sardicenſis Concilij obueniſſe primùm Apoſtolicæ Sedi ius appellationum, notat, non ius appellationis, ſed ius concedendi reuiſionem fuiſſe ipſi eo canone delatum in quodam veluti detrimentum, & latentem abrogationem excedentis Imperatoriæ auctoritatis; Cæſares enim, vt docet *Cuiac. ad l.vn. C. de ſent. Præf.prę.* (cum non liceret appellare à ſententia Præfecti prætorio, qui erat maior magiſtratus, immediatè poſt Principem) Supplicanti per libellum concedebant, vt cauſa retractaretur, quæ noua diſcuſſio retractatio dicebatur, idque adeò proprium Cæſarum fuit creditum, vt hæc ipſa retractatio non ſolùm pro ſupremis Iudicijs ſæcularibus, ſed etiam Eccleſiaſticis daretur, & pro his fortaſſe ideò, quia in Eccleſiaſticis ad Cæſarem non erat appellatio, vnde vtebantur reuiſionis remedio. In ſæcularibus rectè quidem, at in Eccleſiaſticis an iure, an facto id largirentur Cæſ. non inquirimus, certè primo illo Eccleſiæ æuo ità obſeruatum fuiſſe, ne congeramus exempla indicat *Text. in leg. quicumque 35. C. Theod. de Epiſc. & Cler.* ea enim conſtitutione vetant Cæſares, ne depoſitus à Synodo Imperiali reſcripto poſſit iuuari contra eiuſdem Synodi ſententiam; cui congruit, & *Canon* 12. Antiochenus, vt ad eandem *l. notauit Gothofred.* Cum igitur hic retractationis aditus per Imperatoris reſcriptum eſſet interclusus, hunc ipſum ad fauorem Apoſtolicæ Sedis reſerauit Sardicenſis Canon, qui non appellationem, ſed reuiſionem conceſſit, quam quidem in eo differre ab appellatione aduertit, quod appellatio transfert cognitionem ad Iudicem ſuperiorem, qui quæſtionem examinat, ac definit in ſuo Tribunali; at retractatio, ſiue reuiſio definitiuum iudicium relinquit priori iuriſdictioni, ſed ità, vt prioribus iudicibus noui etiam adijciantur, vt indicat Nouella Iuſtiniani Conſtitutio, quam *lib. 12. obſeru. c. 3.* reſtituit *Cuiac.* ne propter conſtantiam in opinione ſua retractatio ipſa reddatur ſuſpecta: ſit quidem hæc differentia inter appellationem, & retractationem, neutram tamen conceſſam, aut quæſitam per decretum Sardicenſe Summo Pontifici admittemus; ſupremum enim ius vtraque ſupponit, hocque iam antea, & à Chriſti inſtitutione competere Summo Pontifici indubium eſt, quod ſupponens Sardicenſis Canon appellationem, ſiue retractationem declarando aſſignat, ſicut iam ſupra cum Baronio notauimus, & ius iam competens confirmat. Græca editio appellationis terminis vtitur, & de vera appellatione accipiunt Græci interpretes Balſamo, & Zonara præſertim, qui ſchiſmatico liuore quintum eiuſdem Concilij Canonem ſubuertere nititur, & appellationem admittit, & quantumuis ſe torqueat, eam diſſimulare non poteſt; vnde confirmato appellationis iure, quod iam antea Romano Pontifici competebat, modum tantùm ipſius explicandæ præſcribit Sardicenſis Canon quintus, per reuiſionem ſcilicet, vel retractationem,

Socrat. hiſt. Eccl. lib. 2. c. 31. & 32.

nem, quæ licèt in ratione sui dicat quid diuersum ab appellatione, attamen in hoc casu est effectus appellationis, & modus præcipuus ipsius expediendæ, duplici ratione suadente inductus, quantum in re vetustissima coniectari licet; prima, ne Episcopi in dissitis adeò, & longinquis regionibus vexentur, vt notat Balsamo; secunda, vt sic sensim Patres Sardicenses retractationem auellerent ab Imperatore, & ad Summum Pontificem transferrent: Imperator enim, cum ad eum non esset appellatio à Synodo, vtebatur retractatione, siue reuisione, quæ in eo erat quid verè diuersum ab appellatione, quæ locum habere non poterat, quia retractationis remedio vtimur vbi appellandi ius non est, vt inquit rectissimè *Cuiac. ad Nouell. Iustin.* 23. Verùm Imperator de facto magis, quàm de iure hoc ipso cum Synodis Ecclesiasticis vtebatur, & ideò, vt hunc vsum Sardicensis Canon auelleret, appellationem, quam agnoscit competentem Summo Pontifici, per reuisionem, & retractationem decernit exercendam relicto eidem auctoritatis arbitrio, vt ex ipsis canonibus colligitur: nil ergo noui concessere Sardicenses Canones Romanæ Sedi, nec reuisionē, siue retractationē ipsā, quæ nil aliud est, nisi modus exercendi iuris iam cōpetentis sed hac de re alibi vberiùs. Has igitur Episcoporū causas, & depositiones, quæ hactenùs in Synodis Prouincialibus examinabantur, & definiebantur, Innocentius Tertius Summus Pontifex sibi, & Apostolicę Sedi aduocauit, eas tanquam iure Diuino competentes iudicare volens consultissimus Pontifex, vtcumque variam obseruationem hucusque adhibitam ex consensu tamen, & auctoritate Romani Pontificis processisse non dubitemus, qui ità administrandam sibi creditam Rempublicam pro varia temporum conditione censuit, eaque immutata aduocationem sibi faciendam; ne autem ex libito suo id facere videatur, præmittit Diuini iuris auctoritatem, à quo & tota Pontificia potestas, secundùm quam, & à Diuino iure est, vt causæ maiores ad Apostolicam Sedem deferantur, quo enim iure Apostolica Sedes est maior, eo ipso, & causæ maiores ad ipsam spectant, vt passim SS. Pontifices Anacletus, Iulius, Gregorius, & alij asseruerunt, inter quas censendam & causam illam nemo ambigit, in qua de Episcopi depositione agitur, quam, & Summo Pontifici reseruatam asserit Glossator ad pragmaticam sanctionem. Fuit quidem eximia Synodorum Prouincialium præsertim in Oriente auctoritas, sed in ijs, quæ respicerent Ecclesiasticam disciplinam; nam in his, quæ respicerent fidem, aut regulas generales Ecclesiæ vniuersæ nil statuere poterant absque auctoritate Episcopi Romani, cum enim Sedes Petri ea sit, à qua (vt loquitur Cyprianus) vnitas Sacerdotalis exorta est, iustum, immò & necessarium erat, vt omnes Ecclesiæ necessitate communionis vnirentur cum Ecclesia Romana, eamque suspicerent tanquam caput & centrum vnitatis; vnde, cum ingenti Synodorum auctoritate, salua nihilominus semper fuit præeminentia Apostolicæ Sedis, & Romani Primatus.

C. 2. de transl. Episcop.

To. 1. & 2. Epist. Sum. Pont.

8 Vt autem primis illis Ecclesię sęculis frequentissima erant prouincialia hæc Comitia, ità cum in Oriente, tum in Occidente in desuetudinem abiere, idque indoluit Concilium

lium Chalcedonense *Can. 19. Peruenit ad aures nostras* (inquiunt Patres illi) *quod in Prouincijs canonibus constitutæ Episcoporum Synodi non fiant, & ex eo multa Ecclesiastica negligantur, quæ correctione indigent.* Ideòque eas instaurandas, tanquam Ecclesiasticę disciplinę magnum prę sidium, decernunt ibidem. *Statuit ergo Sancta Synodus secundum Sanctorum Patrum Canones, vt bis in anno conueniant in eundem locum vniuscuiusque Prouinciæ Episcopi, vbi Metropolitanus esse perspexerit, & singula emergentia corrigant.* Verùm nec tanti fuit Synodalis hæc auctoritas, quin collabente iterum in hac parte Ecclesiastica disciplina nouo fuerit opus remedio; Iustinianus ergo constitutione sua, quam suppleuit *Cuiacius* exorbitans more suo, quotannis habenda in Prouincijs finitimorum Episcoporum Comitia statuit, idq; curandum Præsidibus prouinciarum iniunxit; nec destitit occurrere labenti semper huic disciplinę Nicæna Synodus secunda, eaque generalis septima *Can. 6.* Constantinopolitana in Trullo *Can. 8.* sed adhuc parùm profectum; nam scribit *Zonara* Concilijs prædictis longè posterior; *Nostris verò temporibus tota Synodorum ratio eò vsq; negligitur, vt ea omnibus locis haberi desitæ sint.* Quod ipsum confirmat ibidem Balsamo subdens, se accuratiùs de ijs non agere, *vt quæ non sint in vsu.* Huius irreparabilis defectus si libeat causam scrutari, quantum coniectura assequi licet, generalem illam assignabimus primò; naturalem scilicèt humanæ naturæ in deterius procliuitatem, in *quantum enim natura passibilis est, in tantum est ad deteriora procliuis,* inquit *Sanctus Leo Magnus*; pondus vrgenti potuerunt addere incommoda itineris, dispendia ita, vt cœperint omitti, ac subinde paulatim euanuerint: coniecturæ hæ sint; nam verior causa illa est, quam exhibet, ac leuitèr tangit *Theod. Balsamo*, celebrationem scilicèt Synodorum Patriarchalium, ad quas conuenire Metropolitani tenebantur ex Nouella Iustiniani, de qua supra; quod absurdum distrahendi Metropolitanos à munere celebrandi sua prouincialia Comitia aduertens Octaua Synodus generalis Constantinopolitana demùm rem ità disposuit, vt Concilia patriarchalia, & Metropolitana simul haberi non possint; Metropolitani præferre debeant patriarchale, ad quod conuenire tenenantur cum Patriarcha eos vocauerit; cumque in eo Concilio omnes causæ venirent diffiniendæ non solùm vnius prouinciæ, sed & totius Patriarchatus, hoc decretum in causa fuit, vt absorpta auctoritate à maiori minora Concilia paulatim, & faciliùs omitterentur, quæ demùm in Oriente in desuetudinem abiere, vt ex Balsamone, & Zonara sup.

Nouel. 137 & ibi Cuiac.

Ad Can. 5. Nican.

Serm. 7. de Ieiun. 10. Mens.

In supplemento pag. 11. & 12.

Diutiùs perdurarunt prouincialia hæc Comitia in Occidente, eorumque auctoritas propugnata vsque ad sæculum nonum; at vbi sensim minui cœpit eorum auctoritas, ex quo cęperunt appellationes frequentari ad Apostolicam Sedem, & non solùm admitti à diffinitiuis sententijs, sed & ab alijs actibus, cœperunt etiam Episcopi huiusmodi Conciliorum Prouincialium curam posthabere, & angustato Ecclesiæ ambitu, eaque ad Europæ fines restricta, immutata est regiminis facies in hac parte, cunctaque fœliciùs ad vnum reda-

redacta; causæ omnes ab Ordinarijs primùm, subinde à Metropolitanis terminantur; & appellationes, aut in Rotæ Auditorio, aut per delegationes in partibus finiuntur. Innocentius Tertius in Concilio Lateranense instaurare hanc disciplinam studuit, quamuis sine effectu processerit eius decretum, quod testatur Durandus, qui centum post annos floruit, ac dolens hortatur, vt Concilia huiusmodi frequententur. Basileense Concilium excitat, vt celebrentur, nec omisit curam hanc nouissimum Tridentinum *sess.* 24. *de reform. cap.* 2. quod tertio quoque anno conuocari decernit; sed praxis ea declarat inutilia, cum nec decretum seruetur, & tamen optimè, & fæliciter subsistat Ecclesia; & de hisce satis.

De modo Conc. Gen. celeb. Rub. 11.

CAP. IX.

De Minoribus Episcoporum Comitijs, quę communis vsus Diœcesana appellat.

1 *Introducitur materia ab analogia aliorum Comitiorum.*
2 *Origo prima huiusmodi Synodorum detegitur, & cuius iuris sit, Diuini, an positiui, & humani.*
3 *Cuius sit eas conuocare, & quo tempore, quoue loco.*
4 *An hæc Synodus sit legis Diœcesanæ, an legis iurisdictionis, & quid sit vtraque hæc lex.*
5 *Quis vsus, quæue huius Synodi vtilitas, eaque multiplex.*
6 *Qui accedere ad eam teneantur.*
7 *Quæ in ea peragenda.*

1 
CLAUDENT vniuersam Ecclesiæ Politiam minora hęc Comitia, quæ Episcopi cum sibi subiecto Clero statis temporibus celebrant; pauca, eaque singularia, & propria promemus, nam generalia ex dictis hactenùs circa alia Comitia possunt facilè per analogiam ad hæc ipsa transferri. Emicat vbique naturalis, ac instituta primitùs Ecclesiæ politia in veritatis immutabilis argumentum, arridetque perappositè exemplum: frange, & comminue speculum, & eandem prorsus imaginem solo magnitudinis dispendio in qualibet vel minima parte intueberis. Profer generalia Comitia, & caput supremum exhibent, quod pręsideat, Pontificem Summum, vel per Legatos suos, qui & ipsa conuocet iure planè suo. Assume nationalia, & aderit Primas easdem gerens vices: conuerte intuitum ad prouincialia, & conuocare, ac præesse videbis Archiepiscopum: Accipe demùm, quæ exhibemus, Diœcesana, & in minori hoc ambitu præesse, ac dirigere vnum cernes, eandemque semper Ecclesiæ administrandæ ideam; vnde & in hisce explicandis per eadem incedemus capita, sed longè breuiùs, ne eadem sæpiùs repetamus.

2 Comitiorum huiusmodi, siue Episcopalis Synodi exemplar primùm præcessisse videtur tunc exhibitum, cum D. Paulus Hierosolymam venit, & Iacobum eius Ecclesiæ Episcopum adijt, isque conuocatis senioribus Synodum habuit ad suspicionem illam tollendam, quæ contra Paulum incesserat quasi legalium obseruationem detestaretur,

hicque

hicque seniorum conuentus non fuit nisi Diœcesana Synodus, cui nec interfuit, nec præfuit Petrus, nec alij discipuli, sed soli Iacobus, & Paulus: Iacobus conuocauit, seniores illius Ecclesiæ conuenerunt, & in ea actum de purganda solummodò concepta in Paulum suspicione; vnde nec alia fuit, quàm Diœcesana Synodus, sumpto tamen Diœcesis nomine strictiùs, prout accipit vsus, & non vt accipiunt Græci, qui longè latiùs, ideò & Episcopalem non Diœcesim, sed Parochiam appellant; hanc assignat Synodorum huiusmodi originem, vel potiùs imaginem Card. à Turrecremata. Episcopalem hanc Synodum describere possumus, *quod sit congregatio legitima, quam facit Episcopus cum Clericis sibi subditis in sua Diœcesi, in qua de his, quæ curæ pastorali incumbunt, tractari debet*. Clara definitio, nec per partes explicanda. An autem huiusce Synodi institutio sit iuris Diuini inquirunt curiosiùs Auctores præfati; non immorabimur in ea indagine, in qua summam afferunt resolutionem; insinuatam Diuino iure Synodum Diœcesanam, & mediatè ab eo processisse, tanquam modum aptissimum regiminis, & administrationis Episcopalis expediendæ, quæ vt iure Diuino instituta est, ità, & eodem dictante inductum quidquid ad eam explicandam, & exercendam est necessarium, vt quatenùs ab Apostolico exemplo, & traditione processit, ius positiuum non excludatur, sicque respectu diuerso, & Diuini, & positiui iuris dici potest.

Lib. 3. de Eccl. c. 2.

Henric. Botthens de Synodo Episcopi p. 1 n. 5.

3 Conuocare Synodum suam, Episcopi est; vt & in quolibet Comitiorum genere eadem analogia huiusmodi conuocatio ad Ecclesiasticum superiorem pertinet ex iam supra tractatis, vnde & Diœcesanam Episcopus indicit *C. pen. & vlt. 18. Dist.* electus, & confirmatus, etsi nondum consecratus, non enim hic actus, vtcumque sublimis in genere suo, ordinis Episcopalis est, sed iurisdictionis, & ideò Capitulum vacante Sede succedens in iurisdictione Episcopali Synodum celebrare potest. Nullum legimus statutum tempus ad Diœcesanam hanc Synodum celebrandam, sed Episcopi arbitrio id consequentèr relictum. Basileense Concilium celebrari decreuit post Dominicam Resurrectionis, & seruandum hoc decretum plerique volunt, quia fuerit conditum antequam in Concilium induceretur diuisio; at quia nutat eius Concilij auctoritas, non insistimus, sed id totum, aut obseruationi cuiusuis Ecclesiæ, aut arbitrio Episcopi relinquimus, qui semel in anno potest conuocare *C. Abbates. 18. q. 2.* & pluriès etiam, si opus id nouerit; ab arbitrio Episcopi, vt pendet tempus pendebit, & locus ità, vt in Diœcesi regulariter fieri debeat, sin minùs & extra Diœcesim, quo casu ab ea sit expulsus Episcopus *Clem. 1. §. eisdem. De foro compet.*

4 Indeq; notabile emergit quæsitum; an hæc Episcopalis Synodus sit legis Diœcesanæ, an verò legis iurisdictionis. Hæc duplicis legis distinctio, vtpote noua à multis tribuitur Honorio III. Summo Pontifici in *C. Dilectus. De off. ord.* & vix alitèr concipi potest, quàm faciat *Gloss. ad c. 1. 10. q. 1.* quam sequuntur omnes Pontificij iuris interpretes, nec tamen adeò tuta, & aperta est differentia, quin sæpiùs confundâtur, & accipiantur promiscuè, *vt in d. Can. 1.* Distinguuntur nihilominùs inuicem in eo,

vt

vt lex iurifdictionis in dando, vel in faciendo confiftat, cuiufmodi eft Sacramentorum adminiftratio, delictorum coercitio, vifitatio, cognitio litium;lex verò Diœcefana in recipiendo pofita fit, & eius funt procurationes,euectiones, decimarum, & funerum portiones,Cathedraticum, quod folet Epifcopus exigere;*Innoc.ad c.1. De ftatu Monach.* nil certi poffe diffiniri afferit, & de vtraque hac lege vix poffe aliquid certi determinari per regulam, ideò ea tantùm enumerat, quæ ad legem vtramq; pertinent, & alterutrius quid effe afferenti relinquit onus probandi: quoad Synodum attinet,ne in regerendis aliorum opinionibus diffundamur, dicenus cum*Hoft.ad c fuper his.n.2.de maior. & obed.* Synodorum celebrationem quid mixtum effe, & ad vtramq; legẽ pertinens; quà enim Synodus eft, legis Diœcefanæ rectiffimè dicitur, at verò quà in ea leges conduntur, ftatuitur, ordinatur,aut iudicatur, eft de lege iurifdictionis,hæc enim præftare ad iurifdictionem pertinet.

5 Proficiunt ex intentione fua Synodi Diœcefanę ad plura. Prmum, & pręcipuum illud,vt quę fuerint decreta,& conftituta in Synodo prouinciali in ipfa Diœcefana publicentur. *C.fin.18.Dift.* Secundum;vt inferuiat ad correctionẽ malorum, multa enim patrantur mala à Clero per Diœcefim, quæ minùs aptè corriguntur à Prælatis inferioribus, ideò conducere fuit vifum,vt Synodus conuoceturadhoc, vt plures vnanimes, & fortiori nifu aduerfus malum huiufmodi confiftant. Tertium demùm celebrantur Synodi ad eruditionem, & cohortationem paternam, cum Prælatorum fit erudire inferiores Sacerdotes, in plerifque enim magna eft fimplicitas, fed eos maximè, qui alios regere debent,& ideò fermo prçcipuè fit in Synodo ab eo,qui conuocauit. Ad Synodum Diœcefanam venire tenetur, primò Epifcopus ipfe,qui & præfidet fiue per fe, fiuè per Vicarium fuum; qui ipfius nomine præerit *arg.text.in c.fi Epifcopus.De off.ord.in 6.* & illatione per analogiam deducta à Summo Pontifice præfidente in generali Synodo ad Epifcopum in Diœcefana,& ficut ille per Legatum fuum, ità & hic per Vicarium *c.regula:17. Dift. c.fexta in pr. 16. Dift.* habentem tamen fpeciale mandatum.

6 Secundò accedere debent ad Synodũ Abbates habentes Capellas, vel populum fubiectũ Epifcopo fub fe,fiue fint Abbates ipfi exempti,fiue non exempti. *Glofs. ad c. quod fuper his.de maior.& obed.c.ex ore, de priuil.c.Abbates .c.Dilectus. c.Conquerente. de off. ordin.* Vbi verò non habent Capellas,aut populum fub fe, & funt exempti non tenentur ad Synodum accedere *Glofs.ad d. c. quod fuper his.* Huiufmodi enim Abbates non funt fubditi Epifcopo, vnde nec obligantur ftatutis eius, nifi tamen confuetudine effet iam inductum, vt accederent,tunc enim ftare confuetudini tenerentur. Monachi Clauftrales accedere ad Synodum Epifcopi non tenentur *Glof.ad c.Conuenientibus 1. q.7.* nifi quis ipforum curam parochialem in Diœcefi exerceret. *C. de Monachis 16.quæft.1.* cuius ratione, quantumuis exempti,Epifcopo fubijciuntur;ficut nec regulares, alijque, qui dicuntur mendicantes. *C.Nimis il fecondo. de excefs.prælat.* Sacerdotes fæculares habentes animarum curam accedere ad Synodum Epifcopi fui tenentur *d.c.quod fuper his. De maior.& obed.* Vnde alij Clerici,qui

nec

nec curam, nec beneficium habent neutiquam ad id tenentur, quod si habeant beneficium aliquod simplex dubium valde est an teneantur, vt videre est apud *Bottheum*, qui pro huiusmodi difficultatis resolutione, sicut & pro alia quacumque, quæ in hac materia incideret, admonet seruandam esse consuetudinẽ, & secundùm eam de personis, quæ ire ad Synodum debeant, esse iudicandum, cum enim iurisdictio consuetudine acquiratur. *C. cum contingat. De foro compet.* & Synodus quid mixtum dicat ex lege iurisdictionis, & Diœcesana, iam ex ea obligari quis potest, vt ad Synodum accedat *arg. tex. in c fin.* 18. *q.* 2. An autem præscriptione possit quis se eximere, ne ad Synodum Episcopi accedere teneatur, examinat *Bottheus*, vbi & de excusationibus agit, quibus possit quis vti, vt se eximat, apud quem parte tertia eiusdem tractatus ritum habes Synodi celebrandæ. Quæ autem in Synodo peragi debeant enumerando breuiter tangemus.

De Syn. p. 2. n. 18.

Vbi sup. n. 40.

7 Primò, vt supra, legi debent statuta in Synodo Prouinciali. *C. fin.* 18. *Dist. cap. sicut, de accus.* Secundò querelæ omnium læsorum audiri. *C. Ecclesiasticas. cap. quoniam quidem* 18. *Dist.* sed hæc non sunt hodie in vsu, quando iudicia Ecclesiastica tam ciuilia, quam criminalia ingressa sunt alium alueũ; tertiò maximè debent corrigi Clericorum mores. *C. annis singulis. cap. quoniam quidem* 18. *Dist.* At eò demùm nostro æuo res redacta est, vt in Synodo id indirectè fieri ab Episcopo dici possit, quatenùs in ea promulgantur cõstitutiones ab ipso conditæ, & recipiuntur, quæ à subiectis Clericis sunt obseruandæ, at quod directè, & formaliter hoc fiat in Synodo asserere non possumus, nam in hac parte immutata est Ecclesiastica disciplina, & Synodorum solum habemus nomen, reueremurque in eis memoriam simplicioris æui; & tandem, qui animarum curam gerunt in Diœcesi rationem reddere in Synodo de ea tenentur; at verò etiam hanc partem anteuertit, & occupat Episcopus vigilantia, & opera sua, & ideò hæc relatio, & inquisitio vix obseruatur. Extra omne dubium est, quod statuta condere potest Episcopus in Synodo *C. quod in dubijs. De maior. & obed. c. ex ore*, §. *Porrò. De priuileg. cap. licet de offic. ordin. cap.* 2. *& ibi Gloss. in verb. Statuto. de offic. ordin. in* 6. *cap. nullus* 3. *q.* 4. Qua de re nos impensiùs ad materiam de legibus, & Constitutionibus. De Synodo namque agere nostra fuit intentio, quatenùs partem aliquam Ecclesiasticæ Politiæ constituit; singula circa Episcopalem Synodum tractant Auctores vulgati, & insignes *Henric. Botth. Iann. Ant. Massobr. Bartholom. Gauant. August. Barbos. de offic. & pot. Episcopi*, ad quos hęc ipsa optantem remittimus. Ecclesiastica Politia sic exhibita ad Iurisprudentiam Sacram (quæ huius Reipublicæ ius est) tractandam accedamus, præmittentes De Origine Iuris.

TERTII LIBRI FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

Prior numerus denotat paginam, Secundus columnam.

A:

B.

C.

Capi-

D.

F.

G.

H.

Sine

Ludo-

Ponti-

Pro-

Sufan-

F I N I S.

Errata sequuntur, & comitantur inseparabiliter impressoriam, ideoque aliqua offendet Lector, sed leuiora, & quæ excitent potiùs, quàm turbent, nec ea tanti, quæ signari debuerint, & corrigi.

Vnum monendum, quod in Libro Primo pag. 109. Excursus fuit inscriptus pro capite, nec potuit mutari, nisi subuerteretur tota capitum series, & cum ea numeri; stet munitum pro correctione, qua adhiberi non valuit.